CONTENSON, Vincent (O.P.)
R.P.Fr. Vincentii Contenson Ordinis Praedicatorum... Theologia mentis et cordis... : tomus I... -- Lugduni : Sumptibus Laurentii Arnaud & Petri Borde , 1675
[14], [2] en bl., 641, [19] p., a8, A-Z12, 2A-2D12, 2E11 ; 12°
Port. con viñeta xil.
1. Teología dogmática 2. Teologia dogmatikoa I. Theologia mentis et cordis... : tomus I... II. Título

R-6170 Enc. perg. -- Firma autógr. en h. de guarda: "Antonio de Burgos"

R. P. Fr. VINCENTII

CONTENSON,

ORDINIS PRÆDICATORVM

Sacræ Theologiæ Professoris;

THEOLOGIA MENTIS ET CORDIS:

SEV

Speculatio universæ sacræ Doctrinæ, pietate temperata; è Patribus, Doctore potissimùm Angelico derivata.

TOMVS I.

In quo præviâ dissertatione de dignitate Theologiæ, de Deo Vno, perfectionibus & attributis divinis tractatur: ubi etiam de mysterio prædestinationis & reprobationis.

Lucere vanum: ardere parum: lucere & ardere perfectum. *Bern. serm. de nat. Ioan. Bapt.*

LVGDVNI.
Sumptibus LAVRENTII ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXXV.

Cum Approbationibus & Superiorum Licentia.

REVERENDISSIMO PATRI

P. IOANNI THOMÆ

DE

ROCABERTI,

Vniversi Prædicatorum Ordinis Magistro Generali.

VRSVS hic Theologicus, vt pupillus patre jam orbatus recenti Authoris sui jacturâ, quem in ipso ætatis & ingenij flore, inter vtilissimarum concionum labores, heu nimiùm cita mors! magno Literarum damno è vivis nuper eripuit, gemens & anxius Patronum quærit, cujus

nomine ac præsidio fretus, è Typis nostris Lugdunensibus in lucem securior prodeat, vt proborum studiis, vtilitatibusque inserviat, ac à malevolorum injuriis protegatur. Quem verò posset aut invenire promptiorem, aut magis propitium optare, quàm Te (PATER REVERENDISSIME) *qui Clarissimo Prædicatorum Ordini præpositus, vt benignum quoddam sidus & tutelare numen cuncta ad illum pertinentia providentiæ tuæ radiis collustras, curâ & singulari solicitudine feliciter promoues, authoritate ac protectione vigilantissimâ defendis? Addidit præterea nobis quærendi, impetrandique tui præsidij fiduciam nota & toties experta in ipsius Operis Authorem paterna illa tua beni-*

gnitas

gnitas, quæ vt omnibus ſub cura tua degentibus communis eſt, ita erga illum extitit ſingularis. Tu enim clariſſimum hoc ingenij lumen in tot & tantos maturioris eruditionis radios primo conatu effuſum benignis oculis ſemper aſpexiſti: Tu illum in hac Studiorum palæſtra laborantem adhortatione crebra firmaſti: Tu variis agitatum fluctibus humaniſſimè conſolatus es: Tu demùm innumeris beneficiis ac paternæ benevolentiæ officiis fovere nunquam deſiiſti; adeo vt vir gratus & memor inter hujus lucubrationis ſudores nullum jucundiorem fructum ceperit, quàm quod in hoc Opere obſervantiæ ſuæ, ac grati animi publicum, duraturúmque monimentum Tibi pararet. Sed

quanquam hæc præjudicia defuiſſent, eſt in ipſa hujus Operis ratione aliquid, quo ſe Tibi debitum ſentit, ac gratum acceptumque fore ſperare audeat; quòd nempe rerum Divinarum notitiam complectatur, non qualem ferè hactenus exhibere Scholaſticis Scriptoribus vſus fuit, jejunam, aridam, ſucco ſuo ac guſtu deſtitutam; quæ animum inflet, non paſcat; torqueat, non reficiat: ſed qualem Tu primùm moribus, deinde verbis ac ſcriptis docuiſti, nunc verò ſanctiſſimis inſtitutis Te vnicè probare ac mirificè amare demonſtraſti; nempe conditam pietatis affectu ac ſapore, quæ ita mentem erudiat & illuſtret, vt cor emolliat & incendat; quæ totum homi-

nem

nem ſalvum faciat, quæ ad diuina mentem erigat & affectum rapiat; cui ſit lucere vanum, ardere parum; lucere *verò* & ardere perfectum. *Talem doctrinæ formam complexum Opus Te Patrono dignum eſt. In Te non modò azylum reperiet, ſed etiam vivum & exactum exemplar, in quo Theologiam Mentis & Cordis ſpirantem animatamque videre præclariùs poſſint, qui illam in his paginis exaratam legent. Patere igitur, vt Tibi tam affinis Liber nobiliſſimo tuo Nomine, quod Avorum virtute & gloriâ toto orbe illuſtre factum novis decoris cumulaſti, inſigniatur; vt piiſſimi ac eruditiſſimi Theologi auſpiciis in lucem erumpat pietatem cum eruditione inſpiraturus;*

vt demùm Te protectorem, Patronumque ſentiat, ab eo ſcriptus, quem in tutelam tuam toties receperas; & ab illis nunc in lucem datus, quibus nihil magis cordi erit, quàm ſe officiis omnibus exhibere

Reuerendiſſimæ Tuæ Paternitati

Addictiſſimos, obſequentiſſimoſque clientes,

LAVR. ARNAVD, & PETR. BORDE.

BIBLIOPOLÆ AD LECTOREM.

DOLEAS nobiscum (BENEVOLE LECTOR) piissimi, omnique virtutum genere præclari hujus Operis Authoris præmaturam mortem; cujus nota & pervulgata merita, satis per tres clarissimi Prædicatorum Ordinis insignes Doctores, qui hujus Theologici Cursûs doctrinam lubenter approbarunt, testata, cùm variis itinerum æstibus eum adegerint, ita vt valetudinem ejus graviter læserint, ipse tandem assiduis studiis obtritus, indefessis laboribus, innumerisque tum corporis, tum animi molestiis fractus, vniuersæ carnis viam ingressus vitam hanc cum meliori commutavit, Opere Theologico non absoluto: quem tamen cùm magno piorum & peritorum applausu Theatrum literarium conscensurum sperare par sit, nunc jam, etsi diminutum, in lucem edimus. Hunc (CHARE LECTOR) tanquam fœtum immaturum torvis oculis non aspicies, sed ex toto corde complecteris, si ejus doctrinam eleganti loquutione floridam, scholasticis subtilitatibus acatam,

ſed præſertim pietate defectus, ſi qui adſint, abundè ſupplente, temperatam ſaltem primoribus labris præguſtes: in quo præter Tractatus de Pœnientia, Extrema-Vnctione, Ordine & Matrimonio, nihil vltrà deſideres. Horum verò Tractatuum fragmenta moriens hujus Operis Author literatiſſimo ejuſdem Ordinis Religioſo dereliquit, qui de Reverendiſſimi Patris totius Prædicatorum Ordinis Generalis (qui peculiari dilectione & tutelâ defunctum Authorem fovebat) commiſſione ad perfectum finem brevî perducturus, & ad prælum ea elaboraturus eſt. Diutiùs tamen (AMICE LECTOR) Operis jamdiu deſiderati, tamdiúque expectati fructu te carere paſſi non ſumus, curas noſtras boni te conſulturum ſperantes, piaſque preces effuſurum vt Authoris anima tranquillâ pace lætetur. Vale.

Appro

Approbatio Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis.

EGo infrascriptus Doctor Almæ facultatis Parisiensis, Librum cui titulus est, *Theologia Mentis & Cordis, &c.* de mandato Reverendissimi mei Generalis Ordinis Prædicatorum legi & examinaui; nihil dissonum sanæ doctrinæ in eo reperi, sed veritates Thomisticas claritate summâ perspicuas reddi, & ad pietatis promissæ finem feliciter pervenientes notavi; quem Lectoribus devotis & doctis æqualiter gratum futurum, dignum prælo judicavi. In cujus fidem subsignavi, Camberij in Sabaudia die 4. Febr. 1668.

Fr. Hvgo Nos' Marchand, Magister Parisiensis Ordinis Prædicatorum.

EGo Frater Carolus Gaud Prædicator Camberiensis, Magister Parisiensis, & Regiæ Celsitudinis Sabaudiæ Ducis à Consiliis & Concionibus ordinarius, de mandato Reverendissimi mei Generalis Tractatum legi & examinavi, cui titulus est, *Theologia Mentis & Cordis*; in quo fulgent ad mentem, & ardent ad cor veritates Thomisticæ, lucent consilia, selecti scintillant passim Patres: improbumque nihil cùm contineat, sed probatissima omnia, censeo in Ecclesiæ decus, in Concionatorum vtilitatem, in sanctarum Scholarum pium affectum atque clarum munimen typis mandandum esse. In cujus fidem his subsignavi. Camberij die 5. Februarij 1668.

Fr. C. Gavd.

Licentia Reverendissimi Patris universi Prædicatorum Ordinis Generalis.

NOS FRATER IOANNES THOMAS DE ROCABERTI, Sacræ Theologiæ Professor, Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magister Generalis & Servus. Harum serie, nostrique authoritate Officij, Tibi Reverendo Patri Fr. VINCENTIO CONTENSON, Provinciæ nostræ Tolosanæ, licentiam facimus & facultatem edendi in lucem, typisque mandandi brevem Cursum Theologicum à Te editum, si priùs à RR. PP. FF. Natali Marchand, Carolo Gaud, & Vincentio Baron, in sacra Theologia Magistris & Professoribus recognitus fuerit & approbatus, aliaque de jure juxta sacros Canones, Decreta Summorum Pontificum, & Statuta Ordinis nostri servanda serventur; sicut etiam Tibi concessum fuit à Prædecessore nostro. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ super Minervam, die 5. Iulij anni 1670.

Fr. IOAN. THOM. DE ROCABERTI,
Magister Ordinis.

Registrata fol. 2.
Fr. STEPHANVS DE THORO,
Magister & Socius.

Approbatio R. P. F. Vincentij Baronij, Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Professoris, Inquisitoris Tolosani.

QVem Author *Theologiæ Mentis & Cordis*, suo titulum inscripsit Operi, illud mihi authoritate

tate & imperio Reverendiſſimi Patris Generalis ſedulò relegenti cumulatè viſus eſt tantum Nomen impleviſſe reconditâ eruditione cum pari pietate conjunctâ. Singulæ enim Libri paginæ (præ cæteris quibus abundant elegantiæ, brevitatis, & accuratæ Patrum Lectionis) has potiſſimùm dotes ſpirant inter ſe concordes, aut ſic invicem certantes, vt incertum apud me ſit utra utram vincat. Nec dubito quotquot ſepoſito partium ſtudio, pij & eruditi hæc legerint, quin mihi aſſentiantur, multoque plura & majora hac meâ teſtificatione ſint bona hac in Theologia reperturi. In primis, vt omittam quæ in omnium oculos incurrunt, cùm D. Thomæ veſtigia ubique premat, & Magiſtrum fidiſſimus Interpres docentem inducat, ab omni nævo contra Fidem, aut bonos mores erroris alieniſſimus eſt. Hoc etiam auſim polliceri, benè de Theologia his lucubrationibus meruiſſe; plures namque & grauiſſimas, quibus illa jure vel injuriâ vexabatur, accuſationes viſus eſt feliciter depuliſſe. Multi à ſanctiſſimæ diſciplinæ cultu deterrebantur, vel longioris ſtudij ſpatio & decurſu, vel nodis quæſtionum ſubtilium intricatiſſimis, & vix aliud quàm temporis jacturam, aut quod multò periculoſius, nec minùs frequens malum accidit, pietatis faſtidium allaturis. Has omnes criminationes, aut veriùs calumnias longiſſimè amouet hæc Theologia mentis & cordis, perpetuâ pietatis cum eruditione, brevitatis cum rerum vbertate concordiâ, & ſelectis Sanctorum Patrum locis, quibus nimia Scholaſtices ſubtilitas ad bonam & ſanctam mentem temperatur. Datum Pariſiis, die 18. Septembris anni 1673.

Fr. VINCENTIVS BARONIVS, Ord. Præd. Theologus, & Inquiſitor Toloſanus.

Alia

Alia Approbatio Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis.

THeologiam Mentis & Cordis à R. P. Vincentio Contenson Ordinis Prædicatorum compositam, Opus quidem Mentis, ut penè subtile & eruditum; Cordis quia jucundum & amabile, judico Ego infrascriptus Doctor Almæ Facultatis Parisiensis Theologicæ prælo, luceque dignum. In quorum fidem, &c. Datum Lugduni die Maij octava anni 1675.

F. VIAL.

IDem & Ego infrascriptus Doctor Parisiensis sentio. Datum eadem die quâ suprà.

F. PAVLVS LOMBARD, Exprovincialis Carmelitarum.

Consensus Procuratoris Regij.

VIsis Doctorum Approbationibus circa Librum cui Titulus, *Theologia Mentis & Cordis*, à R. P. Vincentio Contenson compositum: Pro Rege non intercedo, quin liceat LAVRENTIO ARNAVD, & PETRO BORDE Typis mandare prædictum Librum, concessis eis prohibitionibus consuetis per triennium duraturis. Lugduni 29. Maij anni 1675.

VAGINAY.

PERMISSIO.

FIat juxta conclusiones Procuratoris Regij. Anno & die supradictis.

DESEVE.

LIBER



LIBER PRIMVS.

De Deo fonte perfectionis & de plenitudine essentiæ eius.

PRÆLOQVIVM.

IN Theologiæ dignitate extollenda, erudite Lector, non immorabor, cum ipsum Theologiæ nomen Diuinum aliquid spiret, atque ad sui amorem alliciat. Nam vt egregiè tradit S. Thomas l. 1. cont. Gent. cap. 2. *Inter omnes hominum curas, studium diuinæ sapientiæ est perfectius, jucundius, & vtilius.* Perfectius quidem, quia per Diuinorum contemplationem homo magis ad Dei similitudinem accedit; Vtilius, quia per veritatis notitiam ad veram beatitudinem peruenitur; Iucundius, quia nihil suauius veritate, quam omnis homo naturaliter concupiscit, & qua adepta fœlicitas inuenitur, dicente S. Augustino l. 10. Confess. c. 23. *beata vita est gaudium de veritate.*

Ex his etiam quæ dissertatione præambula delibabo, ita te sacræ Doctrinæ amore capiendum arbitror, vt pleniora quæ tibi vel ad legendi voluptatem honestam, vel ad feruidi studij concipiendam voluntatem inseruiant, exhi-

bere; vel stimulis concitare, vel præludiis properantem retardare minime opus sit.

Hoc solum in huius tractatus commendationem aduertas peroptem: quod sicut Deus Optimus Maximus in se spectatus cœtera omnia, quæ Theologia contemplatur, infinito præcellit interuallo; sic tractatio ista, cujus materia Deus est, cœteras quasque in immensum dignitate antecedit. Vnde spectabilior & commendabilior per seipsam est hæc materies, quam vt aliquam laudis adjectionem postulet, vel mutuari egeat, quæ se natiua nobilitate commendat. Siquidem in tota sacra doctrina, nec ad veritatis discussionem aptius, nec ad Catholicam fidem defendendam solidius, nec ad illustrandum animum splendidius, nec ad veram contemplationem fouendam fundatius, nec ad ciendos pietatis affectus suauius, nec ad mores formandos securius, nec ad omne virtutis officium salubrius, nec ad prægustandam in hac lachrymarum valle fœlicitatem Sanctorum auspicatius quicquam inuenitur. Dum legeris, intelliges.

Porro antequam ipsum Diuinitatis pelagus ingrediamur, sistendum est parum in littore, vt ipsius, quam tradimus scientiæ necessitatem, naturam, ac prærogatiuas varias præmittamus; jaciendum enim prius est fundamẽtum, quam vt Theologicum ædificium superstruamus.

DISSERTATIO PRÆAMBVLA.

Commendatio Theologiæ.

PEr Theologiam idem intelligimus quod S. Doctor nomine sacræ doctrinæ: cum enim Theologia Diuinæ reuelationi innitatur, ex articulis fidei discurrat, de Deo, ac de rebus omnibus sacris sermonem habeat, merito sacræ doctrinæ nomenclatura insignitur. Hujus autem facultatis cumulatam notitiam habebimus, si ejus existentiam, naturam, & proprietates exponamus.

CAPVT I.

De necessitate & naturâ Theologiæ.

EXistentiam sacræ Theologiæ demonstraturo, si ejus necessitatem suadeam, sicut enim natura, ita nec gratia deficiunt in necessariis.

SPECVLATIO I.

Theologia seu facultas quæ de Deo rebusq; diuinis tractat est necessaria in Ecclesia Dei.

PRobatur duplici ratione D. Thomæ art. 1 prima sic proponitur : homo, qui ad finem supernaturalem ordinatur indiget aliqua facultate quæ eum dirigat ad talem finem vires naturales ingenij excedentem. Atqui hoc præstari nequit per scientias humanas, vel philosophycam vllam disciplinam ; cum earum obiectum intra naturæ limites circunscribatur. Ergo ad hunc finem necessaria est facultas superior, quam Theologiam nominamus.

Nec dicas, ad finem illum ascischendum sufficere fidem. Nam fide quidem detegitur finis supernaturalis, sed minime explicatur : igitur præter fidem opus est Theologia, per quam fides nostra *gignitur, nutritur, roboratur, defenditur*, vt ait August. lib. 19. de Trinit. cap. 7. qua poscenti, fidei nostræ ratio redditur iuxta præceptum principis Apostolorum; qua fides Religioque Orthodoxa credibilis omni genere argumentorum fit, & defenditur aduersus hæreticos, qui propterea totis viribus Theologiam impetunt, eiusque interpretibus maledicunt. Nec mirum, quia vt lepide ait Melchior Cano, *agnoscunt lupi canes & eos odio prosequuntur*, sic Theologorum nomen fautoribus inuisum est, & exosum nouatoribus, quorum insidias scholastici præcauent.

Secunda ratio S. Thom. sic ampliori forma declaratur. Etiamsi homo non esset ad finem supernaturalem ordinatus, nec indigeret edoceri mysteria quæ sola fide innotescunt, tamen necessaria esset illi Theologia qua eruditetur de veritatibus etiam illis, quæ de Deo naturali lumine cognosci possunt: ergo Theologia est simpliciter necessaria. Prob. antec. veritates de Deo naturaliter cognoscibiles, & per solam rationem inuestigatæ, & à paucis, & post longum tempus, & cum admixtione multorum errorum obtentæ sunt: *à paucis* quidem, tum propter complexionis indispositionem, qua multi naturaliter ad scientias inepti sunt; tum propter pigritiam humani ingenij à labore abhorrentis. *Post longum tempus*, tum quia scientia de Deo omnium scientiarum naturalium apparatum supponit, & ideo Metaphysica quæ de rebus diuinis disputat, vltimò addiscitur; tum quia status iuuenturis variis passionum motibus fluctuans non parum impeditur, nam animus quiescendo fit sciens, vt ait Philosop. tum propter multiplicia vitæ ciuilis negotia, quibus animus à studijs diuertatur necesse est. Denique *cum admixtione multorum errorum*, illi pauci post incredibiles exantlatos labores ad Diuinorum notitiam peruenirent, tum propter humani intellectus in iudicando debilitatem; tum propter diuersas sapientum opiniones; tum propter sophistarum argutias. Vnde ipsi scientiarum humanarum patres & Coriphæi in tot & tantos errores lapsi sunt. Ergo necessaria est aliquas facultas Diuinæ reuelationi innixa, qua veritates Diuinæ etiam naturaliter cognoscibiles, & *à multis*, & *per breue tempus*, & *absque*

permixtione erroris, comparentur. Quod premiserat Isaias in lege noua futurum, dum ait cap. 54. *ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino.*

Objicies: Multi sunt abusus in Theologia scholastica, tot nimirum inutiles subtilitates quæ citra salutis dispendium ignorari possent & & deberent, cui enim bono tam spinosa Metaphysicarum difficultatum altercatio, quibus *docemur disputare non viuere?* Scholæ namque factionibus plenæ sunt. Ergo Theologia non modo non est necessaria, sed potius est inutilis & noxia.

Respond. cum sapientissimo Theologo Melchiore Cano lib. 8. de locis, plures in multorum Theologorum tractationes irrepsisse abusus, *sunt enim* (inquit) *quidam Theologi ascriptitij qui vniuersas quæstiones friuolis argumentis absoluunt, & pondus rebus grauissimis detrahunt.* In illis Bibliorum testimonia rarissima; Conciliorum mentio nulla; nihil redolet ex Antiquis patribus, nihil ex graui philosophia: & tamen, si superis placet, Theologi vocati sunt, cum nihil aliud egerint, quam sophismatum feces in scholas inferre. Imo fuerunt, & adhuc sunt nonnulli quasi ad discordiam nati, qui tunc optimè disseruisse se putant, cum contra doctiores dixerint. Nec tam verum inuenisse velle videntur, quam concertationibus rixisque totas chartas implere. Sed hic defectus, & mala similia, si quæ sint, non scholæ, sed hominum vitio contigere, & propter nonnullorum excessus non est omnium corona traducenda. Sed hos abusus Deo bene dante præcauebimus. Cæterum Theologia in se spectata, non potest non esse vtilis, cum doceat quemadmodum fides

Catholica & piis opituletur,& aduersus impios, qui eam expugnare moliuntur, defendatur *Disputationis disciplina* (inquit August. lib.2. de Doct.Christ.cap.31.) *ad omnia genera quæstionum quæ in litteris sanctis sunt penetranda & dissoluenda plurimum valet: tantum ibi cauenda est libido vixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi aduersarium.*

Dices: Apost.1. Cor. 1. docet quod Deus *stultam fecit sapientiam huius mundi*, quod *placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* & cap. 2. addit: *Sermo meus non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis; vt fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*: ergo ad salutem sufficit simplex prædicatio fidei, nec requiritur in Ecclesia tanta Theologorum sapientia.

Respond. Deum in nascentis Ecclesiæ exordio ad demonstrandam suæ virtutis omnipotentissimam potestatem noluisse adhibere ad conuersionem orbis prudentes & sapientes sæculi, sed humiles piscatores, vt soli gratiæ Diuinæ, non hominum industriæ tam grande opus tribueretur. Sed in decursu temporis, religione iam propagata, sacri Doctores materias fidei alij cum omnigenis eloquentiæ floribus, alij cunctis argumentorum neruis adornarunt. Addit D. Bern. Serm.36. in cant. Apostolum non id dixisse in fugillationem scientiæ, quasi reprehendere doctos, aut prohibere studia litterarum voluerit, sed solum damnauit nimis affectatam, vel ambitiosius quæsitam humanæ sapientiæ operam & gloriam. *Non ignoro* (inquit) *quantum Ecclesia profuerint litterati sui, siue ad refellendos*

eos qui ex aduerso sunt, siue ad simplices instruendos: legi enim, quia tu repulisti scientiam repellam te: legi, qui docti fuerint fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. Non prohibet ergo Apostolus sapere, sed sapere vult ad sobrietatem, non reprobat scientiam, sed vult nos scire quomodo oporteat scire, nempe quid, quo studio, quo ordine, quo fine, vt ibi mirè prosequitur Bernard.

Reflexio.

Si adeo necessaria est Theologia in Ecclesia, vide quam damnanda sit incuria tua, si sacris dicatus, vel in Ecclesiastica dignitate constitutus, vel saluti animarum instituti tui vocationi addictus scientiam, & sacræ Doctrinæ studium negligis. Quomodo, vti teneris, poteris esse *sal terræ, lux mundi*, quomodo requiretur lex ex ore tuo, & paruulis doctrinæ panem petentibus quomodo franges? Sane sicut recta hominis constitutio duobus oculis, ambabus manibus, binis auribus, vtroque pede consurgit: Sic vir omnis, sed præcipue Ecclesiæ minister scientia & pietate constare debet. Hæ sunt duæ alæ Seraphim iuxta expositionem Bernard. serm. 4. de verb. Isai. *opinor*, inquit, *non incongrue per pennas istas agnitionem & deuotionem intelligi posse, quibus in eum qui supra cælos est, Seraphim rapiuntur.* Cito ruet qui vnâ tantum alâ volare contendit; vbi vero intelligentiam charitas, agnitionem deuotio comitatur, volet securè quisquis huiusmodi est, volet sine fine, quia volat in æternitatem.

SPECVLATIO II.

Theologia est vera scientia, cuius objectum formale est Deus.

PRior pars probatur: Theologia est cognitio certa parta per discursum: ergo est vera scientia, antec. constat. Nam Theologia discurrit circa res diuinas maiori certitudine & firmitate, quam vlla scientia naturalis circa suum obiectum, quia reducit suas conclusiones ad principia omnem naturalem certitudinem excedentia, nimirum ad articulos fidei. Conseq. vero probatur: sufficit ad rationem scientiæ vt per ipsam intellectus firmiter adhæreat vero, nam cum veritas sit finis omnium scientiarum, tunc profecto scientia censenda est habere suam essentialem perfectionem, quando per illam intellectus consequitur veritatem eique firmiter adhæret. Imo ideo solum euidentia actualis exigitur ad perfectionem scientiæ, quia per eam iuuatur intellectus ad hoc vt habeat certiorem & immobiliorem veritatis assensum. Vnde si absque euidentia haberi potest talis firma certitudo, sine illa etiam obtinebitur perfectio essentialis scientiæ. Ergo si Theologia sit cognitio certa parta per discursum, est etiam vera scientia.

Ex quibus solutum manet præcipuum argumentum oppositæ sententiæ, quod in illa carentia euidentiæ innititur. Nam quamuis ad perfectum statum scientiæ exigatur euidentia, vt intellectus adhæreat veritati non solum for-

citer sed etiam suauiter; tamen hoc non requiritur ad perfectionem essentialem, modò certitudine immobili gaudeat. Adde quod licet Theologia per accidens sit obscura, quia in nobis conjungitur fidei quæ est, *argumentum non apparentium*, vt ait Paulus, & *lucerna lucens in caliginoso loco*, vt dicit Petrus: tamen Theologia per se postulat euidentiam, & coniungi cum lumine gloriæ, cui subalternari posteà dicemus. Vnde non desinit habere veram scientiæ rationem; sicut habitus qui per accidens ex dispositione subiecti esset facile mobilis, non desineret esse verus habitus, si per se exigeret firma & immobilia principia. Ex quibus etiam intelliges quid sibi velint Aristoteles & D. Thom. cum ad scientiam requirunt euidentiam. Nam vel loquuntur de scientia in statu perfecto, vel de euidentia aptitudinali, quam debet habere omnis scientia inclinando ad euidentiam actualem.

Objicies: Illa facultas non est scientia, sed opinio, quæ elicit actus opinatiuos. Sed Theologia elicit multos actus opinatiuos, vt cum discurrit circa conclusiones probabiles de quibus sunt tot Doctorum sententiæ, quæ sane discordia argumento est de illis dari solam opinionem, non certitudinem conuincentem: ergo Theologia non est scientia.

Huic argumento respondent multi etiam Thomistæ, habitum scientiæ elicere actus opinatiuos non primariò, sed secundariò & minus principaliter, non defectu scientiæ, sed scientis; sicut generans non semper producit effectum perfectum, sed aliquando imperfectum & monstruosum ob aliquod impedimentum vel incapacitatem materiæ. Verum hæc solutio ingen-

tes patitur difficultates. 1. ex illa sequitur nullum dari habitum opinatiuum contra omnes dialecticos in libris posteriorum, siquidem scientia omnis poterit secundariò se extendere ad actus opinatiuos intra sphæram sui objecti. 2. implicat potentiam vel habitum ferri extra suum objectum formale specificatinum: Objectum autem formale & specificatiuum scientiæ est verum certo, & immobiliter notum per medium infallibile; objectum vero opinionis est verum cum formidine cognitum, & per medium fallibile & nutans. Demum actus opinatiui sæpe repetiti generant habitum, vel perficiunt precedentem: sed non perficiunt habitum scientiæ: ergo generant habitum opinionis, qui postea similes actus opinionis elicit. Vnde.

Respond. Theologiam & cœteras omnes scientias habere sibi adjunctos habitus opinatiuos subordinatos & veluti ministrantes, quorum est elicere actus opinatiuos pertinentes ad objectum talis scientiæ. Nec propterea dicendum erit dari plures Theologias, quia habibitus opinatiuus scientifico subjicitur, & deseruit in ordine ad idem obiectum, & teste Philosopho, *vbi sunt plura propter vnum, ibi est vnum tantum.*

Objicies iterum: scientia non agit de singularibus, nec de contingentibus; sed tantum de vniuersalibus, & necessariis. At Theologia agit de Deo entium singulariſſimo, & de actibus humanis vtique contingentibus: ergo non est scientia.

Respond. Quod licet non possit dari scientia de singularibus creatis quæ infallibilem certitudinem non habent, sed variabilem & contin-

gentem, potest tamen dari scientia de singulari necessario qualis est Deus, imo & de aliis quibuscunque singularibus reuelatis, quibus Diuina veritas immobilem præbet certitudinis firmitatem. De actibus autem humanis agit Theologia in communi; de casibus vero particularibus, ex principiis inconcussis legis æternæ, Euangelij, & Traditionis Ecclesiæ, quibus nihil firmius & fundatius.

Posterior pars quæ tradit obiectum Theologiæ, sic ostenditur: Illud dicitur à philosophis obiectum formale & specificatiuum alicuius scientiæ, cuius cognitio principaliter quæritur, & ad quod reducuntur omnia quæ traduntur in tali disciplina. Atqui id quod principaliter inquirit Theologia, est cognitio Deitatis; & ea quæcunque tractat reducit ad Deum, vel tamquam pertinens adpsummet per modum proprietatis, vt cum agit de attributis, & personis Diuinis; vel per modum effectus, cum ad creaturas descendit; vel tamquam media ad Deum perducentia, vel abducentia, vt cum edisserit de virtutibus, vitiis, gratia, legibus, Sacramentis: ergo Theologia habet Deum pro obiecto formali & specificatiuo.

Objicies: Ad rationem obiecti specificatiui & totalis requiritur quod possit prædicari de omnibus partibus scientiæ, sicut ens naturale prædicatur de omnibus partibus physicæ, ens rationis de omnibus & singulis Logicæ partibus. Atqui Deus non potest prædicari de omnibus partibus Theologiæ, imo de nullo nisi de seipso: ergo licet sit præcipua pars obiecti Theologiæ, non est tamen obiectum formale totale, sed potius ens Diuinum cognoscibile per

reuelationem vt etiam tradit S. Thom. quæst. 1. prologi lib. 1. sent.

Respond. Non esse necesse vt obiectum formale prædicetur in recto de omnibus quæ traduntur in scientia, sed sufficere quod prædicetur in obliquo, vt loquuntur, id est, requiritur vt omnia quæ Theologus tractat, in ordine ad Deum consideret v. g. non est necesse quod Deus prædicetur de virtutibus, sed requiritur vt Theologus agat de virtutibus prout dicunt ordinem ad Deum, aliàs pertinet ad æthicam de eis disputare. Sicut licet Charitas alia præter Deum amet de quibus Deus non prædicatur, solus tamen Deus summè dilectus est obiectum charitatis, quia nihil diligit nisi in ordine ad Deum. Fateor tamen obiectum extensiuum prout amplectitur formale & materiale esse ens Diuinum, vel ens reuelabile, & de huiusmodi obiecto loquitur S. Thom. loco citato Sentent.

Reflexio.

Vide quam pura sit & immaculata Theologiæ nostræ occupatio. Deum solum quærit, nec aliud quodcumque obiectum qualiber dignitate insigne ne quidem inspicere dignaretur, nisi in illo Diuinus quidam ordo & veluti radius eniteret. Vera Diuinæ scientiæ æmulatrix quæ primario essentiam Diuinam tamquam obiectum vnicum contemplata, inde ad creaturas diuinam eminentiam deficienter adumbrantes secundariò fertur. Hic etiam vnicus Christianæ perfectionis scopus. *Quærere primùm regnum Dei*: Cæteris vero eatenùs attendere, quatenùs ad gloriam Dei perducunt. Eleganter nec mi-

nus piè D. Leo Serm. 5. ieiun. 7. men. c. 3. *Duo amores sunt, ex quibus duæ prodeunt voluntates, ita diuersi qualitatibus sicut diuiduntur auctoribus. Rationalis enim animus qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est aut mundi: in dilectione Dei nulla nimia; in amore mundi cuncta sunt noxia: & ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus vero transeunter vtendum est; vt peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi huius occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis.*

SPECVLATIO III.

Theologia sub Diuina reuelatione virtuali, & veluti Magisterio procedit; vnde est vna simpliciter scientia.

PRima pars vt intelligatur, sciendum præter objectum *quòd* consideratur ab aliqua scientia, debere etiam assignari rationem *sub qua* procedit, seu lumen, & principia quibus dirigitur ad tale objectum contemplandum. Sicut potentia visiua considerat pro objecto formali coloratum; ratio vero *sub qua* illud inspicit est lux; sic physica considerat corpus sub ratione mobilis; Medicina sub ratione sanabilis. Quo supposito.

Probatur ex discrimine quod fidem inter, visionem beatam, Metaphysicam, & Theologiam

noſtram inuenitur, quæ enumerata licet in hoc conueniant quod Deum reſpiciunt, in hoc tamen differunt, quod diuerſo calle procedunt, & ſub diuerſo lumine ad Deum tendunt. Fides enim Deũ inſpicit ſub lumine immediatæ reuelationis, nullo enim inclinatur motiuo vt credat Deum eſſe Trinum, niſi quia Deus reuelauit. Viſio beata Deum intuetur per lumen gloriæ, quo perfunditur intellectus beatus. Diuinam eſſentiam vt in ſe eſt detegens. Metaphyſica vero de Deo diſputat lumine ex creaturis mendicato. At vero Theologia noſtra circa Deum occupatur lumine ex principiis reuelatis, mediante diſcurſu emanante. Ergo merito diximus reuelationem virtualem ſeu mediatam eſſe rationem ſub qua Theologiæ, qua virtus & efficacia aſſenſus fidei circa articulum reuelatum fluit & tranſit mediante diſcurſu vſque ad aſſenſum concluſionis legitimè deductæ v.g. iſti propoſitioni *Chriſtus eſt homo* aſſentior immediate per fidem quia conceptis verbis habetur in ſcripturis: Iſti vero *Chriſtus eſt riſibilis* aſſentior, quia Deus reuelando primam reuelauit etiam virtualiter ſecundam, quæ per diſcurſum neceſſario ex prima profluit, & hoc eſt quod intelligimus nomine *reuelationis virtualis, & Magiſterij Diuini.* Ex quibus ſine vllo negotio ſolues quidquid opponi poſſet contra hanc partem.

Secunda pars habet plures aduerſarios extra ſcholam S. Thom. qui credunt omnem ſcientiam totalem, ſubindeque Theologiam ipſam conſtare multis habitibus partialibus, qui diuerſis demonſtrationum actibus gignuntur, & vniuntur inter ſe vel per realem vnionem, vt quidam volunt, vel per aggregationem ſolum,

cum aliqua tamen subordinatione, eo fere modo quo temperamentum hominis dicitur vnum licet constet ex multis realiter distinctis. Sententia tamen quam tradit D. Thom. hic art. 3. & vbicumque tractat de vnitate habituum & scientiarum.

Probatur & à priori, & à posteriori. A priori quidem quia Theologia licet agat de multis, ea tamen omnia considerat in ordine ad Deum, & quatenus Diuina reuelatione innotescunt. Ergo verè est vna specie scientia. Antec. patet ex dictis specul. præced. & 1. parte istius. Conseq. vero probatur: habitus non distinguntur nec multiplicantur nisi penes distinctionem obiectorum formalium, & penes diuersam rationem sub qua illa attingunt, vt est communis doctrina philosophorum, qui numquam adinuenerunt certiorem regulam ad discernendam diuersitatem vel vnitatem scientiarum, vel habituum, vel potentiarum. Sed si Theologia omnia considerat in ordine ad Deum & sub lumine Diuinæ reuelationis vnicum habet obiectum formale, vt ex hactenus dictis est apertum: ergo est vnica specie & indiuisibilis scientia.

Confirmatur à posteriori & simul præoccupantur aduersariorum obiecta. Sufficit indiuisibilis qualitas in Theologia vt se extendat ad omnes conclusiones quas elicit in toto suo decursu: ergo non sunt plures admittendi habitus, consec. patet, frustra enim fit per plura quod potest fieri per pauciora, nec sunt multiplicanda entia sine necessitate. Antec. vero ostenditur. Vna & eadem potentia intellectiua realiter indiuisibilis, potest se extendere ad plura

& diuerſiſſima intelligibilia, licet vnum ſit alio difficilius : Eadem potentia viſiua ad omnia viſibilia: vnus habitus infuſus ad plura contenta intra ſuum obiectum, putà eadem fides ad omnia credibilia, licet diſtinctæ ſint in diuerſis articulis difficultates : Eadem Charitas ad omnia diligibilia licet difficilius ſit diligere inimicum quam amicum : eadem prudentia ad omnia agibilia, quantumuis in diuerſis materiis nouæ occurrant difficultates euincendæ. Ergo ſimiliter vna & eadem indiuiſibilis Theologia poterit ſe extendere ad omnes concluſiones contentas intra ſphæram ſui obiecti: nam ideo illa omnia recenſita ſunt vnica qualitas, quia feruntur in obiecta ſua partialia ſub vna ratione formali omnibus communi, quantumcunque emergant diuerſæ difficultates. Quidni ſimiliter Theologia erit vna, licet feratur ad plures concluſiones intra ambitum ſui objecti comprehenſas quantumuis vna ſit alia difficilior ? in qua noua difficultate innitur præcipuum oppoſitæ ſententiæ fundamentum, ad quod proinde reſponſum manet.

Confirmatur amplius : Si Theologia non eſſet ſimplex qualitas, ſed conſtaret pluribus partialibus, non eſſet ens per ſe, ſed per accidens & per aggregationem ; ſiquidem conſtaret pluribus habitibus completis, nam primus habitus per primam demonſtrationem generatus, vere ponitur in prædicamento qualitatis, & ſimiliter ſecundus, ex pluribus autem entibus completis non poteſt fieri ens per ſe ſed per accidens. Atqui Theologia non poteſt dici ens per accidens, & per aggregationem (quidquid dicant aliqui moderni, id vltro admitten-

tes de omni scientia totali) eo modo quo acer-uus lapidum, vel temperamentum; quia sic de-struitur omnino vnitas scientiarum, & eadem facilitate dicere poterunt omnes scientias esse vnicam scientiam, omnes virtutes esse vnicam virtutem, vtpote in eodem intellectu, vel vo-luntate congregatas. Ergo.

Pro pleniori solutione obiectionum, habet semper præ oculis omnia aduersariorum argu-menta posse in ipsos retorqueri, quatenus ad-mittunt potentias naturales, & habitus infusos esse simplices qualitates.

Obijcies: Illa scientia non est vnica quæ habet multiplicitatem partium. Sed Theo-logia habet multiplicitatem partium, alia enim pars, agit de Deo, alia de Angelis, alia de ho-minibus, &c. Ergo Theologia non est vnica.

Confirmatur: vbi sunt diuersæ difficulta-tes, ibi ponendi sunt diuersi habitus, non enim dantur habitus nisi ad eas superandas. Atqui sæpe Theologus habet facilitatem ad vnam conclusionem pariens difficultatem circa aliam, vt experientia compertum est: ergo in Theo-logia sunt diuersi partiales habitus.

Confirmatur secundò: In Theologia dantur plures actus & demonstrationes diuersissimæ. Sed quælibet demonstratio producit suum ha-bitum partialem facilitantem ad similes actus; non enim est potior ratio, cur vna producat habitum magis quam altera: igitur idem quod prius.

Respondeo, quod si hæc argumenta aliquid probarent, concluderent etiam dari vnum in-tellectum de vniuersalibus, alium de singulari-bus, aliam charitatem circa amicum, aliam

circa inimicum, cum sint diuersi actus eliciendi distinctęque difficultates in eliciendis illis actibus: & certe si in moralibus tot essent virtutes quot sunt eorum actus diuersi & materiæ indistinctæ, admittendæ essent innumeræ misericordiæ, & iustitiæ, quod est reddere virtutes monstruosas. Nam, vt lepidè ait Soto, quis dixerit esse plures habitus iustitiæ in Mercatore, alium ad emendum frumentum alium ad vendendum vinum, & singulis nundinis nouos sibi habitus comparare? Itaque sufficit vnicus habitus qui semel acquisitus ad omnia alia se extendit quæ in eadem ratione formali obiecti conueniunt, sicque idem habitus Theologiæ agit de Deo, Angelis & hominibus.

Ad primam Confirmationem: Respondeo habitus non multiplicari propter nouas difficultates accidentales, quæ proueniunt ex defectu applicationis rationis formalis ad tale obiectum, vel defectu exercitij remouentis impedimenta, vel ex alia circumstantia quæ se tenet ex parte operantis, qui forte nondum comparauit vel ordinauit sufficientes species, alias tot essent habitus quot species rerum ordinandæ; solum ergo debent multiplicari habitus propter nouam difficultatem essentialem, & est illa quæ prouenit ex diuersa ratione formali obiecti. Difficultates autem allegatæ sunt tantum accidentales, quæ non exigunt noui habitus productionem, sed vsum, & exercitium præcedentis. Quæ difficultas accidentalis non est contra rationem habitus, vt patet in virtutibus infusis in Sacramentis, & iustificatione, quæ non tollunt huiusmodi accidentalia impedimenta.

Ad secundam confirmationem simili distinctione respondetur, dari in Theologia plures demonstrationes pertinentes ad idem formale objectum, non ad diuersum, vnde secunda demonstratio si inuenit habitum productum ipsum non generat, sed extendit ad nouam conclusionem, sicut lux extenditur ad illustrandos diuersos colores, non additione lucis, sed noua sui applicatione: Sicut anima extenditur ad informandas diuersas partes materiæ, non additione sui, sed incremento materiæ cui applicatur; sicut relatio prædicamentalis fertur ad plures terminos materiales, inuariata manens; sicut charitas amans amicum, inimicum etiam amplectitur, & sic de aliis. Ex quo fit etiam quod cum quis amittit facilitatem circa primam conclusionem cuius obliuiscitur, remanente memoria circa alias, non propterea corrumpitur habitus, sed solum desinit se extendere ad illam, sicut non perit anima, dum desinit informare brachium aridum.

Reflexio.

Si Theologia nostra Deum vnicè consideret, si omnia reducit ad Deum, si Diuino solum lumine procedit, vt per hoc vna sit, profecto non Theologus dicendus es, si aliquid extra Deum tuis in studiis vel actibus quæras. Nec vnicus eris, sed multiplex, foris Theologus, intus paganus, similis eis de quibus dicitur *in corde & corde loquuti sunt*, & rursum, *væ duplici corde*, quia dum ad multa cor nostrum dilabitur, continuo diuiditur, & multiplex euadit. Verus Theologus D. Thomas, qui Christo

opera ſua inaugurianti & quam vellet mercedem ſciſcitanti reſpondit *non aliam niſi teipſum.* Vide etiam quo lumine procedebat de quo ſcriptum eſt. *Numquam ſe lectioni aut ſcriptioni dedit niſi poſt orationem.* Legerat nimirum præclarum illud Auguſtini monitum in Pſalm. 146. *Ex luce Dei conſilium nobis demus.* Id eſt omnia lumine Diuino inſpiciamus, ſingula præuiá oratione reſoluamus; in dubiis non fallacem humanæ rationis regulam, vel mendaces filiorum hominum ſtateras, ſed Deum conſulamus. Vt impleamus illud Pſalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Sic erimus veri Theologi, & ſub Diuino magiſterio vnitatem illam obtinebimus qua Deum ipſum vulnerabimus, dicit enim de anima contemplante & quærente ſe, *vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.*

CAPVT II.

Variæ Theologiæ dotes percenſentur.

TAm nobilem Theologiæ naturam, quæ ex obiecti dignitate penſatur, non poteſt non comitari innumerabilis honeſtas proprietatum. Eas ad quinque reduco. Primò, ſcientiæ Dei & beatorum ſubalternatur. 2. Eſt formaliter eminenter ſpeculatiuo-practica. 3. Eſt vera ſapientia. 4. Eſt certior omni habitu & ſcientia naturali. 5. Eſt entitatiuè ſupernaturalis.

Specvlatio I.

Theologia scientiæ Dei & beatorum subalternatur; estque formaliter simul & eminenter speculativo-practica.

PRima pars seu prima prærogativa vt suadeatur, sciendum quod sicut scientia subalternans est illa quæ sub se aliam continet, ita subalternata est ea quæ sub alia continetur. Tribus autem modis potest vna scientia contineri sub alia, primò ratione finis, quando scilicet finis vnius subordinatur fini alterius, v.g. finis artis dolandi lapides subordinatur finis artis ædificatoriæ, quod est ædificium. Secundò ratione principiorum quando vna scientia mutuatur aliquod principium ab altera, licet habeat sua propria, sic omnes scientiæ, possunt dici subalternatæ Metaphysicæ, à qua omnes aliquod principium desumunt. Quod si omnia omnino principia ab alia accipiat, ei strictè subalternabitur. 3. Ratione obiecti, quando objectum vnius continetur sub obiecto alterius, vel potius est ipsummet obiectum scientiæ superioris addens aliquam differentiam accidentalem, sic Musica subalternatur Atithmeticæ quia supra numerum qui est obiectum istius, addit differentiam harmonici vel Sonori: Objectum enim Musicæ est numerus sonorus. Iam.

Probatur: Theologia habet illa omnia enumerata respectu scientiæ Dei & Beatorum

quæ diximus conuenire ſcientiis ſubalternatis : Nam habet eundem finem qui eſt cognitio ſummæ veritatis vt eſt in ſe; deſumit etiam omnia ſua principia à Deo qui nobis illa communicat per fidem; habet etiam idem obiectum cum aliqua differentia accidentali nempe Deum ſub lumine reuelationis virtualis cognitum, accidentale enim eſt Deo cognoſcibili, quod cognoſcatur vel per lumen gloriæ, vel per lumen fidei : ergo Theologia propriæ ſcientiæ Dei & Beatorum ſubordinatur.

Sed dices : ſi Theologia ſubordinaretur ſcientiæ beatæ maneret in patria, omnis enim ſcientia ſubalternata petit naturaliter conjungi ſuæ ſubalternanti, vt ab ea perficiatur, vtque ſibi innoteſcant principia, quæ credit. Sed Theologia non perſeuerat in patria, quia cum ſit filia fidei eſt habitus obſcurus, proindeque incompatibilis cum clara uiſione. Ergo Theologia non ſubalternatur ſcientiæ beatorum.

Reſpon. Fatendo Theologiam noſtram, perſeuerare in patria, juxta tritum illud Hieronymi Epiſt. ad Paul. pronuntiatum, *diſcamus in terris talem ſcientiam qua nobiſcum perſeueret in cœlis.* Neque enim Theologia eſt eſſentialiter obſcura ſicut fides, ſed per accidens ratione ſtatus quem habet in intellectu noſtro, qui quamdiu peregrinatur à Domino, Diuina cernit in ænigmate : quas omnes obſcuritatis tenebras ab ea expellet viſio clara Dei. Et tunc implebitur illud Apoſtoli *ſiue ſcientia deſtruetur*, quod tamen permiſſiuè non abſolutè pronuntiat, ſed quidquid ſit, id intelligitur de deſtructione imperfectionis ſcientiarum no-

ſtrarum quæ tunc euacuabitur.

Vrgebis. Habitus productus per actus eſſentialiter obſcuros eſt eſſentialiter obſcurus, omne enim agens producit ſibi ſimile. Sed Theologia gignitur mediis actibus fidei qui ſunt eſſentialiter obſcuri: Ergo Theologia eſt eſſentialiter obſcura ſicut fides.

Reſpond. Actus fidei non generare habitum Theologiæ ratione obſcuritatis quam habent, ſed per tendentiam in objectum quam important,& in qua producunt ſibi ſimile,vnde Theologia non eſt eſſentialiter obſcura ſicut eſt fides. Quemadmodum habitus charitatis gignitur ad actibus amoris Dei non prout ſunt liberi, ſed prout tendunt in Deum ſummè dilectum. Vnde habitus charitatis non eſt eſſentialiter liber, ſed tantum id habet in via, in patria vero in qua perſeuerat (nam *charitas nunquam excidit*) fit neceſſaria, cum apparet omnimoda ratio boni.

Secunda pars ſeu alterum Theologiæ priuilegium ſic probatur:Theologia non ſiſtit in ſola contemplatione ſui objecti, ſed inſuper ſe extendit ad operationes quas dirigit: neque enim diuinas veritates otiosè ſolum ſpeculatur, ſed etiam tradit normam bonæ & Chriſtianæ operationis, atque principia rectè viuendi. Quorum omnium radix eſt, quia Deus, qui eſt ejus objectum, eſt prima veritas & vltimus finis; ſupremum intelligibile & ſummum bonum. Ergo eſt ſimul objectum ſpeculationis, & regula indefectibilis actuum humanorum qui à fine diriguntur. Atqui rationes quæ ſunt in obiecto formali reſplendent in habitu ipſum contemplante. Ergo vtramque rationem ſpeculationis & praxeos Theologia adunat.

Et ſane

Et ſane ſi Metaphyſica eſt ſpeculatiua quia primam veritatem contemplatur; ſi moralis eſt practica quia de vltimo fine mediiſque ad ipſum ducentibus differit, Theologia quæ vtrúmque præſtat, dicetur ſpeculatiuo-practica, eo pacto quo anima rationalis eſt formaliter eminenter vegetatiua, ſenſitiua, & intellectualis; & quo lux Solis dicitur virtus calefactiua, liquefactiua, illuminatiua.

Obiicies: Illa ſcientia non eſt practica cuius obiectum non eſt operabile: ſed Deus, qui eſt obiectum Theologiæ, non eſt operabilis. Ergo Theologia non eſt practico-ſpeculatiua.

Reſpond. Quod ſicut teſte D. Auguſtino ad Deum non accedimus greſſibus corporis, ſed mentis affectibus; ita Deus non eſt operabilis phyſicè, ſed moraliter, quatenus eſt bonis & Chriſtianis actibus aſſequibilis, viſione tandem & fruitione poſſidendus. Vnde Bern. ponderans illud Pſalm. 33. *accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur*, ait Serm. 31. in Cant. *Accedendum ad eum non irruendum, ne irruerens ſcrutator maieſtatis opprimatur à gloria. Nec locis ſane accedendam ſed claritatibus, ipſiſque non corporeis ſed ſpiritualibus tanquam à Domini Spiritu. Qui itaque clarior, ille propinquior: eſſe autem clariſſimum peruenisſe eſt.*

Fateor quidem cum D. Thoma Theologiam eſſe magis ſpeculatiuam quam practicam, quia magis & diutius in Diuinis contemplandis immoratur: non tamen illis aſſentior, qui credunt in quolibet actu Theologico relucere rationem ſpeculationis & praxis. Quid enim praxeos habet hæc ſpeculatio. *In Deo ſunt quatuor relatione*? neque eſt neceſſe quod adx-

quata ratio formalis obiecti & habitus in quolibet actu resplendeat, sicut nec quilibet actus animæ rationalis est simul vegetatio, sensatio, & intellectio.

REFLEXIO.

Si Theologia speculativa simul & practica sit, certo scias te nunquam absolutum Theologum euasurum, quamdiu Theoriam non reduces ad opus. Theologia est filia fidei quæ sine operibus mortua est; & eius discipula præceptoris qui *cæpit facere & docere.* Illis qui discunt & non faciunt applicat Greg. illud Ezech. 34. *Cum ipsi limpidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis, & oues meæ quæ pedes vestri turbauerant hæc bibebant.* Quæ sic explicat 1. part. past. cap. 2. *Aquam limpidissimam pastores bibunt, cum fluenta veritatis rectè intelligentes hauriunt. Sed eandem aquam pedibus conturbare, est sanctæ meditationis studia malè viuendo corrumpere. Aquam eorum turbatam pedibus oues bibunt, cum subiecti quique non sectantur verba quæ audiunt, sed sola quæ conspiciunt opera prauitatis imitantur.* Succinit egregiè Bern. Serm. 69. in Cantic. *Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, illud prius tibi noueris persuasisse. Validior operis, quam oris vox.* Et Serm. 36. *Cibus indigestus & qui bonam non habet decoctionem malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus transfusa, nonne illa scientia reputabitur in peccatum? an non inflationes & torsiones in conscientia sustinebit qui huiusmodi est, sciens videlicet bonum & non faciens?*

SPECVLATIO II.

Theologia eſt certior omni habitu & ſcientia naturali ; eſt etiam vera ſapientia.

PRima pars tradit tertium Theologiæ Encomium & probatur. Illa ſcientia eſt certior, quæ vtitur medio magis vero, infallibili & inuariabili. Sed Theologia in deducendis ſuis concluſionibus vtitur mediis infallibilioribus, quam ſint quæcumque principia naturaliter nota, nempe articulis fide Diuina creditis, & reuelatis à Spiritu ſancto, qui eſt cauſa firmior & immobilior quam natura , quæ nos inclinat ad aſſenſum primorum principiorum. Ergo certitudo Theologiæ tranſcendit omnem certitudinem ſcientiæ & cognitionis cuiuſuis naturalis, cùm ſui innixa verbo Dei immutabili.

Confirmatur : aſſenſus fidei eſt certior omni aſsẽſu naturali, vt alias dicetur, & de eo ſic loquitur Bern. in Epiſt. ad Innoc. c. 4. *Abſit vt putemus in fide aliquod dubia æſtimatione pendulum, & non magis totum quod in ea eſt certa ac ſolida veritate ſubnixum , oraculis & miraculis Diuinitus perſuaſum , ſtbilitum partu Virginis, ſanguine Redemptoris , gloria Reſurgentis. Teſtimonia illa credibilia facta ſunt nimis. Scio cui & certus ſum clamat Apoſtolus, & tu mihi ambiguum garris quo nihil eſt certius. Accademicorum ſunt iſta æſtimationes quorum eſt dubitare de omnibus , ſcire nihil :* ergo & aſſenſus Theologiæ , nam firmitas principij

diffunditur & communicatur conclusioni ex ipsa legitimè deductæ.

Confirmatur rursus præclara doctrina D. Thomæ, qua tota hæc difficultas elucidatur. *Dicendum* (inquit secundò, secundæ, quæst. 4. a. 8.) *quod ceteris paribus visio est certior auditu: Sed si ille à quo auditur excedit visum videntis, sic certior est auditus quam visus: Sicut aliquis paruæ scientiæ magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur. Et multo magis homo certior est de eo quod audit à Deo qui falli non potest quam de eo quod videt propria ratione quæ falli potest.* Igitur certitudo Theologiæ quæ fundatur in articulis auditis à Deo, vel ab Vnigenito qui est in sinu Patris, major est certitudine cujuscumque cognitionis naturalis. Vnde intrepide dicebat Aug. lib. 7. conf. cap. 10. *facilius dubitarem viuere me* (quæ tamen est veritas omnium naturalium notissima & maximè sensibilis) *quam esse verax quia audiui.*

Objicies. Theologus interdum patitur nonnullos dubitationis motus, tum circa principia fidei, tum circa conclusiones ex ijs necessario illatas, quos non experitur habens scientiam naturalem, cujus intellectus quietè adhæret veritati: sed vbi est motus vacillationis & fluctuationis non est firmitas. Ergo Theologia non habet omnimodam firmitatem.

Respond. Illos titubantis animi fluctus non ex debilitate motiuorum Theologiæ quæ immobilia sunt, prouenire; Sed ex infirmitate intellectus qui solet esse inquietus donec videat & clare veritatem intueatur. Certitudo autem scientiæ, sicut & natura habituum non ex sub-

jecti disposítione, sed ex motiuorum & principiorum stabili & inconcussa firmitate pensanda est. Itaque argumentum probat dumtaxat certitudinem scientiæ naturalis esse connaturaliorem & conformiorem intellectui, qui semper prætendit veritatem videre, quod obscuritas fidei non permittit, cum potius in sui obsequium intellectum captiuet & captiuando non ita suauiter, pacet facultatem subiectionis impatientem, perspicuitatis amicam.

Secunda pars quæ tradit quartum Theologiæ caracterem, probatur. Sapientia est cognitio rerum per altissimas causas, vt in genere ædificij ille dicitur sapiens qui præsidet ministris inferioribus qui dolant ligna vel parant lapides: In moralibus ille dicitur sapiens qui ordinat actus humanos in vltimum finem. Atqui Theologia considerat causam omnium altissimam scilicet Deum, & per altissimas rationes scilicet per articulos fidei, quos caro & sanguis non reuelauit, sed Pater qui est in cælis per vnigenitum qui est in sinu suo, in quibus continentur motiua omnem humanam rationem transcendentia. Ergo Theologia est vera sapientia.

Confirmatur. Proprium est sapientiæ ferre Iudicium de aliis iuxta illud Apostoli 1. Cor. 2. *Spiritualis homo iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* Et ratio est quia cum sapiens res omnes in altioribus principiis consideret, ad ipsum pertinet de inferioribus ferre sententiam. Atqui hoc prestat Theologia, quæ non solum infert conclusiones ex principiis & articulis fidei, quod proprium est scientiæ, sed etiam principia aliarum scientiarum examinat & in fidei obsequium captiuat: Quin etiam ipsorum

articulorum fidei credibilitatem explicat, declarat, defendit : qua in re licet absolutè fidei discipula sit, quoddam tamen in ipsam fidem exercet magisterium, quatenus illam suasibilem reddit, eius difficultates explanat hæreticorum oppositionibus resistit, vt omnes perueniant ad notitiam veritatis quæ est vltimus finis creaturæ rationalis, & consequenter vera sapientis occupatio. Ergo Theologia est perfectissima sapientia.

Reflexio.

Si sapientia de omnibus iudicat ille vere Sapiens erit & solidus Theologus, cui res sapient prout sunt, vt scilicet meliora pluris; minora minus, minima minime æstimet, quia igitur Deus, summum bonum est, & ea meliora quæ magis ad Deum accedunt, profecto ille sapiens est cui Deus super omnia, cætera vero in ordine ad Deum sapiunt, implens præceptum Apostoli dicentis Colos. 3. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Hanc solidæ sapientiæ maximam tradit Bern. Serm. 50. in Cant. *Quis sapiens & intelliget hæc? Da mihi hominem, qui ante omnia quidem ex toto se diligat Deum: se vero & proximum inquantum diligunt ipsum Deum, inimicum autem tanquam aliquando forsitam dilecturum: Porro parentes carnis suæ germanis Propter naturam, spirituales vero eruditores suos profusius propter gratiam, atque in hunc modum ad cætera quæque Dei ordinato intendat amore, despiciens terram, suspiciens cælum, vtens hoc mundo tamquam non vtens, & inter vtenda & fruenda intimo quodam sapore discernens, vt transitoria*

transitoriè, & ad id dumtaxat quod opus & prout opus est curet, æterna desiderio amplectatur æterno; talem inquam da mihi hominem, & ego audacter illum sapientem pronuncio. Cui nimirum quæque res reuera sapiunt prout sunt, & cui in veritate atque securitate competit gloriari & dicere quia ordinauit in me charitatem. Sed vbi ille, aut quando ista? Examinate & respondeo Lector.

SPECVLATIO III.

Habet insuper Theologia quod sit entitatiuè supernaturalis.

HÆc quinta Theologiæ excellentia, est magis controuersa plures enim asserunt Theologiam esse dumtaxat radicaliter, originatiuè, & præsuppositiuè supernaturalem, quatenus tota innititur articulis fidei vtique supernaturalibus, circa quos exponendos illustrandosque occupatur, & ex quibus suas deducit conclusiones. Cæterum negant ipsam esse entitatiuè supernaturalem. Sed nos opinamur quod si sit radicaliter supernaturalis est etiam entitatiuè talis. Nam vt dicitur Rom. 2. *Si radix sancta & rami.*

Probatur primò à priori. Illa scientia est entitatiuè supernaturalis, cuius obiectum specificatiuum est supernaturale, & cuius ratio formalis sub qua illud considerat est etiam supernaturalis. Atqui obiectum Theologiæ est supernaturale; ratio etiam sub qua illud contemplatur est pariter supernaturalis. Ergo Theolo-

gia est entitatiuè supernaturalis. Maior est in confesso apud omnes, quale enim obiectum formale, talis est scientia & habitus; & planè repugnat quod aliqua potentia vel habitus entitatiuè naturalis respiciat obiectum supernaturale tamquam sibi proprium connaturale, & proportionatum. Minor etiam videtur manifesta: nam obiectum Theologiæ est Deus consideratus secundum illas rationes quæ superant omnem naturam creatam vel creabilem, vno verbo prout cognoscitur à fide, quæ vtique fertur ad Deum vt authorem supernaturalem. Ratio etiam sub qua Thologia Deum contemplatur est quoque supernaturalis, per hoc enim distinguitur à Metaphysica quod ista agit quidem de Deo, sed lumine à rebus naturalibus mutuato, & quoad rationes ex creaturis cognoscibiles: At vero Theologia de Deo tractat sub lumine Diuinæ reuelationis, nec aliis principiis, mediis, aut motiuis vtitur quam articulis supernaturalibus fidei.

Confirmatur: Præmissæ vere & realiter influunt in conclusionem in genere causæ efficientis, vt docetur in Logica. Ergo præmissa supernaturalis non potest non influere supernaturalitatem in conclusionem à se deriuatam, causa enim efficiens id dat quod habet, & producit sibi simile quantum potest. Atqui præmissæ Theologiæ sunt supernaturales cum sint ipsi articuli fidei diuinæ. Ergo conclusiones Theologicæ ex eis necessario deductæ erunt verè supernaturales. Atque adeo habitus Theologiæ huiusmodi assensibus productus, & similes producens erit entitatiuè supernaturalis; facultas enim quæ habet & obiectum super-

naturale, & motiua ſupernaturalia, ſi ſupernaturalis non ſit, nihil erit quod entitatiuè ſupernaturale dici poſſit.

Reſpondent, Theologiam agere quidem de Deo rebuſque ſupernaturalibus, atque etiam ex articulis fidei procedere, ſed mediante diſcurſu naturali, vnde ipſam eſſe entitatiue naturalem. Adduntque articulos fidei dupliciter conſiderari, primò in ſe vt dicunt ordinem ad primam veritatem reuelantem, ſecundò quatenus dicunt ordinem ad concluſiones, primo modo, aiunt, principia Theologiæ eſſe ſupernaturalia, non ſecundo, prout ſcilicet dicunt ordinem ad concluſionem.

Sed contra: Licet Theologus vtatur diſcurſu, tamen ratio & motiuum aſſentiendi concluſioni deductæ non eſt diſcurſus, ſed veritas fidei per diſcurſum applicata, ſicut ratio calefaciendi in igne non eſt approximatio, ſed calor per approximationem applatus. Atqui ratio formalis ſcientiæ penſanda eſt ex motiuo formali aſſentiendi, non ex diſcurſu applicante, vt patet in ſillogiſmo probabili producente opinionis habitum, & in demonſtratiuo producente ſcientiam, quia licet vterque habitus producatur per diſcurſum, medium tamen in vtroque ſyllogiſmo eſt diuerſum, ex quo promanat diuerſus habitus. Ergo Theologia cuius ratio formalis & motiuum vnicum propter quod aſſentitur concluſionibus ſupernaturale eſt, ſupernaturalitatem obtinebit quamuis diſcurſus ſit naturalis.

Confirmatur radicituſque euellitur æquiuocatio, qua oppoſita ſententia laborare videtur. Certum eſt quod Theologia diſcurrit, quid mi-

nam? vel quid inde? hoc enim omnibus omnino scientiis commune est. Physica v.g. discurrit circa ens naturale, Metaphysica circa ens reale: Anne propterea discursus est ratio formalis huiusmodi scientiarum? Minimè sane; sed media vniuscuiusque scientiæ & principia quibus innitur habent quod sint ratio formalis illius. Ita similiter Theologia discurrit circa diuina & supernaturalia. Ergone propterea discursus est ratio formalis Theologiæ? Nequaquam. Sed est lumen diuinæ reuelationis, & firmitas articulorum fidei, qui debent quidem applicari per discursum sicut & principia omnium scientiarum ex directione Logicæ in conclusiones deriuantur, sed ipse assensus articulorum producit assensum conclusionis & in scientiam influit. Ergo quod Theologia vtatur discursu, hoc prorsus nihil facit ad naturalitatem vel supernaturalitatem habitus, quæ potius venanda est ex obiecto formali, & ex motiuis quibus scientia innititur.

Res exemplo fiet illustrior. Ad deducendam hanc conclusionem *Christus est risibilis*, ex hoc principio fidei, *Christus est homo*, assumitur propositio vniuersalis, *omnis homo est risibilis*, tanquam ministra & conditio qua applicatur & simul explicatur præmissa supernaturalis, & hoc propter statum intellectus nostri qui indiget huiusmodi forma artificiosa. Itaque assentitur intellectus conclusioni Theologicæ per discursum quidem, sed non propter discursum, sed solum propter motiuum fidei discursu applicatum? ergo si tale motiuum sit supernaturale, quantumuis applicatio sit naturalis, non potest non infundere supernaturalitatem con-

cluſioni Theologicæ.

Quod vero addunt principia Theologiæ eſſe ſupernaturalia in ſe & per ordinem ad veritatem reuelantem, non vero per ordinem ad concluſiones, omnino infirmum eſt; tum quia operari ſequitur eſſe, vnde ſi eſſe huiuſmodi principiorum ſit in ſe ſupernaturale, operari ipſorum, qui eſt influxus in concluſionem, erit ſupernaturale. Tum quia omnino falſum eſt in demonſtratione Theologica dari duplicem aſſenſum præmiſſarum alterum qui feratur in præmiſſas ſecundum ſe, alterum qui feratur in præmiſſas vt ſunt cauſæ concluſionis, hunc duplicem aſſenſum negat manifeſta experientia, nec vllus vmquam Dialecticus excogitauit; vnde eodem plane aſſenſu Theologus fertur in præmiſſas ſecundum ſe, & in eaſdem vt inferunt concluſionem. Sed aſſenſus præmiſſarum ſecundum ſe eſt ſupernaturalis. Ergo & aſſenſus earumdem, vt inferunt concluſionem, ſupernaturalis quoque eſt.

Probatur ſecundo à poſteriori: Theologia iis inſignitur dotibus, quæ non niſi ſcientiæ ſupernaturali competere poſſunt. Ergo Theologia eſt entitatiuè ſupernaturalis. Probatur antecedens: Scientia quæ ſubalternatur habitui ſupernaturali debet eſſe ſupernaturalis; ſcientia enim ſubalternans & ſubalternata ſunt eiuſdem ordinis, & repugnat aliquid naturalis ordinis per ſe pendere ab aliquo ſupernaturali; & poſtulare illi naturaliter coniungi; nam hoc eſt contra ea quæ communiter docentur in materia de gratia, vbi monſtratur nihil pertinens ad ordinem entitatiuè naturalem per ſe diſponere, vel connecti cum ente ſupernaturali: Scientia

quoque cuius certitudo transcendit omnem certitudinem naturalem creatam & creabilem, est plane naturali maior, proindeque supernaturalis; sicut si daretur numerus omi finito numero producibili maior, procul dubio esset infinitus. Demum scientia quæ est ita eminens, vt adunet differentias diuisiuas habituum & scientiarum naturalium scilicet rationem speculationis & praxeos profecto debet esse ordinis superioris ad scientias naturales.

Atqui Theologia his omnibus proprietatibus tanquam specialibus caracteribus & singularibus monilibus fulget, vt ex hactenus dictis constat, nec inficiantur Authores qui ex aduerso sunt: Nam Theologia per se subordinatur scientiæ beatorum, & fidei supernaturali tanquam eius vicariæ, postulatque Theologia visioni beatæ coniungi: pollet etiam certitudine supra omnem naturalem etiam primorum principiorum eleuata: Denique rationem speculationis & praxis in sua perfectione conciliat, & ideo est, impressio scientiæ Dei, vt loquitur D. Thomas. Ergo Theologia habet omnes proprietates facultatis intrinsecè supernaturalis: & cum proprietates sapiant conditionem essentiæ, Theologiæ essentiam supernaturalem esse necesse est.

Hanc Theologiæ supernatulitatem & singularis eminentiæ prærogatiuam præclare illustrat Angelicus præceptor in prolo. lib. 1. ad Annibal. in hoc quod Theologia omnes scientias præcedat quatuor priuilegiis, nimirum *altitudine, pretiositate, communitate, & fructuositate*: altitudine quidem quia aliæ scientiæ versantur circa ea quæ subsunt iudicio rationis:

in Theologia verò traduntur ea quæ vim rationis excedunt. Vnde de illa vſurpari poteſt illud Eccleſiaſtici 24. *Ego in altiſſimis habito.* Artes Mechanicæ habitant in infimis, quia verſantur circa ſingularia corporea: ſcientia naturalis ſcilicet Phyſica habitat in altis, quia licet agat de corporalibus, tamen ea conſiderat in vniuerſali: Metaphyſica habitat in altioribus, quia agit de rebus etiam inſenſibilibus, ſequendo rationis ductum. Sed Theologia habitat in altiſſimis, quia conſiderat ea quæ rationis intuitum tranſcendunt. Pretioſitate vero propter ſuæ inquiſitionis puritatem omnem vanitatem & mendacium deteſtata, vnde de ea intelligit ibidem S. Thomas illud prouer. 31. *Pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur huic non valent comparari.* Communitate etiam ſeu vniuerſitate, quia dum aliæ ſcientiæ circa determinata obiecta occupantur, hæc doctrina de omnibus iudicat vnde Auguſti. epiſt. 3. ad voluſia. *Hic Phyſica, quia omnium cauſæ in Deo ſunt: hic Æthica, quia vita bona & honeſta non aliunde formatur, quam cum ea quæ deligenda ſunt, diliguntur. Hic Logica quoniam veritas lumenque animæ rationalis non niſi Deus eſt.* Fructuoſitate demum quia aliæ ſcientiæ non habent fructum niſi in intellectus illuſtratione, hæc vero doctrina & intellectum ſublimiter illuminat, & affectum dulciter accendit.

SOLVVNTVR OBIECTA.

Obijcies: Theologia non eſt habitus infuſus, ſed acquiſitus ſtudio & labore humano. Sed habitus qui natura iter acquiritur non eſt ſupernaturalis, cum habeat cauſas naturaliter ipſum

acquirentes. Ergo Theologia non eſt habitus ſupernaturalis.

Reſpondeo fatendo Theologiam eſſe habitum acquiſitum non infuſum, per hoc enim differt à ſapientia infuſa quæ eſt de ſurſum deſcendens, Theologia vero ſtudio humano comparatur. Cum quo ſtat Theologiam eſſe ſupernaturalem vtpote aſſenſibus ſupernaturalibus articulorum fidei partam. Cum enim non aſſentiamur concluſioni niſi propter præmiſſas, quando aſſenſus piæmiſſarum eſt ſupernaturalis aſſenſus concluſionis non poteſt eſſe naturalis.

Inſtabis : virtutes ſupernaturales non poſſunt noſtris actibus gigni, vt docent Theologi in materia de virtutibus, fundati in Auguſtino dicente, quod virtus eſt *bona qualitas mentis, quam Deus in nobis ſine nobis operatur.* Ergo ſi Theologia ſit ſupernaturalis entitatiuè non poteſt noſtris actibus comparari.

Reſpondeo duplicem eſſe differentiam inter virtutes infuſas & Theologiam, prima eſt: quia virtutes morales infuſæ ſunt proprietates gratiæ ad quam ſe habent vt paſſiones ad eſſentiam ; nam ſicut gratia eſt participatio diuinæ naturæ, ita virtutes ſunt expreſſiones diuinorum attributorum: Vnde ſicut repugnat gratiam produci noſtris actibus, ita & virtutes : quia paſſiones poſtulant fieri per eandem actionem qua producitur eſſentia, cuius ſunt veluti corollarium. At vero Theologia non eſt proprietas gratiæ cum non habeatur ab omnibus bonis.

Secunda differentia eſt quia virtutes infuſæ dant ſimpliciter poſſe in ordine ſupernaturali: vnde ſicut potentiæ nec gignuntur nec augentur

actibus noſtris, ſed ab eo infunduntur qui dat eſſentiam, ita virtutes illæ nec generantur nec incrementum accipiunt actibus noſtris etiam ſupernaturalibus. At Theologia non habet rationem poteſtiæ in ordine ad cognoſcenda ſupernaturalia, cum ſupponat fidem, ſed habet ſolùm rationem habitus, qui & ingenerari, & intendi actibus poteſt.

Inſiſtes: non eſt melior Theologus qui melius credit, ſed qui meliuś diſcurrit,& penetrantius concipit veritates, vt ſubtilius eas deducat ex articulis fidei;ſed melius ratiocinari eſt effectus habitus naturalis. Ergo Theologia eſt habitus naturalis.

Reſpondeo falſum eſſe prorſus illum eſſe meliorem Theologum qui acutius rationatur: nam hæreticus interdum profundius materiam aliquam intelligit,ſubtiliuſque quandoque philoſophatur. Abſit tamen, vt hæretici boni Theologi dicantur, cum in illis Theologia non ſit ſicut nec fides à qua non minus eſſentialiter pendet, quam pendeat aſſenſus concluſionis ab habitu principiorum, quo pereunte ſcientiam deſtrui neceſſe eſſet. Quare in hæreticis eſt tantum Theologiæ cadauer & auricalcum; vel melius eſt in illis Dialectica ſophiſtica rebus diuinis ſe immiſcens, quibus non aſſentiuntur ex motiuo ſupernaturali, ſed ex propriæ voluntatis electione. Melior ergo Theologus ille cenſendus eſt, qui veritates fidei profunde meditatus eò firmius adhæret concluſionibus deductis, quò videt eas ex reuelatis proximius emanare. Et euidenter inſto in ſcientia infuſa Chriſti: nam ſecundum diſcipulos S. Thomæ, Chriſtus per ſcientiam infuſam poterat ad

libitum discurrere: Imò per scientiam infusam sancti discurrunt (cum habitus infusi potentiis, recipiantur & operentur ad modum facultatis recipientis) & inter sanctos vnus alio melius, acutius, sublimius ratiocinatur. Ergo euidens est discursum non impedire supernaturalitatem Theologiæ, nec meliorem discursum aliquorum suadere eius naturalitatem. Addo non solum ingenij acumen, sed etiam Auxilium Dei oratione obtentum ad Theologiam veram conducere, vt viam veritatis eligat, & omnia decidat Theologus non regula lesbia probabiliſmi, sed lumine Diuino.

Persistes: In discursu demonstrationis Theologicæ potest adhiberi præmissa naturalis, & quamuis vtraque præmissa sit supernaturalis tamen intellectus qui est potentia naturalis proxime & immediate deducit conclusionem Theologicam: ergo assensus illius conclusionis est naturalis, & consequenter ipsa Theologia per talem assensum parta. Antecedens patet. Probatur consequentia: De supernaturalitate alicuius effectus non est iudicandum ex causa radicali, remota, & mediata, sed ex proxima, quæ si sit pure naturalis effectum naturalis ordinis producet: quia nimirum virtus causæ remotæ modificatur per influxum causæ proximæ, sicue virtus Solis determinatur per actionem causarum sublunarium: & generaliter omnis causa superior, cum causa secunda forti fortiter, cum infirma debiliter agit: Vnde & in Logica communiter dicitur, quod *conclusio sequitur debiliorem partem.* Atqui præmissa naturalis est debilior pars in demonstratione Theologica, & quando vtraque præmissa est superna-

naturalis, intellectus tamen qui immediate producit assensum conclusionis est ordinis naturalis. Ergo assensus conclusionis Theologicæ est entitatiuè naturalis, & consequenter habitus Theologiæ per talem assensum productus est etiam naturalis.

Respond. ex hoc argumento potius demonstrari quod quando vtraque præmissa est supernaturalis & reuelata, tunc assensus conclusionis esse supernaturalis, quod sanè sufficit vt Theologia sit habitus supernaturalis, quia habitus scientiarum pensandi sunt ex perfectioribus demonstrationibus quibus producuntur. Nec obest quod intellectus agat in illo assensu conclusionis, nam non agit immediate, sed mediante assensu præmissarum; in hoc enim differt assensus conclusionis ab assensu primorum principiorum quod iste est immediatus, assensus vero conclusionis elicitur mediante assensu principiorum. Vnde iam instantia facta magis vrget aduersarios sic: supernaturalitas assensus venanda est ex principio immediato & proximo, non ex remoto. Sed principium immediatum conclusionis est assensus præmissarum qui est supernaturalis. Ergo assensus conclusionis est supernaturalis, quamuis intellectus sit naturalis: Sicut generaliter omnes actus cognitionis supernaturalis licet procedant ab intellectu, tamen supernaturalitatem obtinent ex principio proximo.

Quando autem vna præmissa est naturalis, altera vero reuelata, dicimus etiam quod assensus conclusionis est supernaturalis. Nec obest illa maxima dialecticæ, *conclusio sequitur debiliorem partem.* Tum quia illa intelligitur de parte de-

biliore quoad affirmationem vel negationem, vniuersalitatem, vel singularitatem, vt sit sensus quod quando duarum præmissarum vna est affirmatiua altera negatiua, vna vniuersalis altera particularis, conclusio debet esse negatiua, vel particularis, vel singularis tantum, vt sit legitima: contingit autem sæpe quod præmissa naturalis est vniuersalis, præmissa vero supernaturalis est singularis: vt in isto syllogismo *omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis.* In quo minor est debilior pars logicè loquendo, sed non entitatiuè: vnde conclusio illa, quæ sequitur partem logicè debiliorem, sapit naturam illius quæ supernaturalis est.

Tum etiam quia quando præmissa supernaturalis est vniuersalis, & præmissa naturalis est particularis, tunc etiam sustineri potest conclusionis assensum esse supernaturalem, vt in hoc syllogismo: *de omni verbo otioso reddenda est ratio: sed aliqua petri verba sunt otiosa: ergo de aliquibus verbis petro ratio reddenda est.* Assensus conclusionis illius est supernaturalis, quia licet altera præmissa sit naturalis, tamen ex coniunctione quam habet cum supernaturali eleuatur, nec deprimit supernaturalem sed ab ea attollitur & roboratur; sicut natura non inficit gratiam, sed perficitur â gratia. Præsertim quia Theologia non assumit principia naturalia nisi modo architectonico iudicando de illis tanquam superior, illisque vtendo absque vlla subalternatione vel inferioritate, quia Theologia est vera sapientia à qua principia scientiarum inferiorum iudicantur, approbantur, perficiuntur, & dum opus est, corriguntur. Adde quod

præmiſſa naturalis non influit niſi vt eleuata, nec aſſumitur niſi vt ſeruiat tanquam conditio applicatiua ſeu explicatiua principij ſupernaturalis ob ſtatũ intellectus noſtri indigentis adiumento præmiſſæ naturalis, non propter deficientiam luminis ſuperioris, ſed propter innatam ſuam debilitatem cui magis accommodantur res Diuinæ per applicationem luminis naturalis.

Hanc doctrinam ſic expreſſit S. Thom. qu. 1. art. 5. ad 2. *Non accipit hæc ſcientia ſua principia ab aliis ſcientiis, ſed immediate à Deo per reuelationem; & ideo non accipit ab aliis ſcientiis tanquam ſuperioribus, ſed vtitur eis tanquam inferioribus & ancillis, ſicut architectonicæ vtuntur ſubminiſtrantibus, vt ciuilis militari, & hoc ipſum quod ſic vtitur eis, non eſt propter defectum, vel inſufficientiam eius, ſed propter defectum intellectus noſtri, qui ex his quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt aliæ ſcientiæ) cognoſcuntur, facilius manuducitur in ea quæ ſunt ſupra rationem, quæ in hac ſcientia traduntur.* Ex qua doctrina mirum in modum confirmatur noſtra ſententia, & conuelluntur omnia fundamenta aduerſariorum; Nam ſi Theologia eſſet entitatiuè naturalis, profecto ſubordinaretur principiis naturalibus à quibus naturalitatem acciperet, omnis enim ſcientia naturalis continetur in habitu primorum principiorum tanquam in ſeminario omnium ſcientiarum naturalium, à quo omnes ſcientiæ naturales deriuantur, cui proinde ſubordinaretur Theologia contra D. Thomam.

In forma ergo ergo illa propoſitio, *concluſio ſequitur debiliorem partem*, diſtinguenda eſt. Si debilior pars ſit cauſa principalis aſſenſus, con-

cedo, si sit tantum conditio seu applicatio præmissè supernaturalis non influens in conclusionem Theologicam; vel si influit, concurrit tantum vt subiecta & eleuata à præmissa supernaturali tanquam ministra & instrumentum ipsius nego, effectus autem non assimilatur instrumento sed causæ principali. Hic agendum esset de locis Theologicis è quibus sacra doctrina veluti totidem armamentariis arma defensiua & offensiua desumit. Sed de his alias.

Reflexio.

Deplorandum sanè nonnullos Theologiam ad superna procliuem ad humana deflectere, qui omnes difficultates tùm speculatiuas cùm morales non diuinarum rationum momentis, sed humanæ probabilitatis fallacibus stateris appendunt, & cupiditatis, vtilisque regula plane lesbia metiuntur. Fateor Theologiam illam non esse supernaturalem, quæ talibus tamque fluxis principiis innixa est. Quin nec naturalis censenda est, quæ non solum Christianismi, sed etiam ipsius naturæ omnibus impressas boni malique notitias corrumpit. Vera Theologia qualem admittimus supernaturalis est, quia non modernorum Doctorum turbæ à veris purisque fontibus euaganti confidit, nec eam dirigit retorridorum semidoctorum aceruus, vel incondita volaticarum opinionum farrago; sed traditionis non segnis eruditio, antiquitatis inuestigatio, Patrum diligens euolutio, iugis & sine intermissione oratio, humilis scripturarum meditatio. Ex his Limpidis fontibus Theologiam deriuamus, & ideo supernaturelem præ-

dicamus. Summa Pietate, nec minori elegantia monet aliàs Laudatus & omni Laude ſuperior Melchior Cano, hanc regulam Theologis ſeruandam. *Regula hæc erit & ratione & Sanctorum auctoritati maxime conſentanea, vt omnis Theologus nomen Theologiæ ſecum ipſe reputet, titulum ſuum hoc eſt Theologi frequenter legat; Quærat à ſe non ſemel, ſed ſæpius, quorſum cœpit diſputare? Sciatque nullam quæſtionem aſciſcendam, niſi ad veram quæ ſupra naturam eſt, Chriſti, Apoſtolorum, & Prophetarum Philoſophiam referatur.*

Ab illis etiam ſupernaturalitas Theologiæ incuruatur, qui aliquid naturale in ſtudiis ſuis ſordida intentione quærunt. Quos ſic deſcribit S. Bernad. Ser. 36. in Cant. *Sunt qui ſcire volunt eo tantum fine vt ſciant, & curioſitas eſt: & ſunt qui ſcire volunt, vt ſciantur, & turpis vanitas eſt: & ſunt qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendant, & quæſtus eſt: ſed ſunt quoque qui ſcire volunt, vt ædificent, & Charitas eſt.* In iſtis Theologia & ſpeculatiuè, & practicè ſupernaturalis eſt; in illis verò ſæcularis eſt quæ, vt ait idem Pater Serm. 9. in Cant. *Inebriat, ſed curioſitate, non Charitate; implens, non nutriens; inflans, non ædificans; ingurgitans, non confortans.* Tali ſcientiæ ignorantia præferenda eſt, & huiuſmodi Pſeudo-Theologis melior eſt Ruſticus qui Deo ſeruit.

APPENDIX PRIMA

Oeconomia & partitio Theologiæ.

AD Theologiæ commendationem non parum conducit eius distributio. Ordo autem seu methodus in Theologia tradenda diuidendaque aliunde repeti non debet quam ex D. Thoma, qui licet cæteris Theologis in materiis tractandis, veritatibus roborandis, & opinionibus seligendis facile antecellat: tamen in rerum partitione, nexu, & distributione seipsum in summa Theologica superasse fatendum est. Tanta est enim partium tractatuum, quæstionum, & articulorum eius connexio, harmonia, & consonantia: vt posteriora à prioribus nedum pendeant; sed etiam nouam lucem, nouumque robur accipiant, simul & adiiciant: vt vix ac ne vix quidem maior sit inter radicem, & ramos; inter fontem, & riuos; inter solem, & radios; inter caput, & membra affinitas, & cohærentia. Denique adeo respondent extrema primis, media vtrisque, omnia omnibus, vt solam Angelicæ Doctrinæ concatenationem intellexisse, non mediocris sit in Theologia profectus.

Sicut autem recta corporis constitutio, & ordinata membrorum compages ex perenni capitis vnius influxu pendet: sic Oeconomia &

præclara illa veritatum colligatarum structura, quam in tam diuino opere S. Doctor concinnat, vni principio innixa est. Vt sapiens Architector fundamentum ponit, & quidem inconcussum, cui totam Sacræ Doctrinæ molem superstruit. Illud autem non est aliud præter id quod à nobis infra statuetur, *Deus est ens per essentiam*, qui, vt docet in præmio quæst. 2. 1. par. sub triplici veluti facie à nobis cognosci potest. Primo vt est in se plenus & perfectus, & extra se diffundens perfectionis plenitudinem, tanquam principium creaturarum. Secundò vt est vltimus finis creaturæ rationalis. Tertiò provt ipsemet factus est nobis via per Incarnationem, qua ad talem finem peruenire mus. Vnde Sacram Doctrinam in tres partes secauit.

Dicebat Saluator Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*, his Tribus verbis triplex Diui Thomæ summæ pars comprehenditur. Nam prima parte contemplatur Deum vt est *veritas* prima omnigenâ perfectione ornata, & in creaturis veluti totidem speculis enitens. In secunda, Deum considerat, vt est *vita* beata, & vltimus finis ad quem tendimus actibus humanis, & virtutibus; à quo deflectimus vitiis & peccatis; ad quem dirigimur legibus; cui vnimur per gratiam, & quem meritis obtinemus, si seriò virtutum singularium praxi operam demus. Demum in tertia parte Deum intuetur vt factus est nobis via, qua ad ipsum reuertimur per Christum Dominum, qui factus est nobis ostium, per quod si quis introierit, Pascua inueniet in Sacramentorum vsu, in quibus eius merita continentur & effunduntur. Vno verbo prima parte tradit quomodo ab ente per essentiam,

esse participamus. In Secunda quo pacto ad summum bonum tendimus. In Tertia qua ratione à Deo per peccatum seiuncti, ad ipsum per Christum reuertimur, vt in ipso suauissime quiescamus. Ecce auream Angelicæ Doctrinæ catenam, ratione cuius merito S. Thomæ attribuitur illud Isa. 54. *Ego sternam per ordinem Lapides tuos.* Et illud Ambros. in Psalm. 118. *Ille qui didicerit mysteria Dei, deinde ordinem mysteriorum, exercetur in mirabilibus Dei.*

Licet autem hæc nostra exigua opella ad instar exacti commentarij omnes & singulos huius sacræ catenæ annulos non prosequatur; ne, contra instituti nostri scopum, opus excresceret in immensum. Tamen si recte consideres, quidquid in Littera D. Thomæ laborem tibi facessere posset, ex eiusdem S. Præceptoris principiis vel testimoniis collatis lucem accipiet. Seriem autem quæstionum & articulorum non sequi coegit me tum breuitas cui studeo, tum consuetudinis habita ratio: nam cum S. Doctor more sui sæculi multa philosophica permiscear, quæ hac ætate à philosophis ventilantur, in meris Theologicis seligendis operam nauaui.

Propositum etiam nostrum fuerat non solum doctrinam tanti Magistri vbique fideliſſime sectari (nec ab ea dante Deo ne latum quidem vnguem discedemus) sed etiam consilium nostrum erat, mirificum eiusdem ordinem in tractatibus totius summæ absque interruptione, vel omissione prosequi: Sed sapientissimorum hominum suasu consilia nostra mutata sunt; eis enim operæ pretium esse visum est, prius integram Theologiam speculatiuam, postea moralem totam adornare, vt diuersorum hominum

minum ingeniis fieret satis, quorum aliis mysteriorum speculatio, & veritatum contemplatio arridet; aliis vero solius æthicæ Christianæ studium non solum magis placet, sed etiam ratione ministerij, ad quod vocati sunt, prorsus conueniens est ac necessarium. Quia igitur opuscula nostra, lucubrationes, & labores aliorum vtilitatibus deuoui, idcirco integrum Theologiæ speculatiuæ cursum præmittam, cui integra & defæcata moralis atque ex limpidis patrum fontibus hausta succedet, si opus istud tibi, lector, minime displicuisse, vel emolumentum aliquod attulisse audiero.

Stylus tibi fortassis ieiunior apparebit, sed materiebus Scholasticis vbertas orationis aut lepor adhiberi nec potest nec debet, ne lectorem sublimitate rerum satis impeditum, oneret insuper exquisitus verborum circuitus: elegantiæ inopiam claritate compensare studebimus, nam de rebus arduis atque ad exponendum difficilibus omne quod dilucide dicitur egregiè dicatur. Non curamus verba, sed fructus, quia scriptum est Prouerb. 19. *qui tantum sectatur verba, nihil habebit.* Nos etenim qui Christiana nedum, sed & sacerdotali Regularique professione, indigni licet, censemur; rerum magis quam verborum amatores, vtilia potius quam plausibilia sectamur. Et Salui'anum lib. 1. de prouident. sequti non id quærimus vt in nobis inania sæculi ornamenta, sed vt salubria rerum emolumenta laudentur, quæ scilicet non tam otiosorum oculis placeant, quam ægrotorum mentibus prosint. Quod si forte fructus nullus prouenerit, id ipsum infructuosum non erit, quod prodesse tentauimus. Non morosis, vel

fastidiosis, & ad singula nauseantibus scribo, sed studiosis; non concinna quærentibus, sed vtilia; non scientiarum flosculos, sed Catholicarum veritatum fructus; non ad audientiæ sæcularis, illecebram culto sermone fucata, sed ad Diuina declaranda simplici perspicuitate aperta.

Si æternus Pater (discursus est sublimis Aug. lib. de Catheciz. rudib.) verbum substantiale & æternum, vt captui nostro accommodaret, & vsibus hominum addiceret, demisit. Cur pigeat doctorem verba & conceptus mentis suæ deprimere, & vulgaribus, demissis imo & abiectis sermonibus subjicere, & lectorum omnium mentibus attemperare? non alium optamus Theologiæ nostræ ornatum, quam veritatem, quia vt eleganter dixit Isidorus Pelusio. lib. 3. epist. 64. *veritas omnibus artibus & disciplinis ornamentum affert. Verborum venustas inuenusta est, & inelegans quælibet elegantia, vbi veritatis decor abest, quo vel ipsa sermonis rusticitas nobilitatur.* Veritatem autem nos assequturos speramus, si à D. Thomæ doctrina ne latum quidem vnguem discedamus. Vt alibi operosius monstrabimus.

Claritati, quàntum fieri poterit breuitatem adiungemus, & semotis æquiuocationum ambagibus, & importunis metaphysicarum spinarum diuerticulis, multa paucis complectemur: longum & inutilem rationum, argumentorum, & cauillorum tractum amputabimus: materias sus deque non miscebimus, repetitiones iteratas fugiemus, quælibet suis locis tractaturi, nec illos imitaturi, qui quæstionem aliquam numeris omnibus absolutam non credunt, nisi totius Theologiæ farraginem aduo-

tent. Sed potius Diuinam prouidentiam sequemur, quæ suum cuique rei seruat locum, vt apparet in elementorum situ, terra quippe infimum locum tenet, hanc inundat aqua, supereminet aër, & ignis altiùs adhuc extollitur. Proderit etiam hæc breuitas Clericorum & Regularium communitatibus, quæ sæpe sæpius peroptarunt cursum typis mandatum, vt adolescentes ab scribendi onere leuarent, quod hactenus non potuere ob editorum cursuum prolixitatem. Quibus autem hoc nostro vti placuerit, non solum totum intra breue tempus docere poterunt, sed etiam suis additionibus illustrare, & si fuerint aduersæ sententiæ discipulis excipientibus suam mentem aperire: Vnusquisque enim in suo sensu abundet. Neque enim opto vt meis, lector, opinionibus, sed soli notæ veritati adhæreas. Quin etiam in veritate, infirmitatis meæ conscius, asscro, quod præ humilitate Gregorius magnus scriptum reliquit lib. 30. Moral. cap. 18. *Libenter ego lectorem meum subtiliùs verùsque sentientem velut magistrum discipulus sequar, quia mihi propriè donatum credo, quidquid illum me melius sentire cognosco.*

Breuitatem soliditate firmare conabimur, doctrinæ Patrum & tutioribus opinionibus ac saluti vicinioribus adhæsuri. Sed præcipuè modestiam vbique respirare æmulabimur, omnis dicacitatis, dicterij, scommatis, conuicij, vel aculei ipsam vmbram procul amandaturi. Vnde more Aquinatis nostri Doctorum omnium modestissimi, in variis sententiis referendis confutandisque non multum immorabimur. *Acute enim disputantis* (vt Cicero tradit) *illud est, non*

quod quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit videre. Quod si interdum gratia elucidandæ veritatis nonnullorum placita recensere opus sit, id, fauente Deo, cum debita reuerentia præstabimus, vt decet sanctos, sacerdotes Theologos, solius veritatis amantes. Vt enim dicitur Iacob 3. *quæ de sursum est sapientia primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis.* Faxit Deus, vt soli obediamus veritati, eique consentientes reperiamur. Ipsa nos adiuuet, ipsa illuminet, ipsa confirmet: ab ipsa postulo doceri multa plura quæ nescio, à qua accepi pauca quæ scio. Ipsa, in his, quæ ignoro, erudiat; in his, quæ vera noui, custodiat; in quibus, vt homo fallor, corrigat; in quibus titubo, fulciat; & demum ea faciat de ore calamoque meo procedere, quæ sint coram ipsa grata, & Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ vtilia. Nam, vt ait Augustin. in Psalm. 57. *Quid glorioſius quam ſubjici aut vinci à veritate?*

APPENDIX SECVNDA.

Commercium Theologiæ & pietatis.

PLures doctrinæ Thomisticæ studiosi sæpe sæpius peroptarunt breuem ac dilucidum Angelicæ doctrinæ cursum, quique foret immu-

nis & expeditus à tantis, & ad faſtidium vſque importunis ſcholæ tricis, quibus ita ad nauſeam replentur nonnullorum tractationes; vt eas potius Dialecticam, quam ſacram doctrinam appellare merito poſſis. Quo factum eſt, vt nobiliſſimæ & iuxta vtiliſſimæ Theologiæ materies omitti cogantur, vt in illis fuſiſſime occupentur, in quibus nihil aliud fermè eſt, niſi occaſio rixarum, & inaniſſimæ contentionis. De quibus pulchrè Bartholomæus Medina q. 1. Introduct. in 3. part. *exſibilandus eſt Theologiæ Magiſter, qui rigidas & valde implexas quæſtiones agitat, oſtendens quantum in palæſtra litteraria profecerit; quæ vero ad charitatem & pietatem conducunt, tanquam peruia & expoſita negligens. Si quid explicandum eſt ex D. Paulo, aut verò ex ſacro eloquio, videtur in altum mundum tranſlatus: Si de inſtantibus, ſi de hæceitatibus velis aliquid, plura dabit quam quæ tribus onerariis nauibus vehi poſſint. Hi ſunt ſanè de quibus dicit Apoſtolus Paulus quod languent circa quæſtiones & pugnas verborum, quod conuerſi ſunt in vaniloquium.*

Ediderunt quidem nonnulli iamdudum Theologiæ compendia ſuis ſane laudibus digna, ſed ita à D. Thom. mente aliena vt nihil aliud quam oppoſitæ S. Doctori doctrinæ Idea, & Medulla (Sic inſcribuntur quorumdam Neotericorum opera) eſſe videantur. Itaque deſideratur Theologiæ Thomiſticæ integræ *elixir* & veluti quinta-eſſentia quæ de omnibus quæ S. Thomas tam quoad dogmata, quam quoad mores pertractat, nihil Theologo dignum prætermittens agat. Et hoc eſt quod cum confidentia diuini auxilij in hoc opere tentamus.

Obſerues rurſum, piè lector, velim, multos

omnigena virtutum supellectile ornatos viros à Theologiæ scholasticæ studio deterreri, quia diuturna veritatum speculatio sterilis, pietatem veluti exsiccat, & penè extinguit. Cui damno sanè non contemnendo pro virili medebimur, si speculatiuas tractationes piis, breuibus tamen reflexionibus condiamus, & temperemus. Nam certe melius & satius foret Theologicas veritates ignorare si non alia ratione sciantur, quam vt curiositatem, quæ concupiscentia oculorum est, pascant. Vt enim ait Augustlib. 1. de doct. Christ. c. 36. *Quisquis scripturas vel quamlibet eius partem intellexisse sibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem nondum intellexit.*

Et hoc est quod alibi deplorat idem sanctus cap. 4. confess. c. vlt. *Quid Domine Deus proderat mihi ingenium per omnes doctrinas agile, & tot nodosissimi libri sine vllo humani magisterij adminiculo enodati, cum deformiter in doctrina pietatis errarem.*

Accedit quod pietas non parum iuuat ad arcana Theologica penitius indaganda: pietas enim quæ teste Apostolo *ad omnia vtilis est*, huic instituto necessaria videtur; etenim gustanda sunt prius diuina mysteria quam videnda per speculationem quia soli *mundi corde Deum videbunt* & in hoc sæculo & in futuro. Vnde & dicitur 1. Ioan. 2. *vos vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia*, & infrà: *non necesse habetis vt aliquis doceat vos, sed vnctio eius docet vos de omnibus.* Quod diuinis his verbis explicat prælaudatus August. Serm. 139. de temp. *Ille tenet & quod patet & quod latet in diuinis sermonibus qui charitatem tenet in moribus; amore petitur, amore*

quæritur, amore pulsatur, amore reuelatur, amore denique in eo quod reuelatum fuerit, permanetur. Hac sacrâ pietatis & doctrinæ temperaturâ, fœliâque lucis & ardoris commercio, illam D. Paulin. epist. 30. exprobrationem declinabimus: *vacat tibi vt Philosophus sis, non vacat vt Christum, hoc est Dei sapientiam discas? verte potius sententiam, sis Dei Philosophus, esto Peripateticus Deo.*

Hac de causa post singulas quasque speculationes, breuem ex scripturis; aut patribus opportunam reflexionem ex ipsis quæstionibus visceribus, quantum fieri poterit, natam subjiciemus; qua animum speculatione fatigatum solabimur, arescentem irrigabimus, diuagantem conuertemus ad cor. Aureum Gregorij magni in prolog. mor. cap. 2. monitum sequti. *Quisquis* (inquit) *de Deo loquitur curet necesse est, vt quidquid audientium mores instituit, rimetur; & cum opportunitas ædificationis exigit, ab eo se quod loqui cœperat vtiliter deriuet. Sacri enim tractator eloquij morem fluminis debet imitari: fluuius quippe dum per alueum defluit, si valles concauas ex latere contingit, in eas protinus sui impetus cursum diuertit; cumque illas sufficienter impleuerit, repente se in alueum refundit. Sic nimirum sic diuini verbi debet esse tractator, vt cum de aliqua re disserit, si fortasse iuxta positam occasionem congruæ ædificationis inuenerit quasi ad vicinam vallem linguæ vndas intorqueat, & cum subiectæ instructionis campum sufficienter infuderit, ad sermonis propositi alueum recurrat.* Hoc solum aduertas multas alias ex veritatibus Theologicis reflexiones posse vnumquemque pro modulo suo colligere, sed mihi satisfuit tibi thesaurum detegere, &

veluti indigitare ; eruere tuum erit.

Hac arte sapientia nostra erit sapida scientia, non solum discens, sed *& patiens diuina* vt loquitur Dion. c.2. de Diu. nom. Nec suspiceris nos propterea vllas in scholis disceptatas difficultates prætermissuros. *Oportet* enim *hæc facere & alia non omittere.* Sed nostri propositi fuit veterem nonnullorum obtrectatorum calumniam & toties in Theologiam decantatam cantilenam retundere, qui eo titulo scholasticam eliminandam causantur, quod ieiuna nimis sit, atque pietati importuna, cum potius ea ratione venerandam & colendam arbitrer, quod de se, & à nimiis contentionibus immunis, radix sit sanctitatis, & omnium virtutum copiosissima scaturigo. Vt patebit in decursu. Cæterum omnia Theologica dubia breuiter quidem sed tamen (quantum per vires licuit) accuratè, neruosè, & solide pertractare in votis fuit, an autem assequutus, iudicium sit, lector, penes te. Nihil enim optaui vel sategi magis vnquam, quam diuini viri S. Thomæ Angelicam, puram, Orthodoxam, & nulla satis commendabilem laude, à nonnullis oppugnatam vindicare, sincere intelligere, omnibus impensè amandam proponere, deuotè reuereri, constanter animoseque defendere, in hæreticos impugnantes indignari, à nonnullis catholicis in transuersùm actam acerbè dolore, & quantum Deus dederit ad praxim redigere.

Denique hac methodo, vt speramus, votis illorum satisfaciemus qui Theologiam solidam quidem, sed pietatem redolentem concupiscunt (vt videre est apud illustrissimum D. Godæum Ecclesiæ Gallicanæ decus immortale tract. de

seminariis pagin. mihi 130.) & quamuis eorum expectationibus me imparem experiar, nihilominus tot & tantorum virorum pro Ecclesia collaborantium desideriis meam quantulamcumque operam & industriam commodasse, vel saltem pro mea tenuitate tentasse nullus, vt arbitror, siniſtre interpretatus in malam partem accipiet, sicut enim teste Apostolo Dei adiutores sumus, ita & Ecclesiæ cuius iudicio & correctioni me & omnia opera tota animi demissione subjicio.

Non dubito quin plures mihi succenseant (difficile enim imo impossibile est placere omnibus, nec tanta vultuum quanta sententiarum diuersitas est) & objiciant, opus hoc nostro sæculo librorum feraciſſimo redundare, & post tot & tantos qui tam copiose tamque excellenter de sacra Theologia scripserunt, frustra me *in syluam ligna ferre*, vel *aquas asportare mari*: Siquidem iam impletum videmus Isaiæ c. 2. vaticinium. *Replera est terra scientia Domini, velut aquæ maris operientsi.* Presertim cum nihil sub sole nouum sit, nec dicatur quidquam quod non fuerit dictum prius.

Verum huic censuræ non solum non obsisto, sed verè subscribo. Sed considera, benigne lector, quod si iuxta legis mandatum Deut. 23. & Leuit. 19. ab aliena messè precipimur abstinere, eiusdem tamen legis præscripto pauperum vsui spicæ relictæ conceduntur; sic quamuis ante nos innumeri præstanti ingenio & doctrina viri de re Theologica acurate grauiterque scripserint, & tamquam primi Messores in Ecclesia aream Messem vberrimam congesserint; nihilominus in tam vberi rerum copia legendas

spicas reliquere, quas veluti in manipulos alligare mihi pauperi licebit. Omnibus & singulis retroacti temporis scriptoribus primas defero, nulli non cedo, alij quidem soliditatem, alij nitorem, alij copiam imo omnibus omnia, sed vt Hyeronimi verbis vtar in prolog. super Genes. *in tabernaculo Dei vnusquisque offert quod quod potest, alij aurum & argentum & lapides pretiosos. Nobiscum bene agitur si obtulerimus pelles & caprarum pilos.*

Accedit quod sacra scriptura in qua illustranda declarandaque operam dant Theologi tanta altitudine sapientiæ reconditæ prædita est vt *annosissimis* (verba sunt August. epist. 3. ad Volus.) *Acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura habet, cum consummauerit homo tunc incipiet.* Denique qui ex scholasticis spinis pietatis rosas ex professo collegerit neminem vidimus, & quamuis eam alij prouinciam suscepissent, noster tamen conatus inutilis non erit. Nam de lucubrationibus Theologicis pietatem præsertim spirantibus dicere licet, quod de bonis operibus pro mortuis offerendis August. lib.de cura pro mort. scriptum reliquit: *Melius supererunt ista eis quibus non obsunt, nec prosunt; quam eis deerunt, quibus prodesse possunt.*

DISSERTATIO II.

De existentia, & natura vnius Dei.

VNvs Deiexistentia basis est sacræ doctrinæ quæ nisi firma fuerit, & inconcussa, quidquid in Theologia superstruxerimus corruet. Natura etiam diuina seu quid Deus sit vniuersæ Theologicæ tractationipræmitti debet. Supponi enim debet in scientiis obiectum illud de quo sermo habetur, vt postea proprietates eius discurrendo demonstrentur. Qua de causa existentiam, vnitatem, & naturam Dei in hac dissertatione probandam connectimus. Sit igitur.

CAPVT I.

Demonstratur existentia vnius Dei.

QVamuis eiusdem sacrilegij sit Deum negare, & plures inuehere: tamen in Atheis

impietas, in politheis falsa pietas merito arguitur, quare confundenda est prima, secunda vero corrigenda sequentibus speculationibus.

SPECVLATIO I.

Licet Deum esse non sit per se notum quoad nos, est tamen ita facile cognoscibile, vt non possit dari ignorantia inuincibilis de Dei existentia.

PRior pars explicatur & probatur: licet Deum esse sit per se notum quoad se, quia scilicet vt ait D. Thomas art. 1. in illa propositione, *Deus est*, prædicatum intime & essentialiter includitur in ratione subiecti, cum essentia & existentia Dei nullatenus distinguantur; talis tamen identitas prædicati cum subiecto, existentiæ cum Deo non est nobis nota ex penetratione terminorum sed solum per discursum quo ex istis visibilibus inuisibilia Dei conspicimus vt dicitur Rom. 1.

Potest tamen quodammodo dici Deum esse nobis per se notum vt obseruat D. Thomas lib. 1. contra gent. c. 2. propter consuetudinem qua homines ab incunabulis soliti sunt nomen Dei audire & inuocare: consuetudo autem & præcipuè quæ est à principio vim naturæ obtinet, ea enim quibus à pueritia animus imbuitur, ita firmiter tenentur, acsi essent naturaliter nota. Et ideo tam cito in repentinis

& quando humana destituimur ope ad Deum confugimus, quem recursum eleganter vocat Tertulia. lib. de test. anim. *testimonium animæ naturaliter Christianæ.* Hac de causa sæpius Patres docent cognitionem Dei esse nobis *insitam, ingenitam, implantatam*, & vt ait Damascenus lib. de fide cap. 3. *inseminatam*, quia naturaliter ad Deum, de quo à pueritia audiuimus, confugimus.

Objicies: Nomine Dei intelligimus id quo nihil melius esse aut excogitari potest: Ergo Deus in suo conceptu importat existentiam, qua si careret posse esse melior; ergo per se notum est Deum existere, illud enim dicitur per se notum, quod explicatis terminis innotescit, in explicatione vero deitatis importatur existentia.

Respondeo: Quod licet Deus in suo conceptu importet existentiam in actu signato, vt loquuntur, id est suppositio quod admittatur Deus necessario sequatur quod existit, non tamen per se notum est, illam in actu exercito importare, seu quod de facto existat, sed hoc relinquitur demonstrandum per discursum.

Dices in sententia D. Thom. homini in primo vsus rationis exordio intimatur præceptum conuertendi se ad Deum lumine illo vultus Dei signato super nos: in illa autem prima rationis aurora, nondum comparatus est demonstrationum vsus, quem vix philosophi post longum tempus assequuntur, ergo insculpta nobis debet esse notitia Deitatis, ad quam potius sumus nati quam docti.

Respondeo puerum teneri se conuertere ad Deum statim ac eum nouit, in primo vero vsu rationis debet se conuertere ad Deum implicite

quatenus tenetur deliberare de seipso, & intendere bonum tamquam finem totius vitæ moralis & rationalis, de quo alibi.

Posterior pars indicatur in scriptura quæ imprecatur maledictionem Deum ignorantibus Psal.78. *effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt*, quod sane non faceret propheta diuinitus inspiratus nisi illa ignorantia foret culpabilis. Paulus etiam 2.Thes.1.non diceret Christum iudicem venturum in flamma ignis dare vindictam iis qui non nouerunt Deum, si hæc ignoratio posset esse innoxia. Sancti etiam Patres docent passim totam naturam diuinitatem prædicare, *tam clare vt & scita, & barbarus, & indus & Ægyptius, & omnis homo super terram incedens hanc vocem audiat*, vt ait Chrisost. homil. 9. ad Pop. & Gregorius exponens illud Iob, *omnes homines vident Deum*, ait lib.27.mor. cap. 3. *omnis homo ex hoc ipso quod rationalis est conditus debet ex ratione colligere, eum qui se condidit Deum.* D. August. in Psalm. 74. pulchrè addit, *Deus vbique Secretus est, vbique publicus; quem nulli licet vt est, cognoscere; & quem nemo permittitur ignorare*, denique Minut. fœlix in in Octa. *Parentem omnium non minoris sceleris est ignorare, quam ladere*, & D. Cyprian. lib. de vanit. Idolotum, *hæc est summa delicti, nolie agnoscere quem ignorare non possis.*

Probatur ratione qua simul fit satis fundamento Molinæ oppositum sentientis. Licet sint homines valde hebetes, inculti, & veluti plumbei, proindeque incapaces demonstrationis perfectæ; quales sunt in Siluis, & terris aut montibus incognitis enutriti, in nullo tamen quam-

libet ſtupido ita extincti ſunt omnes rationis radij, vt perſpecto vniuerſo in ſupremi moderatoris notitiam non poſſit aſſurgere, ſicut perſpecta benè ordinata ciuitate nullus eſt ita ſtupidus qui non inferat ibi adeſſe ſapientes incolas, nam vt dicitur Sap. 9. *à magnitudine ſpeciei & creaturæ poterat cognoſcibiliter creator eorum videri.* Saltem non poteſt non habere vir ille incultus cognitionem probabilem & coniecturam huius veritatis, qua prælucente tenetur inquirere, quis ſit ille ſupremus rector, qua ratione colendus eique agendæ gratiarum actiones. Quod ſi hoc ſpernat vel negligat habebit ignorantiam vincibilem & culpabilem, non inuincibilem & excuſabilem: igitur licet poſſint dari infideles negatiuè, id eſt inculpabiliter ignorantes myſteria religionis Catholicæ, non tamen quos, ſine peccato Dei exiſtentia lateat. Et certe hoc Philoſophos gentiles non latuit quorum variis omiſſis ſententiis placet ſolum Plutarchi verba exſcribere. Peregrinantibus multas contingit occurrere abſque mœnibus vrbes, abſque ſtudiis litterarum, abſque Regibus, abſque auri & argenti vſu, quibus ignota prorſus theatra, & gymnaſticæ omnes exercitationes; quin etiam quibus nullæ ſint domus, ſed tuguria dumtaxat & mapalia. Nuſquam autem extat vrbs aut oppidum quibus nullus ſit Deus, nulla iuramenta, nullæ preces, nulla ſacrificia ad bona curanda, & mala impendentia præuertenda. Talem vrbem nemo vmquam vidit, aut vero videre potuit, poriuſque ſine ſole ac religione vrbem quis conſpexerit,

REFLEXIO.

Obseruant Theologi quod licet Deum esse non sit per se notum; tamen per se notum est Deum esse colendum, suppositio enim quod Deum esse confiteamur, illi supremos deferre honores ipsa veritate coacti tenemur. Ille igitur infideli & Atheo deterior, qui cum Deum cognoscat non sicut Deum glorificat. *Cui nec iustitiam sapit Deus per timorem, nec misericordiam per amorem*, inquit Bern. in paruis Serm. 37. *is plane dicit in corde suo non est Deus. Deum enim non putat quem nec iustum nec pium reputat.* Numquid præstaret satiusque foret Deum penitus ignorare, quam cognito non obtemperare. Vnde serio Saluian. lib. 3. & 4. de Prouid. *Quid est quod nobis de Christiano nomine blandiamur, cum vtique hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei sumus? plus sub religionis titulo Deum ladimus, quia positi in religione peccamus.* Christiani nomen perdimus vitio prauitatis: omnino nihil prodest nomen sanctum sine moribus; quia vita à professione discordans abrogat illustris tituli honorem per indigniorem actuum vilitatem. *Nam quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto.*

SPECVLATIO II.

Necessario consitendum est Deum existere, idque rationibus manifestis demonstratur.

MElius suaderi nequit hæc veritas, quam proponendo quinque rationes D.Thomæ quibus veluti quinque lapidibus limpidissimis frons Atheismi feritur. Nec enim opus est copias omnes in aciem educere, nam, vt præclare Augusſt. *valet ad seipsam persuadendam euidentia.* valet ad homines auertendos ipse Atheismi horror non occultus, sed oculis vltro se ingerens.

PRIMA RATIO.

SIc formatur: admittendus est vnus primus motor omnino immobilis, sed ille est Deus: ergo existit Deus. Minor constat; nomine enim Dei intelligimus ens perfectissimum, & actum purum, quæ puritas actus perfectissimi non conuenit nisi enti omnino immobili; nam quod imperfectum est potest moueri acquirendo nouam perfectionem, subindeque quod omnis mutationis est incapax perfectissimum esse necesse est. Maior vero probatur: videmus multa moueri vt patet experientia: Sed illa omnia debent moueri à motore omnino immobili, seu qui moueat & non moueatur. Ergo admittendus est vnus primus motor immobilis. Pro-

batur minor, omne quod quod mouetur ab alio mouetur ; ergo vel ab agente immobili, vel moto ; si ab immobili, habemus motorem immobilem quem quærimus; si ab agente moto rursum ab alio, dabitur processus in infinitum nisi perueniatur tandem ad vnum motorem immobilem. Antecedens sic ostenditur : omne quod mouetur est in potentia ad id quod mouetur, omne quod mouet est in actu, moueri enim est recipere motum, mouere est illud producere : Atqui repugnat idem esse in actu & in potentia respectu eiusdem : ergo necesse est quod omne quod mouetur ab alio moueatur, nec potest idem esse mouens & motum respectu eiusdem.

Maior est minor, imo & totus discursus sic possunt declarari & suaderi : quod mouetur, vel mouetur ad actum quem actu & formaliter habet, vt si ignis se moueret ad calorem quem in se calido produceret, & tunc manifestum est quod esset in actu & in potentia, in actu quidem caloris vt supponimus ; in potentia vero cum nihil moueatur nisi ad habendum quod non habet, motus enim definitur, *actus entis potentia prout in potentia* ; vel se moueret ad actum quem non habet formaliter, sed tantum virtualiter, sicut si vinum quod est virtualiter calidum produceret in se formalem calorem ; & tunc causa illa vel se moueret per modum causæ necessariæ vel liberæ ; si per modum causæ necessariæ, iam esset omnino in actu & in potentia respectu eiusdem ; in potentia quidem vtpote motum ; in actu vero quia causa necessaria habens vim producendi effectum semper est in

actu illius, sicut ignis semper est calidus, sol semper calefactiuus.

Si vero ageret per modum causæ liberæ, vt cum voluntas producit actus suos quos virtute continet, idem sequitur, nam illa causa esset quidem in potentia vtpote mota, esset vero in actu quia si non daretur Deus & primum mouens à quo in agendo penderet, illa causa operaretur independenter ab alia: operari autem independenter ab alio non conuenit nisi enti quod est independenter ab alio, operari enim sequitur esse? quod vero est independenter ab alio est ens à se, & actus purus; actus autem purus semper est in actu vltimo, ac proinde causa illa libera, quæ se moueret independenter à Deo & non esset mota, esset in potentia & actu respectu eiusdem, in potentia vtpote mota, in actu vtpote independens & actus purus in operando: ergo cum ex causis quas videmus moueri nulla sit actus purus, deueniendum est ad vnam supremam quæ omnia moueat immota manens & actus purus sit. Hic est planus & facilis modus interpretandi hanc rationem D. Thomæ ex Aristotele desumptam quo soluuntur omnes instantiæ quas nonnulli coaceruant: de quibus in Philosophia.

SECVNDA RATIO.

Sic proponitur: videmus in vniuerso dari causas efficientes, & quidquid cernimus fatendum est ab alio factum cum nihil possit producere seipsum, vnde præclare August. lib. 2. conf. cap. 4. *Cælum & terra clamant quod facta sint,*

clamant quod seipsa non fecerint: ideo sumus quia facti sumus, non enim eramus antequam essemus, vt fieri possemus à nobis. Ergo alterutrum fatendum est, vel sistendum in vna prima causa effectrice omnium, vel dari processum in infitum in causis procedentibus: sed non potest dari processus in infinitum in causis efficientibus: ergo sistendum est in vno primo efficiente, & in causa causarum quam dicimus Deum. Probatur minor in serie agentium vnum potest esse alteri subordinatum dupliciter, per accidens, vel per se: tunc subordinatur alteri per accidens quando ab eo accipit esse sed non debet expectare eius influxum vt agat; sic filius subordinatur patri à quo quidem accepit esse, sed non emendicat ab illo concursum quotiescumque agit. Tunc vero subordinatur per se, quando nequit agere, nisi agens cui subjicitur coagat; sic instrumentum per se subordinatur artifici quo mouente & non aliter serra mouetur.

Atqui non potest dari processus in infinitum neque in mouentibus per se subordinatis, neque in mouentibus per accidens subordinatis si Deus non datur: repugnat quidem absolute in mouentibus per se subordinatis, quia alias nulla posset effluere actio, nisi simul infiniti influxus concurrerent quod non solum inintelligibile est cum infinitum non sit in instanti pertransibile, sed etiam insulsum est, vt quoties musca mouet pedem infinitæ simul causæ moueant & moueantur, & quod absurdo ipso absurdius est quod admittatur hæc fatuitas, vt non cogantur fateri sistendum esse in vna prima causa agente & mouente. Non potest etiam dari processus in infinitum, si Deus non est, in causis

per accidens subordinatis, quia licet non repugnet processus ille causarum per accidens subordinatorum quando est aliquod agens extra illam collectionem, & de facto daretur si generationes ab æterno fuisse Deus voluisset; tamen id fieri neqvit quando non datur causa superior extra illam collectionem, quia cum quælibet causa sit ab alia & non à se, tota etiam collectio est ab alio & non à se, vt ratione sequenti ponderabimus: atqui si non daretur Deus, non esset agens à quo tota illa collectio penderet, ergo non posset dari processus in infinitum in causis per accidens subordinatis Deo non existente.

TERTIA ET QVARTA FORMANTVR.

TErtia ratio sit procedit: Datur aliqvod ens necessarium à quo omnia contingentia esse participant: Sed tale ens est Deus vt patet, ergo. Probatur maior, si nullum daretur ens necessarium, sed omnia contingentia & possibilia esse & non esse, nullum plane daretur à parte rei, illa enim quæ ex sua ratione dicunt solum possibilitatem ad aliquid non possunt reduci ad actum nisi per aliquam causam quæ ipsum contineat, sicut quia aer est in potentia ad lucem, & aqua ad calorem, ille non potest illuminari nisi à corpore lucido, nec ista calefieri nisi à calido: ergo si omnia sint contingentia & possibilia esse & non esse, nullum potuisset reduci ad esse nisi detur ens necessarium à quo omne

esse promanat. Quod si quodlibet ens contingens indiget esse ab alio, tota etiam collectio id petit. Nam licet in illis prædicatis quæ à quantitate continua, vel discreta desumuntur, non valeat consequentia à quolibet particulari ad collectionem, neque enim valet quilibet palmus lineæ infinitæ est finitus; ergo linea est finita; quælibet generatio si mundus esset ab æterno est in tempore; ergo tota collectio est in tempore. Potest homo quodlibet mandatum per quamlibet horam seruare: ergo potest omnia per omne tempus sine gratia speciali seruare. Illegitimæ sunt omnes istæ consequentiæ, quia in huiusmodi prædicatis maior extensio vel numerus addit, & connotat aliquid supra quamlibet partem, vnde non valet illatio à partibus ad totum.

Cæterum quando prædicata sunt essentialia, vel quando non conueniunt collectioni nisi quia conueniunt parti tunc ea quæ dicuntur de vnaquaque parte, toti collectioni conueniunt; vnde valet quilibet homo est risibilis: ergo tota Collectio hominum id habet, quia omnes homines ideo sunt risibiles quia quilibet homo id habet: atqui hoc quod est esse dependens essentialiter conuenit cuilibet enti ratione sui non ratione vllius quantitatis: ergo tota collectio entium contingentium ab alio ente necessario esse petit. Certe sicut si darentur infinita cadauera non haberent hoc supra quodlibet quod sibi possent dare vitam, nec infinitæ extinctæ fasces possent sibi restituere lumen quia numerus indigentium penuriam non tollit sed auget: ita infinita collectio entium ab alio non habet supra vnumquodque singulare quod sit à se.

Quarta ratio ex Augustᵒ, lib.8. de Ciuit. c.6, desumpta talis est:admittendum est aliquod ens summè perfectum: ergo datur Deus per quem intelligimus ens quo nihil maius esse aut perfectius excogitari potest. Probatur antecedens ex gradibus entium & diuersitate perfectionum quibus mundus ornatur, quæ sanè varietas reduci debet ad aliquod ens omni perfectione pleniſſime cumulatum quod sit causa & veluti dispensator earum: nam primum in vnoquoque genere est causa cæterorum, vel efficiens quæ bonitatem rebus effundat & distribuat; vel exemplaris, ex cuius accessu vel recessu, imitatione vel defectione mensuretur aliorum perfectio, hinc præclare Aug.lib.10. Confess.cap.6. *Nutus tui Domine sunt omne creaturarum decus: cælum & terra surdis loquuntur laudes tuas; exclamauerunt voce magna ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

QVINTA RATIO.

HÆc vltima ratio non minus est plausibilis quam efficax: admittendus est summus prouisor & gubernator: ergo & Deus quo intelligimus supremum aliquod numen quod cuncta regat. Probatur antecedens videmus ea quæ cognitione carent dirigi ad certum finem boni vniuersi, & eodem atque vniformi modo operari: ergo diriguntur ab aliquo intelligente, sicut sagitta dirigitur ad scopum à sagittario,& licet quælibet res habeat certam propensionem qua veluti pondere fertur ad centrum,hoc tamen dirigentis necessitatem non excludit, cum sæpe

appareat inanimata contra proprias inclinationes pro bono vniuersi sui oblita operari, vt cum grauia ascendunt, descendunt leuia ad vacuum propulsandum, quod argumento est id non efficere ex suæ formæ propensione sed ex directione supremæ intelligentiæ cui parent.

Et hoc sane confirmat formosa illa & omnium quantumuis rusticorum hominum oculis sese ingerens naturæ pulchritudo, decor, harmonia, consistentia, quæ in tanto rerum fluxu diuturna esse non possent, nisi res omnes in aliquod commune bonum tamquam in finem, non à se quidem sed à suprema intelligentia intentum, conspirarent. Præsertim quia licet diuersis inter sese qualitatibus pugnent, ob bonum tamen vniuersi in commune fœdus & amicitiam coire videntur. Certè si absque supremi ducis moderamine cuncta euenirent, nec eadem, nec eodem modo res in vniuerso recurrerent, quod enim casu accidit, raro fit, & intempestiuè.

Quis credat in animantium formatione membra tam ordinate elaborata, tam sapienter distributa, non ad elegantiam solum, sed ad vsum, organis apparata, tot potentiis & facultatibus instructa, incerto & vago fluctuantis naturæ motu & materiæ occursu in eam speciem coaluisse? quis arbitretur, fortunam casumque brutis animalibus indidisse suspiciendum illud in educandis fœtibus ingenium; in fouendis, amorem; in condendis nidis, artem; in defendendis arma, bella, stratagemata, quibus hostem aut aggrediuntur, aut fugant, aut declinant.

In cuius mentem venire potest structuram orbis esse fortunæ beneficium, sicut & elementorum

torum concordem discordiam, siderum per occasum atque ortum, recursum alternum ? sane ipsa terræ moles, decor, commoditas, in medio orbis suspensio stabilis & intrepida, partium distinctio, camporum patentium fusa planities, montium erecti in sublime vertices, fluuiorum irriguus decursus ; exterior florum, & arborum quibus vestitur, ornatus ; interior metallorum opulentia summam aliquam sapientiam effectricem prædicant, cum summa sapientia opus sit ad tam eximij opificij prodigia discernenda, vt ait Minut. fœlix.

Mitto penè miracula maris aspectu tam pulchri, fluxu & refluxu tam stupendi, commercio tam vtilis ; ad sobolem tam fœcundi, & præfixorum limitum adeo venerabundi. Mitto gloriam cœlorum inferiorem hunc orbem non tam ambientium quam fouentium, siderum splendorem, celeritatem, influxus, Solis maiestatem, accessum & recessum, annuas varietates quaternas inducentem, quotidianum ortum & interitum diem à nocte secernentem.

Mitto hominis, qui paruus mundus dicitur, fabricam, in quo omnes artus, membra, ossa, nerui musculi, venæ ita compaginantur & disponuntur, vt sola oculi efformatio quosque rapere possit attentos. Sed quanto magis animæ rationalis capacitas, intellectualitas, sagacitas, amor, libertas id efficient. Quis autem ita mente cæcutiat, vt tot prodigia sapientissimi gubernatoris, casui aut temeræ fortunæ ascribat ? Certè stultus merito diceretur, qui cernens ciuitatem præclaris legibus munitam eam negaret à magistratibus optimis regi : qui audiens suauem concentum citharæ, pulsantem de-

Citharædum inficiaretur, qui videns regale palatium, illud fortuita lapidum lignorumque congerie extructum assereret, vel intuens imaginem lineamentorum ac pigmentorum omnium flore speciosissimam ex contingenti colorum mixtione credereret efformatam, vel legens librum eruditum, ex caracterum temere proiectorum fortuita coaceruatione exaratum pronuntiaret. Quis similiter, ait Lactantius, nisi totaliter cæcus hanc vastissimam molem tot elementis, totque aliis corporibus compaginatam ab aliquo præstantissimo & diuino opifice constructam non iudicet?

Argumenta Atheorum contra existentiam diuinitatis nullius momenti sunt. Nihil enim aliud satagunt quam rationes quibus probatur diuinitatis existentia, infirmare, vticonsueuerat Tholosę Lucilius ibi combustus, nec ad suam impietatem tuendam rationibus mouentur sed vitiis, quibus vt libere indulgeant, nec scelerum conscientia & angoribus exedantur, potius malunt Deum non esse quam negant, vnde ait propheta Psalm. 13. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* In corde, inquit, non in mente, quia nollent dari Deum, quem ignorare non possunt, quemve flagitionum vltorem timent. Nam vt ait Bern. lib. 5. de consider. *Deus non minus pœna peruersorum est, quam humilium gloria, cui illisa omnis p.auitas conturbetur necesse est.* Et hæc est causa quare Deum esse nolunt. Vnde radicem tantæ insaniæ deregens propheta subdit, *corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Quia nimirum falsæ libertatis & impunitatis libido parit odium legis, odium legis tædium pro-

creat legislatoris; tædium autem legislatoris in eiusdem exterminium prorumpit. Vnde eleganter minut. fælix in octau. *naturale est & odisse quem times, & quem metuis infestare si possis.* Et Ambros. lib. 1. de offic. cap. 24. *nolunt supra se esse iudicem quem nihil fallat, nolunt ei dare occultorum scientiam, qui metuunt occulta sua prodi.* In summa eò collimant impij, vt securitatem sibi quærant atque licentiam faciendi quidquid libuerit; vt subintret impietas inuerecunda, impauida regnet audacia, & timor omnis, sine quo fit homo sicut equus & mulus indomitus, penitus auferatur; dum nec pæna timetur, nec à Deo vllum commodum speratur. Arguunt tamen Athei ex prospero statu malorum, & infortunio bonorum. Sed hæc, dum de prouidentia & gubernatione Dei agetur, elucidabuntur infrà.

Dices: existentia Dei pertinet ad obiectum fidei, nam vt ait Apostolus accedentem ad Deum oporte credere quia est: ergo frustra laboramus in ea rationibus naturalibus demonstranda.

Respondeo existentiam Dei fide tantum cognosci ab iis qui demonstrationum vim non capiunt. Quod si fidelis habens fidem de existentia Dei, postea demonstrationes acquirat, non propterea amittet fidem circa alios articulos, sed fides non se extendet ad istum, nisi forte indirecte, quatenus fertur ad articulos in quibus Dei existentia includitur, vt Deus est trinus, incarnatus &c. Nec propterea fit deterioris conditionis acquirendo scientiam de Deo quæ non est ita certa sicut fides; tum quia quod amittit de certitudine compensatur per euidentiam. Tum quia firmitas certitudinis fidei perseuerat

quatenus ex fide remanet in homine iudicium & dictamen se in suis demonstrationibus non falli & sic virtualiter manet certitudo fidei in hoc iudicio, & certe conditio beatissimæ virginis & Apostolorum videntium Christum non erat deterior nostra quæ solum credit, sed longe fortunatior, cum scriptum sit, beati oculi qui vident quæ vos videtis. Sed de his alibi disputari solet.

Reflexio.

Horribilis sane est Atheorum & libertinorum infœlicitas, qui Deum esse nolunt, vt sine metu peccent: nam vt ait August. lib. 1. contr. aduersariorum legis & proph. cap. 24. *Quis digne eloqui possit quam sit mentis execrabilior fœditas pœnas exhorrescere meritorum, & merita non cauere pœnarum.* Tamen eorum nequitiam non æmulatur modo sed superat qui Deum credens, effræni libertate sic impune vitiis seruit ac si Deum non existere opinaretur. Irrisoria est ista diuinitatis professio, qui enim cognoscit Deum & non timet profecto Deum contemnit. Vnde Eccles. 12. *Fili time Deum & mandata eius obserua hoc est enim omnis homo*, id est vt exponit Hieron. ad hoc natus est omnis homo. Quod si hoc est omnis homo, *ergo sine hoc nihil est omnis homo*, vt mire concludit Bernard. & rationem dat Hugo à S. Victore. Serm. 10. qui cognouit Deum & non timet magis dicendus est diabolus quam homo; si vero non cognoscit magis est bestia quam homo. Quod si cognoscit & timet vere homo est & tali nomine dignus appellatur, quia ratione sua non vtitur

nisi vt ex visibilibus ad Dei inuisibilem diuinitatem ascendat & veneretur Philosophis sapientior, qui Deum quidem cognouerunt sed non sicut Deum glorificauerunt. Hic ergo sit noster vnicus scopus Deum fateri & reuereri. Et vt ait August. *ipse solus quaeratur vbi nostra secura sunt omnia; ipse cernatur vbi nostra certa sunt omnia, ipse diligatur, vbi nobis recta sunt omnia.*

SPECVLATIO III.

Deus est ita vnus & singularis vt repugnet dari plures Deos.

HVius prerogatiuæ tamquam pretiosissimi deitatis monilis Deus in scripturis Zelantissimus est. Deut. 6. *Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est.* Exod. 20. *Non habebis Deo alienos coram me.* Et cap. 34. postquam scriptura præmisit *noli adorare Deum alienum*, subdit, *Dominus Zelotes nomen eius, Deus est amulator.* ad Eph. 4. *vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Hinc obseruat D. Aug. lib. 1. de consens. Euangelist. cap. 18. Romanos, qui diligentissima superstitione omnes Deos collectos habebant, & omnium gentium seruientes erroribus magnam sibi videbantur assumpsisse religionem si nullam respuerent falsitatem vt ait sanctus Leo, tamen Deum Hebræorum excluserunt. quia Socratis sententia est, verba sunt Augustini, *vnumquemque Deum sic esse colendum quomodo se ipse colendum esse præceperit, proinde Romanis summa necess-*

sitas facta est non colendi Deum Habræorum, quia si alio modo eum colere vellent, quam se colendum ipse dixisset, non vtique illum colerent, sed quod ipsi finxissent: si autem illo modo vellent colere quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant.

Probatur ratione: nomine Dei intelligimus actum purum perfectissimum, vt patet ex modo dictis de existentia Dei. Sed repugnat tale ens multiplicari, nam si darentur duo entia summe perfecta deberent distingui per aliquid quo alteruter Deus careret, & subinde deberet esse in vno aliqua perfectio quæ non esset in altero: ergo necessario Deus est vnus.

Hanc rationem tradit Tertul. lib. 1. contr. marcio.cap. 3. *Deus si non vnus est, non est, quia dignius credimus non esse quodcumque non ita fuerit vt esse debebit: Deum autem vt scias vnum esse debere quære quid sit Deus, & non aliter inuenies: nimirum summum magnum, quod vnum sit necesse est par non habendo, ne non sit summum magnum.*

Probatur secundo: Deus est ens necessarium omnia contingentia regens & moderans & tot tamque diuersa quæ in vnum vniuersi ordinem conspirant ad vnum finem ordinans vt fuse declarauimus. Sed talis mundi rector debet esse vnicus; nam si essent plures Dij in regimine vniuersi, vel omnia fierent ab vno vel pluribus; si ab vnico, alij nec creatores nec gubernatores sunt proindeque nec Dij nostri. Si à pluribus, vel quilibet est potens gubernare mundum vel impotens & infirmus: Si infirmus, qualis Deus! si potentes omnes, omnium concursus superfluit cum vnius sufficiat. Quid autem portentosius quam ponere Deum superfluum, cum Deus

sit ens necessarium? Confirmant hanc rationem Patres Cyprian. l. de Idol. vanit. *Si Rex vnus est apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus, multo magis mundi vnus est rector, vniuersa quæ sunt verbo iubet, ratione dispensat, virtute conseruat.* D. Athan. orat. contra gent. *fieri non potest vt hæc omnia inuicem contraria in vnum ordinem se colligerent nisi aliquis esset summus moderator qui simul ea sociaret.* Denique D. Thom. l. 1. cont. gent. c. 42. rat. 17. *in quolibet principatu ille qui præsidet vnitatem desiderat, vnde inter principatus est potissima Monarchia siue regnum: multorum etiam membrorum vnum est caput ac per hoc euidentissimum apparet Deum qui est omnium causa oportere vnum simpliciter constituere, & simpliciter confiteri.*

Atque ex his apparet quantũ impegerit cæca gentilitas, quæ tot Deos admittebat, vt vix grandibus voluminibus possint recensẽri, singulis enim rebus propria dispertiebant numina vt notat August. lib. 4. de Ciuit. cap. 8. qui sic eos lepide carpit. *Vnusquisque domui suæ ponit ostiarium, & quia homo est, omnino sufficit; tres deos isti posuerunt, forculum foribus, Cardeam cardini, limentinum limini.* Nec minus argute Tertul. Apol. 5. *apud vos de humano arbitratu diuinitas pensitatur; nisi homini Deus placuerit, Deus non non erit; homo iam Deo propitius esse debebit.*

Quot ergo & quantæ Deo agendæ sunt nobis gratiarum actiones, quos è tam profundis tenebris, in quibus sepulti erant Patres nostri misericorditer erexit. Presertim quia corruptela nescio qua, magna inest hominibus ad idolatriam propensio vt obseruat August. epist. 22. quam opacam densarum tenebrarum quibus

circumfusus iacebat mundus caliginem Euangelicæ prædicationis splendor fugauit, vt promiserat Isai. cap. 4. *eleuabitur dominus solus in illa die, & idola penitus conterentur.*

Quod si quæras vnde tanta in hominibus procliuitas ad idololatriam oriebatur.

Respondeo duplicem fuisse causam 1. quia homines quærebant patronum ad quem à Deo irato confugerent, & sic alium Deum confingebant quem propitium inuenirent, arbitrantes nullius creaturæ tutelam valere aduertus Deum stomachatum, & sic vt euaderent Deum verum minantem fecerunt sibi Deos nouos & recentes. Vnde Ouid. lib. 1. trist. eleg. 2.

Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem
Iupiter in Troiam pro Troia stabat Apollo.
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Oderat Æneam propior Saturnia Iuno
Ille tamen Veneris numine tutus erat
Et nobis aliquot quamuis distemus ab illis
Quid vetat irato numen adesse Deo.

Secunda ratio fuit vt homines haberent criminum fautores, & eò facilius laxarent habenas, quo procliue est imitari quod non piget venerari, & facile sibi quisque suadet id vacare culpa cui patrocinantur deorum exempla, quibus crimina veluti consecrantur: & ideo Deos cruentos, & impudicos excogitarunt aliisque vitiis deformes, vt huiusmodi sceleribus ingenita fragilitate præcipites & proni, sine remorsu indulgerent.

Dices: in scripturis aliquando fit mentio de pluribus DIIS, *non est similis tui in Diis Domine, Ego dixi dij estis.* Ergo Deus non est vnicus.

Respondet apposite Catheciſmus Romanus

his verbis. Neque vero nos moueat quod interdum sacræ litteræ Dei nomen creatis etiam naturis imponunt: nam quod prophetas & Iudices Deos appellarunt non gentium more factum est quæ sibi plures Deos stulte & impiè finxerunt, sed quadam loquendi consuetudine significare voluerunt excellentem aliquam virtutem vel functionem, quæ Dei munere illis concessa sit.

Reflexio.

Quoties vitiis inquinamur toties Dei vnitati bellum gerimus, dum vltimum finem in creatura reponimus. Vnde Apostolus auaritiam idolorum nominat seruitutem, & gulosis ventrem pro Deo asserit. & idem de aliis dicendum est. Eleganter id prosequitur S.Leo Serm.6. de Epiph. *Diabolus cruciatur vocatione gentium, dolens verum regem in locis omnibus adorari, eius malignitas longo vsu propriæ imbuta nequitiæ non deposuit odium, sed vertit ingenium, quo sibi mentes fidelium blandius subdat: inflammat enim concupiscentiis, quos non potest vexare tormentis, serit discordias, accendit iras, excitat linguas, quia illi totius fraudis hic fructus est; vt qui immolatione pecudum & thuris incensione non colitur, quibuslibet ei criminibus seruiatur.* Sane peius est erigere idolum in corde humano, quam in ligneo vel saxeo simulachro; & sceleratius longe est fieri idoli templum & dæmonis thronus, quam struere idolo lapides templi, & dæmoni bestias offerre.

CAPVT II.

Quid sit Deus, & quodnam constitutiuum naturæ ipsius.

QVamuis inter probandam Dei existentiam eius etiam quidditatem tetigerimus astruendo quinque conditiones primi entis. Nihilominus specialius inuestiganda est ratio illa veluti fontalis & primordialis à qua cæteræ Dei perfectiones nostro modo intelligendi fluant, quamuis cæteroquin omnia quæ in Deo sunt sint ipse Deus, & diuina excellentia omnium, quibus ditescit perfectionum cumulum exigat, sed inquiritur quænam sit veluti ratio à priori earum omnium, pro quo intelligendo.

Aduerte aliquos distinguere in Deo essentiam à natura diuersumque vtrique constitutiuum assignare. Sed in hoc immorandum esse non arbitror, quia totum difficultatis momentum in hoc situm est, quænam sit perfectio nostro modo concipiendi prima per quam Deus constituatur & distinguatur à quocumque alio ente creato vel creabili, & ex qua aliæ perfectiones veluti proprietates resultent. Vno verbo quærimus quid sit Deus, quodnam sit constitutiuum eius, sicut cum quærimus quid est homo & per quid constituatur, non inuoluimur nec implicamur in his distinctionibus superfluis, homo est hoc secundum essentiam, est

aliud ſecundum naturam, ſed plane & reſolutorie dicimus, homo eſt animal rationale, an vero eſſentia & natura identificentur vel diſtinguantur tunc non expenditur.

Similiter ad tollendam omnis æquiuocationis viam quærimus impreſentiarum quid ſit Deus, ſeu quænam ſit illa ratio qua Deus in ſe conſtituitur & diſtinguitur per ſe primo à creaturis & ex qua alia attributa virtuali ſequela conſequantur. Hoc dumtaxat inquirimus, illam rationem voca eſſentiam, appella quidditatem, nomina naturam perinde mihi eſt, modo illud mihi conſtet dequo eſt quæſtio. Nam vt alicubi Tullius ſcripſit: in verborum vſu faciles eſſe debemus, cum de re ipſa conſtat.

SPECVLATIO I.

Verum & formale Dei *conſtitutiuum eſt ratio entis à ſe ſeu per eſſentiam, vnde ſi* Deus *deſcribi deberet ſic exprimenda foret eius notio:* Deus *eſt ens à ſe & per ſe ſubſiſtens.*

HAnc aſſertionem tradit ipſemet Deus, qui ſicut ſeipſum perfecte cognoſcit ita & eſſentiam ſuam explicare ſolus poteſt, interrogatus autem à Moyſe quidnam eſſet ait Exod. 3. ſuum veluti declarans conſtitutiuum, *ego ſum qui ſum*, eique iniungit vt dicat Pharaoni, *qui*

est misit me ad vos, quæ verba ponderans Hilarius lib. 14. de Trin. *miratus sum plane tam absolutam de Deo significationem, nihil enim Deo magis proprium quam esse intelligitur.* Et D. Damasc. cit. D. Thom. qu. 13. art. 11. *principalius omnibus quæ de Deo dicuntur nominibus est, qui est.* Et inde infert ibidem S. Thom. quod nomen, *qui est*, est maxime Deo proprium. Ergo ex scriptura & patribus nomen, *qui est*, exprimit Dei constitutiuum, cum significet rationem qua nihil magis proprium, quæ principalior imo quæ maxime propria est.

Fauet huic sententiæ perpetuo D. Thom. nam præter locum citatum sic ait in proëmio quæst. 14. *Post considerationem eorum quæ ad diuinam substantiam pertinent, restat considerandum de his quæ pertinent ad operationem eius.* Explicans vero hanc operationem ait esse vel immanentem quæ est intelligere & velle, vel transeuntem quæ est potentia, ergo aperte censet prius esse constitutam diuinam substantiam quam concipiamus in illa intellectionem, quam dicit sequi ex entitate & immaterialitate Dei, sic enim concludit articulum primum illius quæstionis, *cum Deus sit in summo immaterialitatis relinquitur quod sit in summo cognitionis.* Videri etiam potest infrà quæst. 26. art. 2 ad 1. vbi ait quod beatitudo conuenit Deo non *secundum rationem essentiæ, sed magis secundum rationem intellectus*, ergo sentit essentiam & intellectum esse duas rationes virtualiter distinctas, & in corpore dixerat: *in Deo non est aliud intelligere & esse secundum rem, sed tantum secundum intelligentiæ rationem.*

Probatur ratione à priori: vt aliqua ratio

sit constitutiua alicuius requiritur & sufficit quod sit prima nostro modo concipiendi quæ intelligitur in re, & quod sit radix cæterarum perfectionum : atqui rationi entis per essentiam conueniunt illæ duæ conditiones. Ergo Deus constituitur per rationem entis à se seu per essentiam. Maior patet quia ratio quæ non est prima sed alias anteriores supponit, ipsamet est proprietas non essentia, si autem ita sit prima vt non sit radix cæterarum, iam non erit essentia vel natura quia ex essentia debent emanare proprietates. Si vero concurrant illæ duæ conditiones illa ratio non potest non constituere essentiam vt patet discurrenti per omnia entia. Minor vero videtur euidens nam primum quod concipimus in Deo est ratio entis à se qua nulla prior vel anterior imaginabilis est. Vnde præclare Diu. Dyonis. l. de Diu. nomin. hanc rationem vocat antiquiorem : *ipsum per se esse antiquius est ipsa per se vita*, &c. Illi etiam rationi debentur omnes aliæ perfectiones quæ ex fontali plenitudine essendi per legitimam consequentiam deducuntur : ergo illa ratio est prima in Deo & radix cæterarum.

Respondent non sufficere ad rationem constitutiui quod sit prius per modum prædicati communis, alias gradus substantiæ, viuentis, corporis, qui prius in homine concipiuntur quam rationale, hominem constituerent. Exigitur ergo ad rationem constitutiui quod sit primum inter prædicata specialia & propria quale est rationale in homine.

Sed contra : ideo rationes illæ priores quæ sunt in homine non constituunt differentiam

propriam hominis quia sunt communes, nam si ratio substantiæ esset ita propria homini vt nulli alteri conueniret, illa hominem primitus constitueret. Fateor itaque de ratione constitutiui esse vt sit ratio qua primo res constituta distinguatur ab aliis, quia idem est constitutiuum, & distinctiuum, sed hinc instauro argumentum & subsumo. Atqui ratio entis à se & per essentiam non solum primo concipitur in Deo, sed etiam est id per quod primo Deus distinguitur à quocumque ente creato & creabili, vt patet: neque enim illa ratio potest esse communis creaturis quæ sunt essentialiter entia ab alio, sed est Deo propria & caracteristica. ergo illa ratio est constitutiua, sicut si ex creaturis solus homo & accidentia essent possibilia homo constitueretur per rationem per se subsistendi, qua primo differret ab accidentibus, nec recurrendum esset ad rationem viuentis, corporis, vel rationalis.

Probatur vero à posteriori: gratia sanctificans est formalis participatio naturæ Diuinæ, vt docetur communiter à Thomistis in materia de gratia, & fundatur eorum sententia in locis illis in quibus dicitur, quod nobis Deus pretiosa donauit vt consortes simus Diuinæ naturæ, & quod Filij Dei nominamur, & sumus. Ergo per id formaliter constituitur natura Diuina quod participatur à gratia sanctificante. atqui gratia participat solum esse diuinum non vero actualem intellectionem, sed dumtaxat radicalem quæ est in Deo ipsa ratio entis à se immaterialis & summe spiritalis. ergo ratio entis à se, & summe immaterialis spiritualitas Dei præstant germanum ipsius constitutiuum.

Nec valet respondere intelligere diuinum habere diuersa munia inadæquata ratione quorum potest à diuersis perfectionibus creatis participari : & sic prout habet rationem naturæ & radicis attributorum exprimi à gratia, prout gerit vicem operationis à visione beata se imitandum præbere.

Sed hoc nullatenus satisfacit : nam in Deo aliud est cum fundamento quod exprimitur à gratia & aliud quod à visione participatur ; sed illud quod à visione participatur est intelligere: ergo gratia non exprimit intelligere ; & tamen gratia exprimit naturam : ergo intelligere non constituit naturam. Vel si formaliter constituat, vt vult opposita sententia, profecto visio beata erit perfectior expressio naturæ Diuinæ quam gratia, siquidem delineabit id quod formaliter constituit naturam : consequens est aperte falsum, nam sicut à gratia fluit visio beata realiter, ita id quod imitatur visio beata debet in Deo virtualiter consequi ad essentiam diuinam.

Et cum dicitur quod gratia exprimit solum vnum munus diuini intelligere sic insto. Munus illud radicis intellectionis quod gratia imitatur, vel est formaliter intelligere, vel non. Si secundum, habemus intentum ; primum vero dici non potest, quia intelligere est essentialiter operatio, nec ab ea potest præscindi, imo est omnium operationum perfectissima qua viuit natura intellectualis, vita vero consistit in operatione : Sed operatio necessario supponit esse & ab eo virtualiter distinguitur : ergo intelligere diuinum non solum supponit esse tamquam diuersum munus, sed etiam tamquam aliquid virtualiter distinctum pertinens ad di-

uersam lineam, cum manifestum sit vel nihil in Deo virtualiter distingui, vel debere distingui lineam essendi & operandi.

Nec potest dici naturam Diuinam constitui per intelligere non prout est operatio, sed vt est vltimus actus naturæ intellectualis. Nam contra est implicat concipere, *intelligere* posse præscindi à ratione operationis, quid enim est intelligere actuale, nisi percipere obiectum, representare illud, attingere illud actu? hoc autem si non sit formaliter operari, plane nescio cui ratio operationis conuenire possit; & deinde: intellectio vt est vltimus actus naturæ intellectualis vel distinguitur formaliter à ratione operationis, vel non; si non distinguitur formaliter ab operatione, ergo ab ea non præscindit; si distinguitur, ergo intellectio non erit perfectissima, & actualissima, siquidem concipietur carere ratione operationis sibi propria.

Reflexio.

Sicut Deus describens naturam suam dixit, *ego sum qui sum*: sic sapientissimus præcursor sciscitantibus Iudæis, *Tu quis es*; respondit *non sum*. Vt habetur Ioan. 1. & Dauid Psal. 3. *substantia mea tamquam nihilum ante te*. Quia nimirum creatura omnis quibuslibet perfectionibus aucta plus habet de non esse quam de esse, vt alicubi ait S. Thom. quia Deus est, *qui est*, omnem bonitatis plenitudinem in se veluti vastissimo sinu congregat. Homo vero qui teste Ioanne *non est*, totius creatæ miseriæ compendium est. Seu vt ait Psaltes *vniuersa vanitas omnis homo viuens*, habet quippe su-

blunarium corruptionem, animalium laborem & dolorem, cælorum mobilitatem, Angelorum apoſtatarum prauitatem. Cur ergo ô homo ſtulte & inſipiens incircunſcriptam totius perfectionis abyſſum floccifacis, vt nihilum vmbraſque proſequaris? Cur derelinquis fontem aquæ vitæ, vt fodias tibi ciſternas diſſipatas? Mihi crede. Ne inhæreas creaturis quæ ſub teſſunt, ne tibi innitaris, qui nihil es, ne viuas capite demiſſo cui Deus os ſublime dedit, vt cælum intuereris. O homo ad immortalium cognitionem nimis mortalis, cur in amandis non entibus tempus teris, nec ad ens per eſſentiam aſſurgis. Solus qui eſt implere poteſt cor tuum, & tamen illud ventis reples, & fumis: è nihilo quidemes, ſed ad magna natus. Audi Ethnicum admonentem: maior es & ad maiora natus quam vt ſis mancipium corporis tui, & terrenis occupetur animus tuus æterniatis candidatus.

SPECVLATIO II.

Solutione obiectionum magis illuſtratur hæc materia.

PRo ſolutione obiectionum duo habe ſemper præ oculis, primum quod licet nomine Dei intelligamus id quo nihil melius eſſe aut excogitari poteſt, &, vt loquuntur Patres, Deus ſit Pelagus eſſendi omnem omnino perfectionem ambiens, & implicitè importans: tamen dum indagamus Dei naturam, eamque noſtro

modo intelligendi ab attributis & proprietatibus secernere volumus, inquirimus quodnam ex tot & tantis, quæ in Deo cumulatissimè sunt, ornamentis, habeat rationem naturæ & veluti fontis cæteras perfectiones virtualiter profundentis.

Alterum est, quod licet S. Præceptor frequenter inculcet esse Dei non distingui ab intelligere, sed esse omnino idem cum illo, nihil tamen inde euincitur, cum etiam passim asseueret velle non distingui imo in 1. ad Annib. dist. 35. qu. 1. art. 2. ad 3. ait: *Sicut intelligere est idem cum essentia, ita & velle.* Quare huiusmodi loquutionibus prætendit solùm Diuinæ simpliciratis vnitatem inuiolatam seruare, omnemque realem distinctionem eliminare: distinctionem vero rationis cum fundamento in re nusquam excluſit, sed potius antè recitatis locis apertissimè significauit. His prælibatis.

Objicies: Natura diuina debet constitui per gradum intellectiuum multo magis quam Angelus qui dicitur intelligentia, & spiritus; & quam homo qui rationalis definitur. Alias Deus non constitueretur per nobiliorem modum essendi, & creatura intellectualis creata ex vi sui constitutiui, & gradus specifici & differentialis esset formaliter in perfectiori statu quam Deus, qui à nobis constituitur per gradum entis qui est omnium infimus, & communis cum lapidibus. Atqui supposito quod Deus constituatur per gradum intellectiuum, necessario intelligere constituit ipsum, quia cum Deus sit actus purus, si constituatur per gradum intellectiuum necessario constituitur per vltimũ

actum illius ordinis, qui est intellectio actualis. Ergo intellectio actualis Diuinam naturam constituit.

Respond. Naturam Diuinam in constitutione sua importare gradum intellectium non formaliter, expressè, & explicitè, sed implicitè, & veluti in radice. Ens siquidem per essentiam & actus purus est formaliter summe spiritalis & immaterialis & consequenter intelligens. Quare gradus entis in Deo non est infimus & postemus sicut in Angelo & in homine, sed supremus & plenissimus, quia est ipsum esse subsistens & per essentiam, seu plenitudo essendi, id est omnem cuiusuis entis possibilis perfectionem eminentissime præcontinens. In creaturis vero gradus essendi est limitatus vtpote quia receptus in essentia, estque veluti nudus nisi superadueniat alia perfectio, & ideo neque Angelus neq; homo per gradum entis ab alio constituuntur, bene tamen Deus. Est alia etiam disparitas, quia ratio entis ab alio in Angelo & homine est communis vtrisque, aliisque omnibus creaturis, vnde sicut non distinguit, ita nec constituit, cum idem sit constitutiuum & distinctiuum. At vero ratio entis à se & per essentiam est Deo propriissima, & prima: ergo primitus per eam distinguitur ab omnibus aliis, proindeque constituitur.

Dices: Per hoc quod concipimus in Deo rationem entis, & substantiæ inmaterialis, spiritalis, & radicaliter intellectiuæ nihil apprehendimus quod non sit commune Deo & creaturis. Ergo nondum assignamus constitutiuum, donec perueniamus ad intelligere actuale quod est Deo proprium.

Respond. Hoc argumentum quod nonnullis placuit valde frigidum esse, nam etiam intellectio actualis est etiam analogice communis Deo, & creaturis intellectualibus. Vnde dicendum rationem entis esse quidem analogice communem, sed rationem entis à se esse Deo propriam, cæteriſque incommunicabilem. Vnde rectè Iob de Deo dixit cap.23. *ipse solus est.*

Vrgebis: ratio entis à se non distinguitur virtualiter ab intelligibilitate Dei, essentia siquidem Diuina est per seipsam formaliter intelligibilis hoc ipso quod est actus purus & immaterialis. Ergo non distinguitur etiam virtualiter ab intellectione actuali : Probatur consequentia : intellectio actualis Dei non distinguitur etiam virtualiter à specie expressa Diuini intellectus qui alias non esset omnino perfectus in suo ordine ; species autem expressa in Deo non distinguitur à specie impressa, cum vna sic actus alterius & vtraque sit actus purus in suo ordine. Atqui species impressa & intelligibilitas Diuina idem sunt formaliter, alias essentia Diuina non esset per seipsam formaliter intelligibilis. Ergo essentia Diuina non distinguitur etiam virtualiter ab specie expressa Diuini intellectus, subindeque nec ab intellectione, cum hæc omnia sint in linea intellectuali; ea vero quæ pertinent ad eandem lineam nullatenus distinguntur.

Hoc argumentum plurimum magnificabat quidam eruditus Theologiæ professor, sed plus habet acuminis quam veritatis, tum quia essentia Angeli per se habet rationem speciei impressæ, & tamen realiter distinguitur ab in-

tellectione & ſpecie expreſſa, ergo non eſt inconueniens quod diſtinguantur virtualiter in Deo. Tum quia omnes perfectiones Diuinæ ſunt per ſeipſas intelligibiles, cum quælibet ſit actus purus in ſua linea, ergone propterea non diſtinguntur virtualiter ab intellectione Dei?

Quare dicendum quod licet eſſentia diuina ſit per ſeipſam ſpecies intelligibilis imo & intellectiſſima quantum eſt de ſe, quia eſt actus purus, tamen diſtinguitur virtualiter ab intellectu & intellectione, cum ſit eius obiectum. Et cum dicitur quod ſpecies impreſſa pertinet ad lineam intellectiuam, & quod ea quæ pertinent ad eandem lineam non diſtinguntur virtualiter, reſpondeo quod illa quæ pertinent ad aliquam lineam, vt actus & potentia non diſtinguntur, quia in Deo non eſt aliquid potentiale. ſed ea quæ pertinent ad aliquam lineam ſolum per modum obiecti non ſolum non identificantur cum illa, ſed neceſſario virtualiter diſtinguntur. Species autem & intelligibilitas Diuina pertinent ad intellectualitatem diuinam dumtaxat vt obiectum diuinæ cognitionis, à qua proinde virtualiter diſtinguitur, cum omnis cognitio niſi ſit reflexa ſupponat obiectum ſuum à ſe diſtinctum, realiter quidem in creaturis, ſed virtualiter in Deo, ex quo potius pro noſtra ſententia non parum efficax formari poſſet ratio, quam ingenioſo lectori indicaſſe ſat eſt. Et certè, ſi ea quæ pertinent ad eandem lineam per modum obiecti & potentiæ eſſent idem abſque diſtinctione virtuali, eſſe Diuinum non diſtingueretur virtualiter à velle, eſſentia quippe Diuina eſt obiectum ſuæ voluntatis, & obiectū

amabile & bonum tam pertinet ad lineam voluntatis, quam objectum cognoscibile & verum ad lineam intellectus.

Insistes : Illa ratio non constituit naturam diuinam provt distinguitur ab attributis, quæ inuenitur in omni attributo, quod enim reperitur in omni attributo non discernit inter naturam & attributum. Sed ratio entis à se inuenitur in omni attributo diuino, & in eo transcendaliter imbibitur, sicut ratio entis ab alio imbibitur in omni perfectione creata. Ergo ratio entis à se non constituit natuam diuinam.

Respondeo: Hoc argumentum manifestè retorqueri in aduersarios qui vltro fatentur essentiam diuinam transcendentaliter includi in attributis, imò & in relationibus, & tamen non negant propterea essentiam diuinam distingui virtualiter ab attributis, vel relationibus. Ergo ex eo quod ratio entis à se transcendat omnia attributa, perperam inferunt rationem illam non constituere naturam diuinam. In forma igitur resp. communi solutione Thomistarum, illa ratio non constituit naturam, quæ inuenitur in omni attributo explicitè concedo; si inueniatur tantum implicitè nego. Ratio autem entis à se & per essentiam quantumuis implicitè includatur in omnibus attributis, non tamen explicatur in illis; nam intellectus, sapientia, iustitia in Deo sunt quidem ens à se, sed non explicant formaliter existentiam. Addi potest rationem entis à se & per essentiam dupliciter intelligi posse, primò vt dicit negationem existendi ab alio & sic conuenit omnibus attributis hoc ipso quod Diuina sunt. Secundò vt

importat negationem radicis virtualis à qua noſtro modo concipiendi deriuetur. Et ſic ſoli conuenit eſſentiæ Diuinæ quæ ex nulla priori ratione dimanat, ſed à qua profluit omnis perfectionum comitatus.

Reflexio.

Ex noſtra ſententia conſectarium deduci poteſt non parum ad ciendos pietatis motus, & ad ingentis conſolationis fontem vberem aperiendum conducens. Si enim Dei natura ſit fontalis plenitudo eſſendi, ſi hæc ſit eſſentialis diſparitas inter naturam Dei & creaturarum quantumcumque excellentium, quod primordialis eſſendi neceſſitas ſit primus caracter Diuinitatis; dependentia vero, contingentia, & variabilitas ſit prima creaturarum notio; planè conſequitur vnicè ſpem noſtram in eo eſſe ponendam, qui immobiliter eſt, *qui eſt.* Hoc corollarium egregie tradit D. Auguſtinus expoſitione in Pſal. 9. expendens enim illud, *ſperent in te, qui nouerunt nomen tuum.* Ait, *Dominus dixit ad Moſem, ego ſum qui ſum; ſperent igitur in te qui cognoſcunt hoc nomen tuum. Ne ſperent in rebus quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes niſi erit, & fuit quoniam quod in illis futurum eſt, cum venerit fit ſtatim præteritum; & expectatur cum cupiditate; amittitur cum dolore. In Dei autem natura non erit aliquid quaſi nondum ſit, nec fuit aliquid quaſi iam non ſit, ſed eſt tantum id quod eſt. Deſinant igitur ſperare, & diligere temporalia, & ſe ad æternam ſpem conferant, qui cognoſcunt nomen eius, qui dixit, ego ſum qui ſum.*

SPECVLATIO III.

Ad efformandam sublimen & eleuatam de Dei maiestate idem, mirum in modum conducit sententia quæ Dei naturam constituit per rationem entis à se & per essentiam, seu per essendi plenitudinem.

HAnc tertiam speculationem qua nostra sententia non parum illustrabitur, de industria duabus prioribus adjecimus, quia nonnullos audiuimus asserentes sententiam quæ Deum per esse à se constituit, nimis deprimere Diuinitatem, cum eam per gradum essendi omnium infimum declarat. Contra quos.

Probatur assertio: Illa diuinitatis descriptio plurimum iuuat ad altum de Deo conceptum efformandum quæ Dei admirationem rapit. Vnde patri Sansonis interroganti quo nomine vocaretur Deus, respondit Angelus in persona Dei Iudic. 13. *Cur nomen meum interrogas quod admirabile est?* Et certe sicut Tullius nihili faciendam illam eloquentiam iudicauit, quæ id non efficit vt auditores in admirationem rapiantur: sic nihilo melior est Diuinæ naturæ descriptio, quæ supremi numinis admirationem non parit. Atqui descriptio diuinæ naturæ per ens per essentiam constitutæ dei admirationem ingenerat. Quis enim sibi repræsentans plenitudinem & pelagum essendi, tantæ maiestatis eminentia attonitus non stupeat? Cum enim

enim dicimus Deum esse *qui est*, seu ens per essentiam, intelligimus immensam perfectionis amplitudinem, quæ omnem includit, omnem exsuperat superexcessu substantiæ suæ. Nam sicut ens omnia peruadit, ita nihil apprehendere, imaginari nihil possumus, quod in ente per essentiam veluti in fonte & centro non inueniatur. Ergo ratio entis per essentiam sublimiter de Deo sentiendi ansam præbet.

Confirmatur, & illustratur: Tunc perfectiorem de Deo conceptum formamus, cum eum magis illimitatum apprehendimus. Cum Deus sit ens infinitum, nullisque perfectionis limitibus circunscriptum. Atqui ratio entis per essentiam, & esse à se & per se subsistens est omnium maxime illimitata; omnes enim aliæ perfectiones siue intelligere, siue velle, siue posse, siue misericordia, siue iustitia specialem aliquem perfectionis modum designant: At esse subsistens & plenitudo essendi, omnem entis perfectionem includit, quia nullam entis differentiam determinat. Vnde pereleganter Minutius fælix: *Nec nomen Deo quæras, illic vocabulis opus est cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est. Aufer additamenta nominum, & perspicies eius claritatem.* Et seneca in præfat ad q. natur. *Quid est Deus? quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil maius excogitari potest.* Ergo notio entis à se altam cogitationem de Deo parit.

Hanc rationem egregie adornat D. Bernardus l. 5. de consid. c. 6. *Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo di-*

xeris in hoc verbo instauratur, quod est, est. Nempe hoc est ei esse quod hæc omnia esse. Si & centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti. Si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse, nonne in comparatione huius, quidquid hoc non est, iudicas potius non esse, quam esse? Vbi Doctor Mellifluus rationem fundamentalem nostræ sententiæ tangit. Illud est constitutiuum Diuinæ naturæ quod Diuinam sapit perfectionem, & est tale vt per illud Deus per se primo differat à creaturis omnibus possibilibus. Atqui ratio entis per essentiam est huiusmodi, est enim nobilissima, cum in ea omnia alia attributa *instaurentur*, est talis vt per eam per se primo differat Deus à creaturis, quæ esse Diuino comparatæ iudicantur potius non esse quam esse. Ergo hæc ratio est Diuinam naturam modo nobilissimo constituens.

Illustratur secundo: Illud ad præcelsam de Deo formandam ideam maxime confert, quo de Deo & alte sentimus & simul incomprehensibilem profitemur, qui est verus modus concipiendi Diuina iuxta illud Psal. 63. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, id est, vt recte post Chrysostom. exponit Hugo Cardinalis quantumuis conetur homo Deum cognitione attingere, hoc tandem inuenisse se fateri debet, quod Deus incognoscibilis est. Iob 36. dicitur, *vnusquisque* (siue Philosophus siue Theologus quamlibet oculatus) *intuebitur procul.* Et Psal. 112. *Dominus Deus noster in altis habitat.* Ad quem cognitionis modum hortatur nos Ecclesiasticus cap. 43. *Glorificantes Dominum quantumcumque potestis, superualebit adhuc, & admi-*

rabilis magnificentia eius : benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis, maior est enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute: multa abscondita sunt maiora his. Atqui dum Diuinam naturam per plenitudinem essendi constituimus id præstamus. Nam vt egregie prosequitur P. Ludouicus Granatensis lib. 1. Catech. c. vlt. tunc Deum non intelligendo intelligimus, & non cognoscendo cognoscimus, quia dum Deum esse à se dicimus, & eum profamur, & ineffabilem asserimus, hoc ipso quod plenitudinem essendi enunciamus, sicque implemus illud Psal. 64. *Te decet Hymnus Deus in Sion*; vel, vt alij legunt, te decet silentium, sed melius ad propositum nostrum Hyeron. *Tibi tacet hymnus Deus.* Sed si tacet, quomodo hymnus, vel si hymnus quomodo tacet? Imo plane & tacet, & canit; quia simul & gloriam Dei pangit, & indicibilem proponit, quid enim tam ineffabile quam esse plenum, & illimitatum? Ergo nostra Diuinæ naturæ constitutionis ratio Deo digniffima est.

Illustratur tertio. Perfectior est illa Dei cognitio quæ magis accedit ad visionem beatam, quæ Deus vt in se est videtur, hæc enim est creatarum omnium notitiarum perfectissima, subindeque regula & mensura perfectionis aliarum, nam primum in vnoquoque genere est causa & mensura cæterorum. Atqui cognitio de Deo quam parit ratio entis per essentiam maxime accedit ad perfectionem visionis Beatæ. Ergo sublimem de Deo ideam nobis proponit. Probatur minor: præeminentia visionis beatæ in hoc consistit quod Deum quidditatiue videat, & simul eius incomprehensibilitatem demiretur.

Vnde dicitur quod Angeli sancti in Deum desiderant prospicere, quia licet quidditatem videant, tamen ad tanti obiecti fundum non perueniunt: id autem imitatur cognitio Dei per rationem entis à se, nam in primis nomen *qui est* quidditatem Dei repræsentat: Cum secundum plures coincidat cum nomine tetragrammaton quod Dei substantiam propriissime significat; quod licet non admittant alij cum D. Thoma infra q. 13. concedunt tamen vnum ab alio diriuari. Simul etiam Diuinæ naturæ ineffabilem & incomprehensibilem perfectionem pronuntiat, cum plenitudo essendi nullos habeat fines perfectionis. Ergo per esse à se, seu per plenitudinem essendi digniori quo possumus modo Deus constituitur. Quia vt docent Patres tunc Deus altius cognoscitur quando incomprehensibilis cogitatur. Vnde Minutius fælix in Octauio. *Nobis ad intellectum Dei, pectus angustum est, & ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.* Et Ambros. lib 1. de fide Trinit. c. 7. *Deus cum dicitur, non potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari, cum deffinitur; ipsa deffinitione crescit.*

Denique: tunc in hac vita perfectius Deum apprehendimus quando in ipso cogitamus quatuor veluti perfectionis dimensiones, de quibus Diuine tractat. D. Bern. lib. 5. de considerat. cap. 13. *Quid est Deus?* (inquit) *Longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum.* Longitudo sine protensione, latitudo sine distensione, locales excedens temporalesque angustias, sed libertate naturæ, non enormitate substantiæ. Sublimitas inattingibilis; profunditas inscrutabilis. Has autem quatuor dimensiones contemplari

licet in ratione entis à se, seu in plenitudine essendi; longitudio, quia nulla est perfectio creabilis quam virtualiter non contineat; latitudo, quia omnes Diuinas perfectiones in immensum veluti dilatat, ex eo enim quod sint à sê, & per se subsistentes sunt infinitæ in sua linea. Sublimitas quia omnem creaturarum bonitatem supra modum excedit. Profundum, quia quanto melius ens per essentiam attingitur, tanto magis apparet esse incomprehensibile, vt antea declarauimus. Ergo per rationem entis à se mens erigitur ad altiorem de Deo conceptionem habendam. Hinc nascuntur quatuor contemplationis species de quibus ibidem Bernard. c. 14. scilicet *admiratio maiestatis*, dum animus Dei esse tam plenum considerans stupore suspenditur. *Timor tantæ altitudinis*, dum pauido aspectu Deum tam perfectum reueremur. *Amor bonitatis*, dum esse Dei, quod pura & subsistens perfectio est, speculantes, memoriam abundantiæ suauitatis eructamus. *Spes æternitatis.* Nam in eo qui per se & à se est, nec præteritum, nec futurum est.

Sed Dices: Tunc habetur perfectior de Deo conceptio, quando Deus apprehenditur secundum gradum perfectiorem: sed gradus intelligendi est omnium perfectissimus, sicut enim perfectius est viuere quam esse, ita intelligere est perfectius quam viuere, vel esse. Ergo qui constituunt Dei naturam per intelligere actuale perfectiorem Diuinitatis Ideam formant.

Respondeo: Tunc solum gradum intelligendi esse perfectiorem gradu essendi, quando gradus essendi est limitatus ad præcisam rationem entis: sicut est in lapide cæterisque inanimatis.

At vero cum gradus essendi est infinitus, & omnem possibilem perfectionem implicite importat, tunc est perfectior aliis gradibus qui in illo sicut in radice continentur. Gradus autem essendi est in Deo infinitus. Imo (& est alia solutio pertinet ad gradum intellectiuum, non vt intellectus, vel vt intellectio, sed vt ens puriſſimè ſpirituale, & radicale principium intellectus. Eo enim ipso quod est ens à se, & per se subsistens importans plenitudinem essendi, excludit omnem materiam, & omne limitatiuum, quo determinetur esse. Ens autem summe immune ab omni materia tam Physica quam metaphysica est principium, & radix totius intellectionis, vt infra dum de scientia Dei cum D. Thoma dicemus.

Instabis: Intelligere diuinum includit etiam implicitè omnes alias perfectiones diuinas inter quas non datur præcisio obiectiua per modum excludentis & excluſi, sed tantum formalis per modum impliciti & expliciti. Ergo etiam intelligere diuinum nostro modo concipiendi tam perfecte constituit naturam diuinam quam esse, quod solum implicite diuinas perfectiones inuoluit.

Respondeo intelligere includere alias perfectiones diuinas implicite, non ex vi suæ lineæ formaliter, sic enim importat tantum omnem perfectionem ordinis intellectualis; sed identicè quia hoc ipso quod diuinum est, consequenter omnem imaginabilem perfectionem implicite importare debet, nullam excludere. Sicut proceſſio amoris communicat ſpiritui ſancto naturam ſimilem Patri, non quia amor est formaliter, sed quia est amor diuinus. At vero esse à

si & per se implicite inuoluit omnem imaginablem perfectionem non identicè quia diuinum est, sed per se, id est ratione sui formaliter. Nam cum omnis perfectio imaginabilis sit aliquod ens debet implicite & simul per se inuolui in eo quod est per se esse, quia ens à se, & per se ens omnem rationem, modum, & formalitem ex propria & caracteristica ratione transcendit, & pertadit. & vt aiebat Bernard. supra, *si centum talia addas, non recessisti ab esse.*

Aliud Argumentum solet fieri contra nostram sententiam petitum ex generatione Verbi diuini. Sed in materia de Trinitate demonstrabitur hanc obiectionem nobis quam plurimum fauere. Expecta ibi dicenda.

Reflexio.

Præcipua Christianorum tepiditatis radix, imo & peccatorum omnium germana scaturigo est, quod de Deo alte non sentimus. Nullus enim esset adeo hostis sui, nullus tam duro saxeoque corde, qui non totis artubus contremisceret, si tantæ maiestatis celsitudinem reuerenti animo euolueret, & corde recogitaret. Si columnæ cæli, id est supremi spiritus qui portant orbem, tam reuerendæ Deitatis cogitatione tremunt: Vnde quæso in filiis hominum tanta cæcitas, stupor tantus, vt infinitæ Magnitudinis Deum quem principatus adorant, & quo tremunt potestates, ipsi quotidianis excessibus vilipendant, & floccifaciant? si attentè considerarent essendi plenitudinem, viderent in ea longitudinem dignitatis, latitudinem maiestatis, sublimitatem potestatis, pro-

fundum iudiciorum inscrutabilium sapientiæ inuestigabilis. Hæc vero contemplatus quis non paueat? nam vt ait Bernard. cap. vlt. lb. de consideratio. *Quid tam timendum quam potestas, cui non potes resistere, quam sapientia, cui abscondi non potes? poterat minus timeri Deus alterutro carens. Nunc autem oportet perfecte timeas illum, cui nec oculus deest omnia videns, nec manus potens omnia.* Hanc diuini numinis reuerentiam concipies, si constitutiuum naturæ diuinæ à nobis assignatum, & nomen illud, *qui est*, à Deo sibi impositum mentis tuæ oculis iugiter obuersetur. Quia vt recte docet D. Bonauent. in expositione illius versus Psalm. 118. *Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam.* Nomen illud Dei est *mirabile, horribile, & terribile.* Nam de eo dicitur Genes. 32. *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile.* Et iterum Malach. 1. *Nomen meum horribile in gentibus.* Id est gentiliter viuentibus. Et Deuter. 27. *Nomen eius glorioſum & terribile.* & Psalm. 110. *Sanctum & terribile nomen eius.*

DISSERTATIO III.

De Perfectionibus & attributis consequentibus esse diuinum.

DEFINITVR communiter attributum ratio absoluta formaliter & necessario in Deo existens, quæ ex modo intelligendi diuinam naturam per modum proprietatis consequitur. Ita colligitur ex D. Damasc. l. 1. de fide c. 12. nam licet non sit in Deo realis perfectionum multiplicitas repugnans eius summæ vnitati, tamen plures ei attribuimus ob diuersos effectus quos sentimus. Vnde recte Bernard. in Par. serm. 36. *Deus licet vnus sit, & vnum sit, tamen non sui varietate, sed animi nostri mutatione gustantibus nobis diuersos videtur habere sapores; sapit enim timenti iustitiam, & potentiam: sapit amanti bonitatem, & misericordiam.* Exordiendum est autem à diuina simplicitate qua remouentur à Deo omnes defectus creaturarum, quia in cognitione diuinitatis prius per remotionem imperfectionis procedendum est, & postea per affirmationem omnis perfectionis, vt dicemus explicando diuina nomina.

CAPVT I.

De simplicitate & perfectione Dei.

HAnc vtramque perfectionem merito conjungimus, quia vt ait D. Thom. infra citandus, simplicitas & perfectio se inuicem comitantur, & eò aliquid est nobilius, quo simplicius. Vnde sit.

SPECVLATIO I.

In Deo admittenda est omnimoda simplicitas per exclusionem omnis materiæ, corporis, & compositionis cuiuscumque; siue ex natura & supposito vel persona; siue ex essentia & existentia; siue ex subjecto & accidentibus; siue ex genere & differentia.

HAnc diuinam perfectionem summe commendant S. patres. Hylar. *Non enim ex compositis atque inanimis Deus, qui vita est, subsistit; neque, qui virtus est, ex infirmioribus continetur; neque qui lux est, ex obscuris coaptatur; neque qui spiritus est ex disparibus formalis est. Totum in eo quod est vnum est.* Aug. l. 11. de ciu. c. 10. *Deus ideo simplex dicitur, quia quidquid habet hoc est.* Bern. Serm. 80. in Cant. *Deus hanc sibi vindicat miram*

singularemque suæ essentiæ simplicitatem, vt non aliud & aliud; non alibi quoque & alibi; sed ne modo quidem & modo inueniatur in eo; nempe in semet manens quod habet est, & quod est semper & vno modo est, in eo & multa in vnum & diuersa in idem rediguntur, vt nec numerositate rerum sumat pluralitatem, nec alterationem de varietate sentiat.

Probantur simul omnes partes huius asserti multimembris, quæ ex conditionibus primo enti assertis liquidò consequuntur. Si enim Deus est primum ens, actus purus, necessarius, & perfectissimus, necessario à se excludit imperfectionem materiæ, distinctionem partium tum quantitatiuarum, tum physicarum materiæ & formæ, quæ debent conjungi ab aliquo alio ente superiori: remouet etiam à se actus purus & necessarius omnem potentialitatem, imperfectionem, & contingentiam, quam importat essentia perfectibilis per existentiam, natura sustentabilis per subsistentiam, subjectum indigens accidentibus, & genus contrahibile & limitabile per differentiam, quam à suo conceptu excludit.

Confirmatur eleganti ratione D. Thom. lib. 1. cont. Gen. c. 18. *In quolibet genere tanto aliquid est nobilius, quanto simplicius: Sicut in genere calidi ignis qui non habet aliquam permixtionem frigidi: quod igitur est in fine nobilitatis omnium entium, oportet esse in fine simplicitatis: hoc autem quod dicimus in fine nobilitatis omnium entium dicimus Deum: nulla igitur compositio ei accidere potest.* Et licet apud nos cõposita sint meliora simplicibus in corporibus quæ debent ex diuersis integrari, tamen omnis forma tanto est perfectior quanto

est purior, & minus alteri immixta, sicut albedo tanto est perfectior, quanto minus nigredini permiscetur, calor similiter, & generaliter inter illas formas substantiales illæ perfectiores sunt, quæ minus sunt materiæ immersæ.

Atque ex his confutati manent varij antiquorum errores, qui ponebant elementa mundi & virtutes in eis existentes Deos esse, quia putabant Deum esse animam totius mundi, & ex hoc errore vt ait D. Thom. lib. 1. cont. gent. cap. 27. Idololatriam defendebant, dicentes totum mundum esse Deum non ratione corporis, sed ratione animæ; quo supposito sequi opinabantur quod mundo & partibus eius non indebite diuinas cultus exhibebatur. Excludun-tur etiam deliramenta Antropomorphitarum, qui Deum corporalibus lineamentis figurarunt: Nec non & Manichæorum, qui quamdam infinitam lucis substantiam per infinitum spatium distentam Deum existimabant. Quorum omnium errorum fuit occasio (vt obseruat D. Thom. cit. c. 17.) quod de diuinis cogitantes ad imaginationem deducebantur, per quam non potest accipi nisi corporis similitudo, & ideo eam in incorporeis meditandis derelinquere, oportet. Ex his etiam confunditur insania Dauidis de-dinando qui ausus est dicere Deum esse materiam primam. Contra quos omnes errores dicitur Ioan. 4. *Spiritus est Deus*, & ad Rom. 1. *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, quæ enim non visu sed intellectu conspiciuntur, in corporea sunt.

Objicies: diuinæ simplicitati obesse videntur mysteria S. Trinitatis & Incarnationis; in primo enim admittitur Trinitas personarum,

quam compati non poteſt ſumma & indiuiſa ſimplicitas; in ſecundo vero perſona Chriſti eſt compoſita ex perſonalitate diuini verbi & humanitate; quod autem venit in compoſitionem non videtur actus purus ſimpliciſſimus. Ergo.

Reſpondeo: Neutrum myſterium officere diuinæ ſimplicitati, vt ſuo proprio loco apparebit. Pro nunc ſufficit notare doctrinam D. Thomæ in 1. diſ. 8. q. 1. art. 1. ad 4. docentis ideo tres perſonas non nocere diuinæ ſimplicitati, quia non faciunt compoſitionem, quam vt efficerent, deberent vniri inter ſe ſub ea ratione qua diſtinguntur, vel diſtingui ſub ea ratione qua vniuntur, compoſitio enim eſt diſtinctorum vnio: at perſonæ diuinæ ſub ea ratione qua diſtinguntur non vniuntur, diſtinguntur enim per relationes, quæ non vniuntur ſed opponuntur; vniuntur vero in eſſentia, à qua nullatenus diſtinguntur. In myſterio vero Incarnationis verbum diuinum non venit in compoſitionem per modum partis materialis, vel formæ inhærentis, quod diceret vtrque imperfectionem, ſed per modum termini complentis, & perficientis humanitatem, quam portat verbo virtutis ſuæ, quod puram dicit perfectionem.

Dices: in ſcriptura ſpiritus Dei dicitur multiplex, & omnibus mobilibus mobilior, vt patet Sap. 7. ergo Deus non eſt ſimplex ſpiritus.

Reſpondeo Spiritum Dei eſſe in ſe ſimpliciſſimum, ſed in effectibus ſuis multiplicem, quod ſolum intendit Scriptura & peregregiè explicat Bern. ſerm. 3. Pente. *Verè multiplex Spiritus, qui tam multipliciter filiis hominum inſpiratur, vt non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus, ſiquidem conceditur eis ad vſum, ad miraculum, ad ſalutem,*

ad auxilium, ad solatium, ad feruorem; ad vsum quidem vitæ bonis & malis, dignis pariter & indignis communia bona abundantissimè tribuens: ita vt videatur hic discretionis limitem non tenere: ingratus qui in his quoque beneficium spiritus non agnoscit. Ad miraculum in signis & prodigiis, in variis virtutibus quas per quorumlibet manus operetur: ipse est antiqua miracula suscitans, vt ex præsentibus fidem adstruat præteritorum. Sed quia nonnullis hanc quoque gratiam sine propria vtilitate largitur, tertio infunditur ad salutem: cum in toto corde nostro reuertimur ad Dominum Deum nostrum. Porrò ad auxilium datur, cum in omni colluctatione adiuuat infirmitatem nostram. Nam cum testimonium perhibet spiritui nostro quod Filij Dei sumus, ea inspiratio est ad consolationem. Datur etiam ad feruorem, cum in cordibus perfectorum vehementius spirans, validum ignem charitatis accendit, vt non solum in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem.

Reflexio.

Si Deus est pura mens, soluta, libera, & ab omni conceptione segregata, decet animum nostrum Deitatis imaginem mixtum nihil, concretum nihil, aut materia corporatum, quo cordis mundities contaminata maculetur, redamare. *Impuritas enim vnius cuiusque rei* (præclara est D. Tho. 22. q. 7, a. 2. obseruatio) *consistit in hoc quod rebus vilioribus immisceatur; non enim dicimus argentum esse impurum ex permixtione auri, per quam melius redditur, sed ex*

permixtione plumbi vel stanni : Manifestum est autem quod rationalis creatura dignior est omnibus corporalibus & temporalibus, & ideo impura redditur ex hoc quod corporalibus se subjicit per amorem : à qua quidem impuritate purificatur per contrarium motum, dum scilicet tendit in id quod est supra se scilicet Deum. En verum modum adipiscendæ puritatis & exprimendæ diuinæ simplicitatis.

SPECVLATIO II.

Diuina simplicitas excludit omnem omnino distinctionem actualem anteuertentem operationem mentis ; compatitur vero solam distinctionem rationis, fundatam in distinctione virtuali seu eminentiali ; quæ distinctio rationis non est præcisio objectiua, sed formalis, ita vt vnum attributum importetur in conceptu alterius non explicite quidem, sed implicite.

PRima pars non solum colligitur ex Concil. Florent. asserente in diuinis omnia esse vnum, nisi vbi obuiat relatiua oppositio. Et ex Rhemensi sub Eugen. 3. omnem distinctionem actualem contra Gilbertum Porretanum amandante, & ex patribus specul. præc. relatis : Sed ex prædictis primi entis conditionibus euidenter conuincitur contra Scotistas. Nam omnis distinctio actualis præueniens mentis operationem quocumque nomine appelletur diuinam simplicitatem, puritatem actus, & infinitatem enecat ; simplicitatem quidem, quia omnis actualis distinctio inuoluit compositionem, quæ

est rerum actu distinctarum vnio; puritatem actus, quia essentia diuina se haberet ad suas perfectiones, vel vna perfectio ad alteram sicut potentia ad actum, & sicut perfectibile ad perfectiuum. Infinitatem demum diuinæ essentiæ, illud namque infinite perfectum non est cui aliqua perfectio deest, vel pluribus à se distinctis eget ad suæ perfectionis integritatem. Vnde præclare dixit D. Dionis. omnem prorsus distinctionem eliminans, quod Deus est tam parus, vt nihil sit (scilicet ex creaturis) tam magnus, vt omnia sit (eminenter) tam simplex, vt nihil possit ab illo adimi; tam plenus, vt nihil possit illi adjici.

Confirmatur sublimi discursu D. Bernard. qui fuit vnus ex præcipuis patribus Concilij Rhemensis, Serm. 80. in Cant. Recedant à nobis, recedant nouelli non dialectici sed hæretici, qui à magnitudine qua magnus est Deus, Deum non esse impiissime disputant. Diuinitate, inquiunt, Deus est; sed diuinitas non est Deus. Forsitam non dignatur Deus esse quæ tanta est vt faciat Deum? Sed si Deus non est quid est? aut enim Deus est, aut aliquid quod non est Deus, aut nihil. Equidem non das Deum esse (cum admittatur distinctio actualis ab aduersario.) Sed ne nihilum quidem, vt opinor, dabis, quam vsque adeo necessariam Deo esse fateris, vt absque ea Deus esse non possit. Quod si aliquid est quod non est Deus, aut minor erit Deo, aut maior, aut par: at quomodo minor qua Deus est: restat ergo vt aut maiorem fatearis aut parem: Sed si maior, ipsa est summum bonum non Deus; si par, duo sunt summa bona non vnum. Quod vtrumque Catholicus refu-

git sensus. Qui discursus potest aliis attributis applicari. v. g. omnipotentia si distinguitur à Deo, vel est maior, vel minor, vel par, non minor cum sine ea Deus non esset omnipotens, & omnipotentia infinita nihil se maius agnoscit; si maior, ipsa est Deus & summum bonum; si par, duo sunt summa bona.

Secunda pars explicatur & probatur: licet in Deo vnica sit simplicissima perfectio, illa tamen est virtualiter multiplex, & æquiualet pluribus perfectionibus realiter distinctis in creaturis: ergo distinctio rationis quam concipimus in diuinis attributis habet fundamentum non solùm in imperfectione intellectus nostri, qui illa apprehendit ac si essent distincta, sed etiam in ipso Deo pro hoc statu cognito, cuius eminentia dat nobis occasionem plura ei attribuendi. Dico *pro hoc statu cognito*, quia beari intuentes diuinas perfectiones eas per rationem non distingunt, cum intuitiue videant essentiam vt in se est.

Atque per hanc distinctionem virtualem soluuntur omnes difficultates & obiectiones quæ contra diuinam simplicitatem opponi possent, & tollitur omnis apparens contradictio quæ subinferri videtur. Nam quod intellectus paternus generet filium, non voluntas; quod essentia sit communicabilis, persona incommunicabili; quod iustitia puniat, misericordia non puniat, sed parcat. Hæc aliaque similia præoccupantur & concordantur distinctione illa eminentiali quæ totum id præstat quod realis distinctio efficeret. Sicut eadem anima rationalis æque bene gradum vegetatiuum, sensitiuum & rationalem confert, ac præstarent tres animæ

realiter distinctæ quibus vna rationalis æquipollet. Sic ergo infinitas diuinæ essentiæ diuersa & opposita præstat quæ à diuersis effici solent, quæ enim in inferioribus disperſa sunt in superioribus, maxime vero omnium supremo Deo vnita subsistunt. Quam sanè eminentiam diuinitatis ipsa scriptura indicat Sap. 7. in qua spiritus diuinæ sapientiæ dicitur vnicus & multiplex, multiplex propter cumulum perfectionum quibus adornatur, vnicus ob simplicitatem quæ omnes illas perfectiones identificat.

Tertia pars nimirum quod etiam admissa distinctione virtuali inter diuinas perfectiones non detur præcisio objectiua, sed tantum formalis, est contra nonnullos qui licet negent præcisiones objectiuas in creatis puta gradus metaphysicos quales sunt animal & rationale, & solas formales admittant, in diuinis tamen præcisiones objectiuas astruunt. Thomistæ vero è diametro eis opponuntur, nam in creatis præcisiones objectiuas, in diuinis vero solas formales admittunt. Quod.

Probatur & simul explicatur : Tunc datur præcisio objectiua inter duas formalitates quando vna perfecte cognoscitur nullatenus cognita alia ; tunc datur formalis quando dum cognoscitur vna, alia quoque cognoscitur non explicite, sed implicite : Atqui non potest cognosci vnum attributum diuinum quin implicite cognoscantur alia : ergo inter diuinas perfectiones non datur præcisio objectiua sed formalis. Probatur minor : quodlibet attributum si concipiatur vt diuinum non potest non concipi vt actus purus, vt ens à se, & infinitum,&

quocumque alio pacto cognoscatur, non cognoscitur vt diuinum: Atqui de ratione actus puri est, quod non sit perfectibilis per vllum aliud ad quod sit in potentia, sed debet concipi vt numeris omnibus perfectus, licet tota perfectio non explicetur; de ratione entis à se, & infiniti est ita importare omnem perfectionem entis vt nihil possit ei addi: ergo non potest cognosci vnum attributum diuinum nisi aliis implicite cognitis. Sicut enim in transcendentibus vnum ita imbibitur in alio, verbi gratia verum in bono, vt distinguatur ab illo per rationem non omnino abstrahendo vel excludendo à suo conceptu, sed non exprimendo: ita in attributis diuinis.

Declaratur & clarius explicatur hæc difficultas: cognosci quidem potest misericordia sine justitia; intellectus sine voluntate: sed nequit concipi misericordia vt diuina, quin implicitè in ea inuoluantur justitia, sapientia, cœterarumq; diuinarum perfectionum ornatus, quia misericordia ab his perfectè & objectiuè præcisa non est misericordia diuina. Ex quibus perspicuè intelliges differentiam inter attributa diuina & gradus siue perfectiones creaturarum. Nam inter animal & rationale v. g. mirum non est quod detur præcisio objectiua, cum vnus gradus comparetur ad alium vt potentia ad actum, neuter sit actus purus, neuter infinitus; vnde inter animal & rationale datur distinctio virtualis diuersæ rationis ab ea quam in Deo admittimus; prima enim est per modum actus & potentiæ, estque fundamentum distinctionis rationis per modum excludentis & excluſi, secunda vero seu diuina est per modum actus puri,

sicque fundat solum distinctionem rationis penes implicitum & explicitum. Ex quo fit quòd licet detur distinctio rationis inter diuina attributa non tamen datur in Deo compositio generis & differentiæ, quia genus est in potentia ad differentiam quam à suo conceptu excludit; vna autem perfectio diuina aliam implicitè includit.

Reflexio.

Si Spiritus est Deus adeoque purus vt nullam nedum in se, sed nec in suo conceptu obiectiuo diuisionem vel rationis compositionem patiatur. Igitur eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare, vt colligit ipsemet Saluator Ioan. 4. Parum sanè vtilis est actuum externorum quamlibet fulgida species; nisi ab interno pietatis spiritu intus concepta foris nascatur. *Spiritus* enim *est qui viuificat* Ioan. 6. *& omnis gloria filiæ regis ab intus* Ps. 44. sanè sicut natura in corporis humani structura ab internis partibus corde & hepate exorditur, ita omnis qui vult esse noua in Christo creatura ab interioti homine renouando incipere necessum habet. Absque hoc renasci minime potest, dicente veritate Ioan. 3. *Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus.* Quod si quæras cum Nicodemo *quomodo possunt hæc fieri.* Respondet Chrysologus Serm. 116. *Non nati tales, tales poterunt inueniri, non manendo quod nati sunt, sed quod renati sunt permanendo: Discutiatur à sensibus caligo totæ pompæ sæcularis, abjiciatur à mentibus mundanæ cupiditatis illusio, tota sanctitas animæ custodiatur & corporis, vt imago creatoris nostri* (qui spiritus est) *potetur & clarescat in nobis.*

SPECVLATIO III.

Admittenda est in Deo summa & illimitata perfectio, ratione cuius omnes creatas perfectiones vel formaliter, vel eminenter præcontinet.

HVius veritatis pleni sunt omnes scripturarum & patrum libri Psalm. 41. *Magnus Dominus & laudabilis minus, & magnitudinis eius non est finis:* Per magnitudinem autem intelligitur perfectio, quia iuxta regulam ex August. desumptam lib. 6. de Trin. cap. 8. in his quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse quod melius & perfectius esse. Notat vero S. Thom. tum hic, tum l. 1. cont. gent. c. 28. quod licet nomen perfectum quantum ad primam nominis impositionem & originem Deo attribui non possit, quia impositum est ad significandum id quod est totaliter factum; per quandam tamen nominis extensionem perfectum dicitur non solum quod factum peruenit ad actum completum, sed etiam quod est in actu complero absque omni factione, & sic Deum perfectum esse.

Probatur: Deus est suum esse, & actus purus simplicissimus irreceptibilis & incontrahibilis per aliquam differentiam: ergo omnem in se debet habere perfectionem possibilem; si enim aliqua careret, per illam posset perfici, per

illam contrahi, & cum illa componi: ergo omnes omnino perfectiones in se præhabet, & vt ait D. Dionis. de diuin.nom.c. 5. Deus non quodammodo est existens, sed simpliciter & incircumscriptiue totum esse in seipso accipit & præaccipit. Sicut si daretur corpus immensum & infinitum intra sui ambitus amplitudinem interminatam omnia spatia comprehenderet.

Confirmatur alia ratione D. Thom. Deus est prima rerum omnium causa & creatarum perfectionum fons: ergo in ipso præexistunt rerum omnium perfectiones vel formaliter vel eminenter; formaliter quidem si sint perfectiones simpliciter simplices quæ in suo conceptu nullam dicunt imperfectionem, & definiuntur communiter, post Anselm. in Monol. c. 14. *meliores ipsa quam non ipsa*, vt sapientia, iustitia & huiusmodi. Eminenter vero si sint perfectiones secundum quid, quæ licet aliquam importent perfectionem, non tamen puram, sed inuolutam & admixtam multis defectibus, vt esse equum, Leonem, hominem, quæ eatenus in Deo sunt, quatenus eminenter in eo continentur, & ab eo possunt produci; sicut virtus calefactiua est eminenter in sole qui æque adurit ac si formaliter incalesceret.

Dices: si perfectiones simpliciter simplices quæ in creaturis dispersæ sunt formaliter inueniantur in Deo: ergo creatura similis erit Creatori, & è contra, quod repugnat scripturæ, dicenti, Isai. 40. *Cui similem fecistis Deum* & Psal. 54. *Deus quis similis erit tibi?* quasi diceret nullus.

Respondeo: id non sequi quia ad veram & propriam similitudinem, requiritur æqualitas

perfectionis : In Deo autem perfectio inuenitur cum infinito exceſſu. Vnde creata perfectio non poteſt dici plene ſimilis Deo, ſed deficienter diuinas perfectiones adumbrans. Multo autem minus debet Deus dici ſimilitis creaturæ, quia diuina perfectio eſt menſura & exemplar creatæ, quæ eſt tantum deriuatio & radius diuinæ bonitatis exprimens etiam cum multis defectibus archetypum, qui non ſolet dici ſimilis imagini.

Quæres 1. Vtrum tanta ſit diuina perfectio, vt creaturæ omnes cum Deo non ſint aliquid perfectius quam Deus ſolus?

Reſpondeo affirmanter contra Durandum & probatur : Deus in ampliſſimo ſuo ſinu comprehendit omnes perfectiones creatas etiam indiuiduales vel formaliter vel eminenter, vt jam diximus ; & omnis creatura quantumvis licet numeris omnibus abſoluta nihil addit ſupra diuinam excellentiam, quam dependentiam, limitationem & defectum : ergo ſicut punctum additum lineæ, inſtans æternitati, vmbra corpori non faciunt quid perfectius : ita tota rerum etiam poſſibilium vniuerſitas Deo nihil addit, ſed ſolum adumbrat deficienter perfectionem Dei infinitam. Vnde dicit Iſa. c. 40. *Ecce gentes, quaſi gutta ſitulæ & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt, omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei* : & egregiè Auguſt. tract. 11. in Ioan. *Si fueris ſine Deo, minor eris ; ſi fueris cum Deo, maior Deus non erit ; non ex te ille major, ſed tu ſine illo minor; reficieris, ſi acceſſeris ; deficies, ſi non acceſſeris.*

Quæres 2. Vtrum diuina illa perfectio ſit imitabilis.

Respondeo & affirmatiuè, vt traditur Matth. 5. *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est*, & vt non credatur Christus Dominus ad solos Apostolos locutus, addit Marc. 13. *Quod autem vobis dico, omnibus dico.* Hac de causa docent Patres hominem ad imaginem & similitudinem Dei conditum vt eum moribus imitetur cujus naturam exprimit. S. Leo ser. 1. de jeju. *Inuenimus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset auctoris, & hanc esse naturalem nostri seminis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ bonitatis forma resplendeat.* & D. Ambros. *Fecit* (Deus) *hominem rationis capacem, imitatorem sui, virtutum æmulatorem, cupidum cœlestium gratiarum.* Peccauit Angelus & Adam quia diuinæ naturæ excellentiam superbo ambitu æmulari voluerunt. Vtinam ad sanctitatis perfectionem æqualiter aspirassent, & nequaquam cecidissent!

Ratio huius veritatis est multiplex, tum quia ideo Christiani in baptismate ad nouam vitam renascimur; in confirmatione pleniori Spiritus Sancti effusione roboramur; in Eucharistia cœlesti pascimur cibo, vt supernaturalem vitam degentes diuinos mores nostris in gestibus exprimamus; tum quia per gratiam diffusam in cordibus nostris per Spiritum Sanctum *filij Dei nominamur & sumus*, Ioan. 3. quod vt impressum mentibus & nusquam obliterandum maneret, voluit Saluator omnes orationes nostras ab hac voce exordiri, *Pater noster.* Filius autem paternam imitari perfectionem, nisi sit deneger, tenetur. Vnde Chrysol. ser. 68. *qui se filium Dei credit actibus, vita, moribus, honestate tanto generi respondeat.* Quam rationem tangit Christus, *estote perfecti*

perfecti ſicut Pater. & Apoſt. Eph. 5. *eſtote imitatores Dei ſicut Filij chariſſimi.*

Reflexio.

Licet omnia creata opera in numero, ordine & menſura producta, perfecta ſint, & Deo ipſo atteſtante valdè bona; ſignanter tamen de homine dicit Scriptura, quod fecit illum *ad imaginem & ſimilitudinem Dei.* Vbi præpoſitio, *ad* (vt ingeniosè obſeruat D. Tho. 1. p. q. 91. a. 1.) acceſſum quemdam ſignificat qui competit rei diſtanti; vt nimirum non ſe ſtatim perfectum credat homo ac natum, ſed aſſiduo piorum actuum motu ſe diuinam ſimilitudinem obtenturum ſperet; alias ſe multum diſtare arbitretur, quia vt ait Auguſt. lib. de vera inno c. 91. & lib. 9. de ciuit. cap. 16. *Non locis ſed actionibus aut longinqui aut proximi ſumus.*

Methodus autem imitandi diuinam perfectionem non eſt illa quam ſequuntur impij de quibus Auguſt. lib. 2. conf. c. 6. *Peruerſe te imitantur qui longe ſe à te faciunt, & extollunt ſe aduerſum te.* v. g. ſuperbi & turgidi æmulantur Dei maieſtatem; Auari plenitudinem & fælicitetem; Tyranni dominium, & ſic de aliis. Sed tunc vere imitamur eam, ſi actus virtutum quæ diuinarum perfectionum imagines ſunt, eliciamus. Sic actibus fidei, prudentiæ ſpiritus, orationis, Dei ſcientiam & ſapientiam exprimimus: actibus charitatis in proximum, diuinæ miſericordiæ & liberalitatis æmulatores ſumus; actibus ingenuæ ſinceritatis, caſtitatis, pudoris, diuinæ veritati, puritati, & ſimplicitati conformamur. Inſpice ergo & fac ſecundum exemplar quod tibi monſtratum eſt.

CAPVT II.

De Bonitate & pulchritudine Dei.

QVia bonitas entitatis perfectionem comitatur, & pulchritudo est splendidus bonitatis radius, consequenter agimus de bonitate & pulchritudine diuini numinis.

SPECVLATIO I.

In Deo est summa & omnimoda bonitas.

HAnc veritatem millies inculcat Scriptura Psal. 72. *quam bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde.* Psal. 135. *Confitemini Domino quoniam bonus.* Tren. 3. *bonus est Dominus sperantibus in se, anima quærenti illum.*

Probatur: Bonitas non solum consistit in integritate & perfectione, quæ in Deo illimitata est, sed etiam in conuenientia cum appetitu, bonum enim est id quod omnia appetunt, vt ait Philoso. 1. eth. sed hoc maximè competit Deo qui non solum est plenus sibi, sed etiam superplenus nobis, vt phrasi D. Bernar. vtar; omnia ad se allicit tamquam centrum, ad quod ingenito pondere tendunt vniuersa, præsertim ra-

tione prædita quæ ab eo fluxerunt. Ergo Deus est summè bonus, imò ipsum summum bonum, & bonum per essentiam, quia ejus bonitas à nullo alio pendet, sicut omnis creata bonitas quæ est effluxus diuinæ, vnde & Deus dicitur omnis boni bonum, quia est omnis boni creati causa tum efficiens, tum finalis, tum exemplaris, non tamen formalis, quia creaturæ habent internam bonitatem sibi propriam licet à Deo effusam. Iuxta illud Augustini. *bonum hoc & bonum illud, tolle hoc & tolle illud, & vide ipsum bonum, si pores, ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed omnis boni bonum*; nempe quia rerum creatarum bonitas est effusio diuinæ, sicut ea quæ calefacit ignis vno eodemque calore calefiunt, sed singuli calorem suum, quo formaliter denominantur, in se habent.

Confirmatur: Dicitur communiter ex Dionis. l. de diu. nom. c. 4. quod bonum est sui diffusivum, non enim esset appetibile nisi posset sese diffundere, quod explicat idem Sanctus per exempla superiorum erga inferiora, inferiorum erga superiora, & æqualium erga æqualia, quæ sibi inuicem ex appetitu & amore boni communicant, vel alia aliis prouident, vel aliis alia se submittunt, vt se mutuo iuuent. & Philosophus docet quod signum perfectionis alicujus est, quod possit sibi simile producere: atqui esse sui diffusivum maximè conuenit Deo, vt enim ait idem Dion. *vt sol eo ipso quod est, omnia illustrat quæ lumen pro suo modo capere possunt, sic ipsum bonum per se totius bonitatis radios emittit.* Quæ diuina profusio apparet tum in emanationibus internis, tum in productionibus externis in quadruplici ordine naturæ, gratiæ, gloriæ, &

vnionis hypostatticæ, de qua vltima ait Apost. ad Tit. 2. *apparuit benignitas Saluatoris nostri Dei, quia* (vt expendit Bern.) *non potuit amplius declarari, neque abundantius exprimi, neque euidentius commendari.*

Reflexio.

Meritò concludit Anselm. c. 25. prosol. *cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui, ama vnum bonum in quo sunt omnia bona, & sufficit.* Terrena dici non possunt bona, quæ habentem bonum non faciunt. Illum ergo solum appetamus de quo scriptum est, *nemo bonus nisi solus Deus. Cui appropinquare clarescere est, quem timere gaudere est, cui seruire regnare est.* Vt benè D. Prosper. epist. 4. ad Dem. c. 4. sed diligenter obseruandum cum Bern. paucos sola Dei bonitate moueri, quæ sola tamen debet amari. Pauci confitentur Domino quoniam bonus, quibus dirigi potest illud Dauidis improperium. confitebitur tibi dum benefeceris ei. audiamus Bern. ep. 11. *est qui confitetur Domino quoniam potens est. Et est qui confitetur quoniam sibi bonus est, & item qui confitetur quoniam simpliciter bonus est. Primus seruus est, & timet sibi; secundus mercenarius est, & cupit sibi; tertius filius, & defert patri.*

SPECVLATIO II.

In Deo etiam est illibata bonitas moralis seu sanctitas.

ITa tradunt Scripturæ Exod. 13. *magnificus in sanctitate* Ps. 144. *magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur.* & omnes Angeli inceſſabili voce proclamant *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* quod Triſagion ex Iſay. c. 6. deſumptum eſt. Et ſanè nomen illud adeo auguſtum eſt: vt dæmonibus Chriſto blandiri volentibus, ne ejicerentur ab obſeſſis, & hæc verba vſurpantibus Marc. 1. *Scimus quia Sanctus Dei es*, Saluator ſilentium impoſuerit, quòd indignum foret tam ſacrum nomen ab immundiſſpiritibus proferri, quod ſolis Seraphim conceſſum eſt, vt obſeruat D. Cyril. cit. in cat. D. Tho.

Probatur ratione D. Tho. 22. q. 81. a. 8. aliquid poteſt dici ſanctum tripliciter, primo ratione munditiæ, ἅγιος enim idem eſt ac ſine terra, vnde communiter ſanctitas dicitur ab omni labe intemerata puritas. Secundò accipitur pro ſtabili firmitate in bono, dicitur enim Sanctum quaſi lege ſancitnm. Tertio ſumitur pro ſumma conjunctione & applicatione ad res diuinas: Atqui hęc omnia eximiè in Deo reperiuntur: eſt enim primo puriſſimus actus immaterialis, & Spiritus mundiſſimus. Secundo eſt firmiſſimus, & immutabilis in amore boni, quod ita redamat, vt ſi cõtingat aliquem meritis copioſiſſimis ornatum in vnicũ peccatũ mortale labi, meritorũ oblitus æternis eum addicat ſuppliciis: Denique eſt ſibi

conjunctissimus, cum sit sua regula indefectibiliter operans in ordine ad suam gloriam. Vnde dicitur Psalm. 144. *Sanctus in omnibus operibus suis*: Ergo vera est in Deo sanctitas, imo & plenitudo sanctitatis per essentiam. Vnde Origen. possunt multi sancti fieri, sicut mandatum Dei dicit Leuit. 19. Sancti estote quoniam ego sanctus sum, sed quantumcumque quis in sanctitate proficiat, esse sanctus non potest sicut Dominus: quia ille largitor sanctitatis est, iste susceptor; ille sanctitatis fons est, hic autem sancti fontis potator; ille sanctitatis lux est, hic sanctæ lucis inspector, & ideo non est sanctus sicut Dominus 1. Reg. 2.

REFLEXIO.

Huius diuinæ sanctitatis æmulationem differre præcipit scriptura, *hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Et *sequimini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Qua igitur ratione securi sunt, qui aiunt se nolle quidem vitam flagitiis atrocioribus coinquinatam & veluti in profunda vitiorum voragine immersam degere: sed minime ad eximiam contendere sanctitatem, qua plenè cumulatéque se totos deuoueant Deo, qui tamen totum cor, totam animam, totas vires sibi præcipit ancillari. Sic loquentibus opponi debet sanctorum exemplum, & illud egregium Tobiæ dictum, *Nolite ita loqui, quoniam filij sanctorum sumus.* Tob. 2. pudeat audire Ethnicum Platon. dial. de sanct. quod sanctitas est scientia Deo dandi, & ab eo petendi, id est, vt exponit Ficinus, vt aliquis sanctus sit, necesse est vt sicut Deum sibi dari petit, ita totum se Deo dedat, mutuâ inter Deum & hominem mercaturâ.

SPECVLATIO III.

In Deo quoque inuenitur egregia & elegantißima pulchritudo.

PRobatur: Pulchritudo eſt excellens gradus bonitatis ſumme placens intuentibus, pulchritudo enim ſupponit bonitatem, vnde antiqui, vt refert Cælius Rhodaginus, aiebant bonitatem eſſe in centro, & pulchritudinem in circumferentia, quia fundamentum pulchritudinis eſt bonitas, ſicut pulchritudo eſt perfectio, complementum, & corona bonitatis, hæc eſt ſemen, illa flos; iſta radix, illa ramus; hæc fons, & illa fluuius, & Ariſtoteles aiebat pulchritudinem eſſe, *litteras commendatitias naturæ*, quia ſicut epiſtola commendatitia dat teſtimonium meriti & bonitatis perſonæ, ſic natura perfectionem & bonitatem internam pulchritudine atteſtatur, & D. Thom. hic q. 5. art. 4. ad 1. pulchrum & bonum in ſubjecto ſunt idem, quia ſuper eandem rem fundantur ſcilicet ſuper formam, ſed ratione differunt: Nam bonum propriè reſpicit appetitum, eſt enim bonum quod omnia appetunt, pulchrum autem reſpicit vim cognoſcitiuam, pulchra enim dicuntur, quæ viſa placent. Sed Deus eſt ipſa bonitas per eſſentiam: ergo habet pulchritudinem infinitam.

Confirmatur: Pulchritudo, teſte Auguſtino, eſt partium congruentia cum quadam coloris ſuauitate, vnde ſic proportionaliter dicere poſſumus, quod diuina pulchritudo ſita eſt in œco-

nomia diuinarum perfectionum, quarum tanta est harmonia, splendor, & consonantia, vt summe placeat videntibus: atqui in Deo est summus ille perfectionum fulgor & harmonia: nam licet in Deo sit realiter vnica simplicissima perfectio, tamen eminenter continet infinitas, quas cum fundamento potest intellectus noster discernere, & vnam ex alia mira connexione comprobare. Summe etiam placet hæc diuina perfectio, tum contemplantibus illam in hac vita, iuxta illud Cant. 1. *Ecce pulcher es dilecte mi & decorus*; tum maxime facie ad faciem videntibus eam, qui tam suauiter ea alliciuntur vt eis semper noua appareat, & ideo dicitur 1. Petr. 1. quod Angeli desiderant eam semper prospicere, quia nullum generat fastidium vel tædium hæc micantissima pulchritudo, sed semper inescat & inflammat appetitum. Ergo.

Confirmatur iterum: Ideo mundus iste dicitur pulcher, vnde græcè dicitur, κόσμος, seu ornatus & formosus, quia constat tribus. Primo quælibet pars vniuersi habet sibi debitam perfectionem, nam Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Secundò, in mundo est mira varietas perfectionum, quæ summe arridet. Tertio inter partes vniuersi est maxima concordia, ordo, & connexio. Atqui in Deo hæc eminentius resplendent; in primis quodlibet attributum est infinite præcellens, nec eo potest esse aliquid melius, aut cogitari perfectius; deinde in Deo est varietas virtualis, quia simplicissima Dei perfectio æquipollet infinitis creatis quæ possent excogitari: Demum illæ perfectiones in diuina eminentia mire concordantur, vt iustitiæ misericordia non obsit, non

aduersetur immutabilitati libertas, vnitatem Trinitas compatiatur: igitur Deus qui produxit mundum pulchrum, pulchrior ipse dicendus est, iuxta illud Boëtij, pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens, similique ab imagine formans.

Confirmatur & magis illustratur præclara inductione: nouem possunt distingui in vniuerso pulchritudines, prima est corporalis quæ splendet in sole stellis, elementis, metallis, margaritis. Secunda est vegetatiua, quæ collucet in plantis, floribus, arboribus, fructibus, quæ potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua ornantur, tot colorum varietate pinguntur, saporibus condiuntur, odorum suauitatibus dulcescunt. Tertia est sensitiua organis instructa, quinque sensibus prædita veluti totidem nuntiis & rerum interpretibus in capite veluti in arce ad omnes vsus collocatis, est denique potentiis internis loco motiua, cogitatiua, memoria, aliisque vigens. Quarta est pulchritudo humana corpore ad cœlum sublimiter erecta, anima rationali, spiritali, intellectiua, libera, totius vniuersi domina coruscans. Quinta est Angelica, qua cælestes spiritus ab omni materia immunes, speciebus rerum omnium congenitis referti intelligunt sine discursu, libere volunt sine inconstantia, primæ bonitatis specula munda, diuinæ similitudinis signacula, pleni sapientia & perfecti decore sunt à die conditionis suæ, vt dicitur Ezech. 18. Sexta est pulchritudo supernaturalis corporum glorioſorum Solis micantissimos radios fere in immensum excedentium. Septima est pulchritudo gratiæ & virtutum infusarum, quibus homo diuinæ factus

consors naturæ, est veluti Deus contractus, iuxta illud Psal. 31. *Ego dixi Dij estis.* Octaua est pulchritudo gloriæ, qua beati amicti lumine sicut vestimento similes sunt ei quem vident sicuti est 1. Ioan. 3. & reuelata facie gloriam domini speculantes in eandem imaginem transformantur à claritate in claritatem 2. Cor. 3. Nona est diuina pulchritudo, quæ cæteris omnibus eò longissime antecellit, quò est pulchritudo per essentiam, immutabilis, & cæterarum omnium exemplar, finis, & principium.

Reflexio.

Hæc cum ita sint exclamare licet cum Aug. lib. 10. conf. c. 27. *Sero te amaui pulchritudo tam antiqua, & tam noua, sero te amaui.* Si amor iuxta definitionem Platonis nihil est aliud quam *desiderium pulchritudinis.* Eritne cor tam laxeum quod non rapiat diuinæ pulchritudinis lepos suauissimus? Imitari etiam diuinam illam pulchritudinem morum venustate congruit. Eam verò amore potissimum exprimimus, vt apposite idem August. tract. 9. in epist. 1. Ioan. dixit: *Anima nostra fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur, qualis est qui reddit pulchrum amantem? Amauit nos prior qui semper est pulcher, & quales amauit, nisi fœdos, & deformes? non vt fœdos dimitteret sed vt mutaret, quantum in te creuit amor, tantum in te crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo.*

DISSERTATIO IV.

De modo perfectionis Diuinæ.

EXPLICATA diuina perfectione & bonitate, indagandus est modus eiusdem perfectionis in hoc præsertim positus, quod nullis terminis nec locorum spatiis claudi possit.

CAPVT I.

De infinitate & immensitate Dei.

PVlchrè & verè dixit Caietanus Deum esse ens, *infinitis modis infinities infinitum, in perfectionibus infinitis.* Vnde infinitas maxime conducit ad explicandum modum diuinæ perfectionis, sit ergo.

SPECVLATIO I.

Deus infinitus est, eiusque perfectio nullis limitibus clauditur, nec circumscribi potest, & hæc perfectio est ita illi propria, vt nullum aliud si infinitum creatum, sed nec esse possit.

PRimam partem docent sacræ litteræ Psalm. 144. *Magnitudinis eius non est finis.* Baruch 3. *Magnus est & non habet finem.* Imo vt obseruat D. Thom. 1. contr. gent. cap. 43. Huic veritati attestantur antiquissimorum philosophorum essentiæ, qui omnes posuerunt primum rerum principium infinitum quasi ab ipsa veritate coacti.

Probatur Deus est actus purus & simplex, habens esse irreceptum & irreceptibile in subjecto. Ergo caret omni principio limitatiuo, tum materiali hoc ipso quod non recipitur in materia, vel subjecto, tum formali, cum actus purus sit incapax vlterioris perfectionis : solum autem illud finitum dici potest, quod vel limitatur per subjectum, vel caret aliquo quo vlterius perfici potest. Quibus si addas Deum esse ens à se, omnino ab alio independens, planum erit nullos in Deo posse concipi limites, nec intrinsecos, nec extrinsecos à causa externa à qua pendeat præfixos.

Confirmatur duplici alia ratione D. Thom. loco cit. cont. Gentes. Prima est: Deus est illud quo nihil melius esse aut excogitari potest, cum sit summum bonum, ens per essentiam, & cumulus omnis perfectionis. Sed si Deus esset finitus, posset aliquid concipi eo perfectius & melius. Igitur infinita est Dei perfectio. Secunda sic formatur: talis est essentia qualis est virtus, cum vnumquodque agat per suam formam quæ vel est essentia vel pars essentiæ, & generaliter operari sequitur semper esse. Sed virtus Dei est infinita, vt apparet ex creatione rerum quas ex nihilo extraxit, vnumquodque enim agens tanto virtuosius est in agendo, quanto potentiam magis remotam ab actu in actum reducit, sicut maiori virtute opus est ad calefaciendum aquam quam aerem: illud autem quod omnino non est, est infinite distans ab actu: igitur si mundus factus est, postquam omnino prius non erat, oportet factoris virtutem esse infinitam: ergo essentia quoque illius infinita est.

Secunda pars, quæ asserit de facto non dari infinitum creatum neque in quantitate, seu extensione, neque in multitudine, neque in qualitate, colligitur ex scriptura, dicitur enim Sap. 12. Quod omnia facta sunt *in numero, pondere, & mensura.* Et certe id conuincunt rationes D. Thom. q. 7. vbi solum intendit non dari actu infinitum, nec posse dari de potentia ordinaria contra antiquos philosophos, qui illud de facto admittebant. In primis non datur substantia infinita, quia omnis creatura habet perfectionem limitatam certis terminis, nec vlla est in in mundo, qua perfectiorem ex suis thesauris extrahere non possit diuina potentia.

Non datur etiam infinita multitudo, vel magnitudo; tum quia hæc esset contra ordinem vniuersi, qui exigit vt vna creatura seipsam alteri communet, superior inferiori: Quod naturale commercium prorsus cessaret, si infinita multitudo vel magnitudo, quæ pertransibilis non est, percurrenda foret. Tum quia omne quod producitur, *claudatur sub certa intentione creantis*, vt ait Sanctus Thomas, id est, agens fertur ad effectus determinatos, propter certum finem, vt vitetur vniuersi confusio.

Accedit, quod videmus omnem multitudinem, quantacunque sit, esse in aliqua specie numeri, nulla enim datur absolute innumerabilis, si non in se vt arenæ maris quas computare non possumus, tamen absolute ab Angelo numerari possunt: omnis autem species numeri est finita, cum sit multitudo mensurata per vnum, seu per vnitatem sæpius multiplicatam. Deinde, omne corpus quod sensibus experimur, vel ratione cognoscimus est mobile, vel motu locali vel motu alterationis, habetque superficiem & figuram: corpus autem infinitum est immobile, cum repleat omnia spatia, & careat superficie. Denique cum omnis substantia creata sit finita, necessario fatendum est omne accidens illius siue sit quantitas, siue sit qualitas, esse finitum, quando enim radix est limitata, rami non possunt esse infiniti, nec illimitatus effectus potest à causa limitata emanare.

Hæ sunt rationes quas tradit D. Thom. quæ solum euincunt non dari vel posse dari de potentia ordinaria infinitum quodcumque, an vero de potentia extraordinaria produci possit non quærit S. Doctor, vt patet tum ex eius verbis,

tum quia raro difficultates de potentia extraordinaria resoluit. Vnde non est quod immoremur in illis rationibus vindicandis ab instantiis, quas accumulant Neoterici quidam, sed non aduerterunt intendisse solum D. Thomam non posse dari infinitum de potentia Dei ordinaria; quamuis nonnullam rationem afferat, quæ absolutam repugnantiam suadet, vt statim dicetur.

Tertia itaque pars, quæ asserit omne infinitum creatum implicare contradictionem, sic ostenditur, & primo quod repugnet dari creaturam infinitam in ratione entis facile probatu est: nam omnis creatura quamlibet perfecta constat genere & differentia, seu ratione communi & propria: per rationem autem propriam determinatur ratio communis ad certam perfectionem per quam differt ab aliis, atque adeo non comprehendit totam perfectionem sub ratione communi contentam: ergo finitam. Et certe illa substantia infinita in ratione entis deberet habere proprietates infinite perfectas, sicque deberet habere infinitam sapientiam, potentiam, quid ergo illi deesset vt Deus esset? ergo nulla dabilis est substantia, quæ non sit finitæ perfectionis, & quâ non possit dari perfectior. Quorum omnium radix est, quia omnis creata perfectio est expressio, participatio, & veluti radius diuinæ bonitatis, quæ à nulla creatura exæquari potest, sed ab ea infinitis distat interuallis: Ergo nulla potest dari tam perfecta, & Deo similis, quin possit dari perfectior, & Deo assimilatior.

Quod vero etiam repugnet infinita multitudo, magnitudo & intensio qualitatis probari

solet in Philosophia, vnde solum in præsenti paucis rem conficiemus, ad intellectum doctrinæ D. Thomæ, sic ergo argumentor: positio cuiuscumque illius triplicis infinitatis destruit præcipua & euidentiora principia lumine naturali nota, nimirum omne totum est maius sua parte. 2. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. 3. Res nonpossunt multiplicari nisi per creationem vel generationem. 4. Potentia Dei est infinita & inexhauribilis. Primum quidem destrueretur: Nam si daretur infinita multitudo vel magnitudo vel intensio gradualis, tot darentur in illa binarij quot ternarij & millenarij, tot palmi quot vlnæ, siquidem in infinitis binariis sunt infiniti millenarij, & in infinitis palmis sunt infinitæ vlnæ; si enim essent finitæ, multitudo non esset infinita: ergo binarij illius multitudinis & palmi illius extensionis æquiualerent toti multitudini & extensioni, nec posset aliquid designari in infinitis vlnis quod in infinitis palmis non reperiretur: sed palmi extensionis & binarij multitudinis sunt tantum partes illius: ergo pars esset æqualis toti.

Confirmatur: Si darerur corpus infinitè protensum, posset ex eo sumi linea infinita versus orientẽ, destruatur postea reliquum corpus & sola superfit linea extensa versus orientem, & deinde coaceruetur in figuram rotundam; tunc illa linea in globum redacta vel occupabit spatium finitum, vel infinitum versus omnem partem, si finitum, ergo linea non est infinita; si infinitum, tantum spatium occupabit, quantum corpus præcedens immensum, cuius erat pars: ergo pars non erit minor toto, sicut si daretur linea infinita versus orientem, cuius palmi

alternatim essent picti alij albedine alij nigredine, postea vero si Deus extrahat solos albos, & faciat lineam priori parallelam, vel erit finita vel infinita; si primum, cum sit similis alteri, vtraque erit finita, ex duplici vero finita non potest consurgere infinita; si secundum, pars erit æqualis toti.

De secundo principio idem facile monstratur: nam si darentur infiniti homines habentes suos capillos & digitos ordinarios, vel multitudo capillorum esset maior multitudine hominum, vel minor, vel æqualis; non æqualis, cum quilibet homo habeat plures capillos: & multo minus potest dici minor, vt patet: non potest etiam dici maior, quia quælibet multitudo tam capillorum quam hominum esset æqualis vni tertio, scilicet multitudini infinitæ: ergo esset æqualis inter se. Quod tamen est falsum. Ergo falsum erit illud principium, quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se.

De tertio similiter principio suadetur: Nam si darentur infiniti homines, quorum quilibet haberet pomum, quod in aceruum projiceret, posset deinde vnusquisque desumere decem, imò centum & mille poma; nam cum ille aceruus sit infinitus, essent in illo infiniti & inexhauribiles millenarij, & tamen nulla esset facta productio vel creatio: ergo res sine productione vel creatione multiplicarentur.

Denique quartum pariter principium destructum iri probatur: nam producta infinita multitudine, vel quantitate, vel qualitate non posset Deus aliquid aliud producere: nam infinitum non est, nec vt tale concipi potest, cui potest aliquid addi, vel quod potest ab aliquo

alio excedi, sicut corpus illud non est immensum, cui restaret aliquod spatium occupandum: sed hoc posito exhauriretur diuina potentia: ergo ex positione infiniti exhauriretur diuina omnipotentia.

Scio quosdam modernos hæc omnia inconuenientia deuorare, dum aiunt in infinito non saluari prædicta axiomata, sed quod mutata dispositione linea infinita modo maius, modo minus spatium occuparet; quod idem homo modo vnum, modo mille pomia posset habere; & quod pars modo minor esset toto, modo æqualis.

Sed contra: Non debet admitti talis sententia ex cujus positione destruuntur principia, quibus non habemus clariora vel firmiora; alias quidquid libuerit asseri fingique poterit. Quasi vero, inquit sapienter Scotus, assertio infiniti esset articulus fidei, vt quidquid inde sequatur, quantumcumque absurdum & inconcepribile, fide cæca sub pœna inferni concedendum sit. Certe si ex articulis Christianæ religionis similia absurda euidenter colligerent infideles, grauissime periclitaretur fides nostra.

Mitto alias implicantias quæ contra quamlibet speciem infinitatis vrgeri possunt, quas videre poteris in libris physico. In his enim philosophicis tricis nimium nobis immoratis ignosce Theologe lector, te in his in posterum non detenturis: sed coëgit nos quorumdam Diuum Thomam impugnantium licentia.

Dices: Deus cognoscit omnem multitudinem possibilem esse infinitam: ergo cognoscit aliquod infinitum esse possibile. Sed possibile non est inconueniens poni: ergo non est inconue-

niens poni infinitum v. g. videt Deus infinitas cogitationes per totam æternitatem futuras, quid ergo vetat eas de facto produci?

Respondeo non esse inconueniens poni possibile eo modo quo est possibile, sed non eo modo quo est impossibile : collectio autem creaturarum possibilium non est possibilis collectiuè sed diuisiuè vna post aliam : vnde non videt Deus infinitam multitudinem possibilem, vt simul producibilem ; sed videt quod quacumque producta potest aliam & aliam producere maiorem ; vnde non repugnat infinitum cognitum, sed factum. Seu videt Deus infinita factibilia, non simul ponenda, sed successiue. Alia vide in Philosophia : hæc enim tetigisse sat est, vt cognoscas infinitatem esse Deo propriam.

Reflexio.

Licet diuina majestas nullis circunscripta limitibus infinita sit, obseruant tamen Patres Deum posse à nobis magnificari, iuxta illud Psalm. 66. *Magnificate Dominum mecum*, & illud beatissimæ Virginis, *Magnificat anima mea Dominum.* Quod fit inquit August. in illum Psalm. *Laudando & magnum fatendo.* Nonne semper Magnus Deus ? nonne semper magnificus, nunquid perfectus non est, vt crescat? Numquid deficit, vt aliquando minuatur? absit vt hæc de incommutabili maiestate cogitemus. Magnificatur ergo dum magnus apparet, dum nimirum ei summa mentis exultatione tantâ amplitudinẽ gratulamur, eamque oris laudibus celebramus. Secundo magnificatur Deus per amorem, quo dilatatur cor, diuinique regni, quod intra nos

est, fines protenduntur. Tertio magnificamus Deum bonis exemplis, quibus Christi bonus odor facti, videntur opera nostra bona, & glorificatur Pater, qui in cælis est. Demum teste Origene magnificatur Deus in anima nostra, quando virtutibus crescit, sicut Regem magnificat, qui Regis imaginem variis ornamentis decorat. Sed proh dolor! Deum, quem magnificare tenemur, quantum in nobis est, parui facimus; dum ei cor negamus, eiusque dominium quantum in nobis est coarctamus.

SPECVLATIO II.

Deus est vbique præsens & immensus; non tamen exigit diuina immensitas, vt actu sit Deus in spatiis imaginariis.

PRimam partem non solum docent Scriptura & Patres, sed etiam probant ex operatione Dei in omnes res productas. Psal. 138. *quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* idest numquam possum effugere conspectum diuinæ præsentiæ tuæ, & rationem annectit; *si ascendero in Cœlum tu illic es; si descendero in infernum, ades; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*, vbi ex manuductione & conseruatione rerum colligit Dei præsentiam. & Act. 17. *non longè est ab vnoquoque nostrum*, & rationem statim assignat, *in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.*

Quæ ratio sic deducitur: Deus operatur in omnibus entibus esse, vitam, & operationem, alias non esset prima omnium causa: ergo Deus est intime præsens & conjunctus rebus; omne enim agens debet coniungi cum passo, vel per se, vel per suam virtutem; virtus autem Dei est ipsa substantia Dei, cum in Deo nulla sint accidentia: ergo substantia Dei est immediate conjuncta & illapsa rebus omnibus. Vnde Anselm. in Monol. cap. 22. *Quoniam nihil sine Deo potest aut esse aut conseruari, dicere cogimur Deum vbique, & semper esse.* Et August. lib. 4. de Gen. ad litt. c. 12. *Creatoris potentia & omnipotentis atque omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ: qua virtus ab eis, quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret: Neque enim sicut structor ædium cum fabricauerit abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus eius, ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen subtraxerit, & non ob aliud sumus in ipso, nisi quia id operatur.*

Hanc rationem desumptam ex scripturis iure magnificant post D. Thomam omnes eius discipuli, vt credant non solum præsentiam Dei colligi ex operatione, sed etiam necessario eam exigere & supponere, ita vt si Deus non operaretur in creaturis, illis præsens non esset. Quia nimirum essentia Dei est absoluta & independens ab omni creatura; proindeque non est in illa, nisi quateuus facit eam pendere à se, quod vtique præstat per suam actionem, quia res omnes vel producit vel conseruat, vel mouet, & qua vt ait S. Bernard. Serm. 8. in Cant. *loca omnia continet, & quaque suis ordinat locis, nusquam contenta locorum.*

Confirmatur hoc totum ex signis luculentis, quibus apparet quod tunc Deus incipit esse nouo modo alicubi præsens, quando in illo speciali modo operatur; sic Deus dicitur specialiter præsens in anima justi, in qua gratiam & omnia bona pariter cum illa producit; dicitur singulariter præsens in anima beati, cui glorioſum lumen communicat; dicitur peculiari ratione præsens in anima Christi, quam sublimat ad vnionem hypostaticam, ex qua innumerorum & sine mensura donorum copia consequitur; dicitur demum nouo modo in adorando Eucharistiæ Sacramento, in qno Corpus Christi Domini per transubstantionem panis ponitur, ex quo mysterio jugiter tamquam ex fonte spiritualium charismata gratiarum promanant: Igitur si Deus tunc solum nouo modo præsens efficitur, cum aliquid speciale operatur, profecto sola operatione tamquam ratione formali præsens vbique constituitur. Vnde Auguſt. l. 2. ser. Dom. in mon. c. 5. *Deus vbique est præsens, non locorum spatiis, sed maiestate potentiæ.*

Objicies: prius intelligitur aliquid esse in loco quam ibi operari, nam sicut operari sequitur esse, ita operari in loco sequitur esse in loco: ergo Deus non est formaliter præsens per suam operationem, quæ pertinet ad attributum omnipotentiæ, sed per suam essentiam suamque immensitatem, qua Deus repleret omnia spatia, etiam si in eis nihil ageret.

Respondeo quod sicut in corporalibus licet prior sit substantia quantitate & vbi, tamen substantia corporea non est prius in loco, quam sit in ea quantitas vel vbi, quia non est in loco nisi per quantitatem: Ita similiter in ea-

tibus spiritualibus, licet in eis prius admittatur & concipiatur esse absolute, quam operatio, non tamen esse in loco; quia in eo non sunt nisi per operationem. *Omne quod est in loco*, ait D. Thom. lib. 3. contr. gent. cap. 68. *vel in quacumque re, aliquo modo contingit ipsam; res enim corporea est in aliquo sicut in loco secundum contactum quantitatis dimensiuæ; res autem incorporea in aliquo esse dicitur secundum contactum virtutis*, quæ virtus prout est formaliter ratio agendi constituit omnipotentiam, prout vero est ratio attingendi & illabendi in creaturas constituit attributum immensitatis. Sicut eadem bonitas prout est ratio miserendi constituit misericordiam: prout est ratio puniendi, iustitiam.

Altera pars propositionis sequitur ex prima, si enim Deus non est nisi vbi operatur, manifeste relinquitur Deum non esse in spatiis imaginariis, seu in inanibus illis interuallis quæ imaginamur extra cælos, quæ nihil sunt nisi in imaginatione, nec in illis quidquam Deus producit. Itaque Deus eo plane modo est extra mundum, quo erat in hoc mundo antequam crearetur: At Patres non docent Deum ante orbem conditum spatia vacua mundo correspondentia inhabitasse, sed in seipso fuisse sibi locum, templum, & omnia vt loquitur Tertul. & Minut. Fælix in Octau. *Ante mundum fuit sibi Deus ipse pro mundo.* Et Augustin. quærens, *antequam Deus faceret cælum & terram, vbi habitabat*, respondet, *in se & apud se habitabat.* in Ps. 122. Et Bern. l. 5. de consid. *vbi erat Deus antequam fieret mundus, vbi nunc est non est quod quæras vltra vbi erat, præter ipsum nihil erat, ergo in seipso erat.* Ergo similiter in spatiis imaginariis Deus actu non est. Et

ideo Augustᵉ. lib.7. conf. c.1. expressè docet falsam esse hanc imaginationem, qua Deus per infinita spatia cogitatur.

Dices: Scriptura & Patres docent Deum non concludi in hoc vniuerso, sed extra diffundi 3. Reg.8. *Cœli cœlorum non te capiunt.* Iob 10. *excelsior cœlo est.* & D. Gregor. lib.2.mor.c.12. *Ipse est intra omnia, extra omnia, infra omnia, supra omnia, extra circundans, intra penetrans.* Et Augustᵉ. lib.8. sup.Gen.ad litt.c.26. *Deus est extra omnia, non exclusus; intra omnia, non inclusus; supra omnia, non elatus; subter omnia, non depressus; interior omni rei, quia in ipso sunt omnia; exterior omni rei, quia ipse est super omnia.* Et hoc exigit diuina immensitas, vt ad omnia spatia imaginabilia se protendat; alias si Deus produceret nouum mundum, mutaretur accedendo ad illum; vel si duos orbes distantes produceret, à seipso diuideretur, sicut & illi orbes diuisi, vel si lapis moueretur per illa inania, Deus cum illo cieretur, quæ inconuenientia sunt.

Respondeo: Deum non esse in hoc vniuerso tamquam inclusum in illo, vel intra eius ambitum, veluti in carcere coarctatum, cum possit infinitos mundos producere & replere; & ita intelligendi veniunt Patres, qui volunt solùm, Deum locorum spatiis non circunscribi. Vnde D. Augustᵉ. lib.de nat. bon.cap.3. docet Deum esse extra mundum non spatiis locorum, sed ineffabili potentia. Hoc ergo solum exigit diuina immensitas, vt omnia loca realia impleat, & possit replere omnia producibilia; sicut de ratione omnipotentiæ non est quod omnia possibilia producat, sed producere valeat absque fine. Nec Deus mutaretur, si nouum orbem produceret; sicut

sicut non fuit matatus producendo mundum in tempore, sed solum mutauit orbem de nihilo ad esse, immotus enim omnia mouet. Si autem orbes diuisos crearet, non tamen à seipso separaretur; quia Deus non est in loco quantitatiue, nec ab eo contentus, deffinitus, vel circunscriptus, sed potius continet locum, & *portat omnia verbo virtutis sua.* Certe si corpus Christi non distinguitur à seipso, licet realiter sit in distinctis altaribus, quia non est in eis modo locali, multo minus Deus in discretis orbibus à seipso secaretur. Nec moueretur ad motum lapidis, sicut nec de facto mouetur quando corpora in quibus est, cientur. Vnde dicitur Psal. 101. *Mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es.* Et Sapient. 7. *In se permanens, omnia innouat.*

Quare oportet transcendere imaginationem dum de spiritualibus, maxime vero dum de supremo Spiritu agimus. Et præ oculis habenda est obseruanda D. Tho. doctrina loc. cit. cont. gent. Non est æstimandum Deum esse vbique, quòd per locorum spatia diuidatur, quasi vna pars eius sit hîc & alia alibi, sed totus vbique est: Deus enim, cum sit omnino simplex, partibus caret. Neque sic simplex est sicut punctum, quod est terminus continui, & propter hoc determinatum situm in continuo habet, vnde non potest vnum punctum nisi in vno loco indiuisibili esse: Deus autem indiuisibilis est, quasi omnino extra genus continui existens; vnde non determinatur ad locum vel paruum vel magnum ex necessitate suæ essentiæ, quasi oporteat eum esse in aliquo loco, cum ipse fuerit ab æterno ante omnem locum, sed immensitate

suæ virtutis attingit omnia quæ sunt in loco, cum sit vniuersalis causa essendi; sic igitur ipse totus est, vbicumque est, quia per simplicem suam virtutem vniuersa attingit. Hæc D. Thom. hoc etiam explicat D. August. lib. de cogn. ver. vit. c. 28. exemplo luminis, *sicut*, inquit, *lumen lucernæ in oculis omnium astantium totum lucet, & in seipso totum manet, non à seipso recedit, vt ad præsentes perueniat; sic Deus vbique & in omnibus est totus, & in seipso permanet totus, & à se non recedit, sed cuncta in se colligit.*

Reflexio.

Quare vbi te non videat Deus, & fac quod vis. Ait August. serm. 46. de ver. Dom. Magna sane imposita est nobis necessitas bene viuendi, qui omnia agimus ante oculos Iudicis cuncta cernentis, & vbique præsentis. Radix omnium peccatorum, & tepiditatis genuina causa est, quia ante oculos Deum non habemus, quo spectante viuamus. Quod egregie ponderat Chrisol. serm. 1. expendens illud filij prodigi, *abiit in regionem longinquam. Considera quot malis, quotue miseriis sese obiecerit infælix ille prodigus, vbi patris fugit præsentiam. Miser qui neque conuiuit porcis, qui viuit porcis: Miser qui porcorum esurit, & deficit in saginam: paterna præsentiæ fuga filium tulit è gremio patris, eiecit de domo, exemit patria, spoliauit fama, exuit castitate; quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod est gloriæ nihil reliquit. Ciuem denique in peregrinum, filium in mercenarium; in egenum locupletem, liberum mutauit in seruum; iunxit porcis à patre piissimo quem seiunxit; vt seruiret ca-*

noso pecori ; qui patris oculos contempsit. Et Clem. Alex. lib. 3. pædag. c. 5. *Hac enim vel sola ratione fit, vt quis numquam labatur, si Deum sibi semper adesse recogitet.*

SPECVLATIO III.

Varij sunt modi diuinæ præsentiæ.

PRobatur & explicatur : Primò Deus est in rebus triplici illo generali modo per potentiam eo modo quo Rex dicitur esse in regno suo. Esther 13. *Deus in cuius ditione cuncta sunt posita.* Per præsentiam eo pacto quo Rex dicitur esse in aula videns omnia quæ in ea fiunt, Heb. 4. *omnia nuda & aperta sunt oculis eius.* Et ex hoc maxime aggrauantur peccata nostra, quòd Deo ipso cernente patrentur. Vnde Dauid se accusans dicebat Psal. 50. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Et prodigus Luc. 15. *Peccaui in cœlum, & coram te. Quia videt,* ait Chrisost. Serm. 2. *Per totum mundum nuda Dei oculis delicta consistere ; non cœlum, non terram, maria, non abyssum, non ipsam noctem Deo velare posse peccata: Sentit quantum sit sceleris, quantum mali, in ipso Dei peccare conspectu, & ideo clamat, tibi soli peccaui.* Per essentiam demum, sicut Rex dicitur esse in solio quod corpore contingit. Hier. 23. *Cœlum & terram ego impleo.* Distinctionem horum trium modorum inde penetrabis, quia si per impossibile Deus esset dumtaxat in cœlo per essentiam, immediate ibi solum residens, si tamen omnia inferiora eius ditioni subderentur, eaque per Angelos aliosque ministros guber-

naret, esset in mundo per potentiam: & rursum, si per impossibile hæc inferiora eius non essent subdita potentiæ, regimini, aut operationi; si tamen ea clarè intueretur, esset in omnibus per præsentiam.

Secundò dicitur Deus præsens in iustis per gratiam, in quibus est tamquam amicus, vnde si per impossibile Deus non esset vbique per immensitatem ad iustos tamen descenderet, iuxta illud, *Si quis diligit me, pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quod sane exigit amicitia quæ inter Deum & hominem charitate initur; perfecta enim amicitia amicorum conuictum & societatem omnino requirit. Vnde Gregor. hom. 38. in Euang. *Cælum est anima iusti, quia dum iustorum corda in terra nihil ambiunt, per hoc quod ad cœlestia suspirant, iam in eis Dominus quasi in cælestibus regnat.* Iuxta illud Luc. 17. *Regnum Dei intra vos est.* Et illud 1. Cor. 3. *Nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus sanctus habitat in vobis?* Sed de his iterum, dum de missionibus diuinarum personarum.

Tertiò dicitur Deus specialiter præsens tum in Christo domino per vnionem hypostaticam, *in Christo*, enim, *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Coloss. 2. vel quia, vt exponit D. Thom. 3. part. q. 2. art. 10. ad 2. diuina natura vnita est non solum animæ, sed etiam corpori; vel quia in ipso habitauit realiter, & non vmbraliter, sicut habitabat in Sacramentis veteris legis; vel quia sicut corpus est in loco per trinam dimensionem, ita Deus est tribus modis in Christo. Primò per essentiam, potentiam, & præsentiam sicut in cæteris creaturis: Secundò

per gratiam gratum facientem, sicut in sanctis. Tertiò per vnionem personalem, quod est proprium ipsi Christo. Sed de his operosius suo loco.

Quartò demum Deus dicitur specialiter præsens in quibusdam locis, vt in templo in quo residet tamquam in propria domo in qua vult specialiter coli, & singularia dona conferre. Vnde Bernard. exponens illud Iacob Genes. 28. *Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam, non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli*, ait: *Quomodo tantus Patriarcha nescire potuerat, quod non esset locus, vbi non esset Deus? Miratur gratiam, dignationis magnitudine expauescit, quod templa Deus specialiter sibi elegerit, vbi cum hominibus familiarius conuersetur*: Ser. 6. in dedic.

Dicitur etiam singulari modo Deus præsens in Cœlis iuxta illud Isay. 66. *Cœlum mihi sedes est.* & Psal. 114. *Cœlum cæli Domino.* Quod sic explicat D. Bern. Serm. 1. in Psalm. qui habitat, *Licet Deum vbique esse non dubitem, sic tamen in cœlo est, vt ad eius comparationem nec esse videatur in terris, propter quod & orantes dicimus: Pater noster qui es in Cœlis; sicut anima cum in solo quoque sit corpore, excellentius tamen & singularius est in capite in quo sunt omnes sensus.* Mitto Deum specialiter præsentem dici in quibusdam personis, vt in simul orantibus, qui in nomine Christi congregati Deum habent in medio vt dixit Christus; quod à fortiori verius est de Conciliis in spiritu sancto congregatis, quibus Deus specialiter assistit; idem dicendum de summo Pontifice, quem Deus speciali prouidentia regit; idem etiam de superioribus legitimis credendum, quos Deus dirigit quando subditi eos

in veritate & animi candore consulunt, iuxta illud, *qui vos audit, me audit.* Mitto etiam quomodo personæ diuinæ sint, sibi inuicem præsentes, iuxta illud, *ego in patre & pater in me est*, per circuminsessionem illam in tractatu de Trinitate explicandam.

Reflexio.

Summè consulunt Patres spirituales ad supremum contemplationis gradum (quem internam quietem & orationem passiuum vocant, adipiscendum, vt Deum intra nos contemplemus, & merito, nullum enim est vel ad ciendos pios motus efficacius, vel ad modestiæ seruandas normas vtilius, vel ad stimulandam inertiam vrgentius exercitium cogitatione illa, qua credimus Deum esse intimo nostro intimiorem; in corde nostro totam residere Trinitatem, ibique Patrem gignere Filium, & vtrumque producere Spiritum sanctum. Ita agebat August. lib. 7. conf. c. 5. dum se intra Deum veluti spongiam, quam mare foris cingit, intus peruadit. Vnde alibi exclamat in solil. c. 30. *Eia Domine Deus inueni locum, in quo habitas: ego circuiui sicut ouis quæ perierat, quærens te extra me, & tu habitabas in me, & non inueni quia male quærebam foris, quod erat intus.* Hinc Deus per Ierem. cap. 23. *Deus appropinquans ego sum, & non de longinquo.* Et ipse Philosopus Moralis epist. 41. *Non sunt ad Cælum eleuandæ manus, prope est à te, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, bonorum malorumque nostrorum obseruator & custos.*

CAPVT II.

De immutabilitate & æternitate Dei.

IMmutabilitatem & æternitatem conjungimus, quia hæc est corollarium illius.

SPECVLATIO I.

In Deo admittenda est summa & omnimoda immutabilitas.

DOcent hanc veritatem Sacræ paginæ Malach. 5. *Ego Deus & non mutor.* Num. 23. *non est Deus, sicut filius hominis vt mutetur.* Iac. 1. *apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio.* Quod si nonnullæ sacræ Scripturæ locutiones aliquam in Deo mutationem significare videntur, vt cum Deus dicitur Gen. 3. *tactus dolore cordis intrinsecus*, & pœnituisse eum feciſſe hominem: Hoc accipiendum est in sensu accommodato ad nostrum intelligendi modum. Vel melius dic cum Patribus, Deum dici mutari, pœnitere, retractare sententiam per ordinem ad effectus, quando eos producit, quos à nobis extorquere solet pœnitudo, dolor, & retractatio. Vnde egregiè Auguſt. in Pſ. 72. *Sol oculos sanos & puros recreat, lippos excruciat, non mutatus, sed*

mutatos; sic cum cœperis esse perversus, tibi Deus perversus videbitur. & iterum l. 1. conf. c. 4. *immutabilis mutans omnia; numquam nouus, numquam vetus, innouans omnia, & in vetustatem perducens superbos; amas nec æstuas; zelas & securus es; pœnitet te, & non doles; iraſceris, & tranquillus es; opera mutas, non mutas consilium.*

Probatur ratione: Deus est actus purus, simplicissimus & infinitè perfectus: ergo omnino immutabilis. Probatur consequentia: vt aliquid mutetur, requiritur, vel vt perdat aliquid quod habet, vel acquirat quod non habet; quod enim eodem modo semper est mutationi obnoxium dici non potest: sed simplicitas Dei non permittit vt aliquid ei dematur, cum sit indiuisibilis; nec quod ei aliquid adjiciatur, alias faceret cum illo compositionem. Hoc etiam non patitur infinita Dei perfectio, quæ cum habeat plenitudinem essendi, nihil ei aduenire potest: ergo cum Deus sit simplicissimus & perfectissimus omnino immutabilis est: sicut è contra omnis creatura vanitati & mutationi subjecta est non volens, quia est ens potentiale, defectibile, & dependens; & inter creaturas homo præ cœteris maximè mutabilis est, quia non solum est ex nihilo sicut cœteræ, proindeque cum illis tendit ad nihilum; sed quia præter nihilum naturæ habet etiam peccatum seu nihilum gratiæ, & ideo dicitur Tren. 1. *peccatum peccauit Hierusalem, & ideo instabilis facta est.* Solus ergo Deus habet perfectam immutabilitatem, seu immortalitatem, vt loquitur Apost. Tim. 6. quia omnis mutatio est quædam mors, cum de vno in aliud esse fiat transitus, vt optimè prosequitur D. Bern. serm. 82. in cant. Deus autem solus omnis mu-

tationis est essentialiter expers.

Sed dices: Deus dicitur in Scripturis moueri de loco in locum, Gen. 11. *venite, descendamus, & confundamus linguas eorum.* Verbum etiam dicitur descendisse de Cœlis propter nos homines, & propter nostram salutem: ergo Deus mouetur, nec est immutabilis.

Respondeo Deum non moueri, nec descendere, qui dixit cœlum & terram ego impleo, sed eatenus dicitur moueri, quatenus se creaturis aliquo speciali modo communicat, vel quatenus novum aliquem effectum sensibilem vel inusitatum producit. Declaratur etiam hoc modo loquendi Dei prouidentia quæ ad omnia etiam minima se extendit, & sic se habet ad similitudinem descendentis. Demonstratur etiam singularis Dei amor, cum dicitur Verbum descendisse de Cœlis, non quod Cœlos reliquerit, sed quia visibiliter in terris apparuit, & cum hominibus conuersatus est. Vnde Chrysol. ser. 3. expendens illud, vidit eum Pater de longè & misericordia motus est, ait, *mouetur misericordia Deus, qui loco dimoueri non potest: accurrit, non progressu corporis, sed pietatis affectu; cecidit super collum eius, non lapsu viscerum, sed compassionis, vt erigeret sic jacentem, vt amoris onere onus tolleret peccatorum.* Sic etiam explicat D. Thom. hic illud Sap. 7. vbi diuina Sapientia dicitur *mobilior omnibus mobilibus.* In quantum, inquit, Deus suam similitudinem diffundit vsque ad vltima rerum; & in quantum similitudo Diuinæ Sapientiæ gradatim procedit à supremis vsque ad infima: sicut si dicamus Solem procedere vsque ad terram, in quantum radius luminis ejus vsque ad terram pertingit.

Reflexio.

Damnat sanè hoc attributum volubilem mentis nostræ mobilitatem, qua ab inceptis bonis statim desistimus, nec gratia stabilimus cor, vt monet Apost. imitamur homines illos qui Basilio teste ep. 82. sunt similes nubeculis, pro ventorum mutatione ad aliam atque aliam aëris partem jactatis, vel polipodi qui colorem suscipit terræ, quam attigerit. Ad reprimendas autem multiplices alternantium vicissitudinum motus quibus nunc illa, nunc ista cogitamus, Deo incommutabili bono adhærere bonum est, qui enim adhæret Deo vnus Spiritus est cum illo. Hac enim de causa Deus misericordia motus ad nos venit, inquit Chrisol. Serm. 3. vt *amoris pondere, cordis leuitatem firmaret.* & alibi serm. 23. *tibi pastor, tibi sacrificium, tibi ouis, tibi fons, panis, tibi totus factus, & qui sibi numquam, tibi toties immutatur; propter te varias monstratur in formas, qui manet vnica sua maiestatis in forma.* Nihil in via spiritus proficere queit inquieta mens, nec Deo firmiter agglutinata. Verè Seneca epist. 2. *non prodest cibus, qui statim sumptus emittitur. Nihil æquè sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non conualescit planta, quæ sæpè transfertur. Nihil tam vtile est, quod in transitu prosit. Fastidientis stomachi multa degustare, quæ vbi varia sunt inquinant, non alunt; numquam est, qui vbique est.*

SPECVLATIO II.

Deo etiam competit æternitas, quæ caret principio & fine durationis.

HAbetur expresse hoc assertum in Scripturis & Patribus. DAN. 6. *Ipse est Deus viuens, & æternus in sæcula.* Deut. 32. *viuo ego in æternum* Psal. 101. *tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Ad quem locum alludens August. l. 1. conf. c. 13. ait: *Anni tui nec eunt, nec veniunt, anni tui omnes simul stant, nec euntes à venientibus excluduntur, quia non transeunt; anni tui dies vnus; & dies tuus non quotidie, sed hodie, quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque succedit hesterno; hodiernus tuus æternitas, ideo coæternum genuisti cui dixisti, ego hodie genui te.* Quare ipsemet Deus de seipso loquens ait Exod. 3. *Ego sum qui sum, qui est misit me ad vos.* Quod ponderans Hilar. l. 1. de Trin. non longè à prin. inquit, *admiratus sum planè tam absolutam Dei significationem, quæ naturæ diuinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur, non enim aliquid magis proprium Deo, quam esse intelligitur; quia idipsum quod est, neque desinentis est neque cœpti, & id quod incorruptæ beatitudinis potestate perpetuum est, non potuit aut poterit aliquando non esse, quia diuinum omne neque abolitioni neque exordio obnoxium est.* Cui consonat August. in Psalm. 101. *nihil est in Deo præteritum, quasi non sit; nihil fu-*

turum, quasi nondum sit; neque enim in Deo est, nisi est, non autem fuit, aut erit. denique id definiuit Concil. Later. extra de sum. Trin. & fide cath. *firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod vnus solus est verus Deus, æternus, incommutabilis.*

Probatur & simul explicatur hæc perfectio: æternitas dicitur communiter post Boëtium interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Hoc est, ad rationem æternitatis exigitur, vt nullum importet terminum initij vel finis, excludátque omnem fluxum, & ideò distinguitur à tempore quod habet initium & finem, estque mensura rei variabilis, quoad substantiam & accidentia, qualia sunt omnia sublunaria; distinguitur etiam ab æuo, quod habet quidem initium, sed fine caret, estque duratio rei inuariabilis quoad substantiam, variabilis tamen quoad accidentia, vt sunt Angeli & corpora cœlestia; at vero æternitas caret initio & fine, estque duratio per modum possessionis seu rei omnino inuariabilis: atqui hoc summè competit Deo, hoc ipso quod est immutabilis, nam immutabilitas exigit permanentiam & stabilitatem indeficientẽ & vniformem; si enim Deus aliquando non fuisset, mutatus esset de non esse ad esse; si desineret, mutaretur de esse ad non esse; si vero operationes & duratio eius essent successiuæ; quotidie mutaretur. Ergo Deo competit æternitas, sicut & immutabilitas. Quod si interdum Scriptura Deo tribuit aliquas temporum differentias, ideo est, vt insinuet durationem Dei omnibus temporibus correspondere.

Confirmatur alia ratione D. Thom. lib. 1,

cont.gent.c.15. Si Deus aliquando non fuit, & postmodum fuit, ab aliquo eductus est de non esse in esse, non autem à seipso, quia quod non est, non potest aliquid agere. Si autem ab alio, illud est prius Deo, quod repugnat, cum Deus sit prima causa: non igitur Deus esse incepit: Vnde nec esse desinet; quia quod semper fuit habet virtutem semper essendi: est igitur æternus. Vnde Deus propriè nec est nouus, nec senex. Nam vt ait Tertul.lib.1. contra Marcio. *Viua & germana diuinitas nec de nouitate, nec de vetustate, sed de sua veritate censetur: Deus si est verus, non erit; si est nouus, non fuit: nouitas initium testificatur; vetustas finem comminatur. Deus autem tam alienus est ab initio & fine quam à tempore arbitro & metatore initij & finis.* Quod si Deus in scriptura dicatur *antiquus dierum*, ideo est quia ratione æternitatis omne tempus anteceſſit.

Reflexio.

Mirum est homines immortali animo donatos mortalem hanc vitam adeo redamare, vt nihil nisi mortem reformident. Cum tamen ex consueta Ecclesiæ praxi sanctorum obitus dies natalis appelletur. Quo, vt ait Chrisol. Serm. 129. *Nascuntur de terra in cœlum, de labore ad requiem, de cruciatibus ad delicias*, non fluxas, sed solidas, stabiles, & æternas. *Merito plane*, inquit, Euseb. Emiss. *Dicendi natales dies, per quos illi qui nati fuerant in hanc fragilitatis humanæ miseriam, subito renascuntur in gloriam, vitæ perennis initium mortis fine sumentes.* Quod idem late prosequitur August. Serm. 113. de diuers. cap. 4.

& alij Patres. Saltem ſuppudeat audire ethnicum chriſtianè ſcribentem, & videre Chriſtianos ethnicè viuentes. Senec. epiſt. 102. *Alia origo nos expectat, alius rerum ſtatus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice: non eſt animo ſuprema & vltima, ſed corpori: tranſeundum eſt. Dies iſte quem tamquam extremum reformidas, æterni natalis eſt.* Rectè dies mortis ſanctorum natalitia nuncupat Eccleſia, quia à vita iſta nos liberat, quæ vera mors eſt, nam vt ait Gregor. hom. 57. in Euang. *temporalis vita æternæ morti comparata, mors eſt potius dicenda quam vita, ipſe enim quotidianus defectus corruptionis; quid aliud eſt, quam quædam prolixitas mortis.* Suſpiremus ergo ad æternitatem.

SPECVLATIO III.

Omnia tempora fugitiuè labentia ſunt præſentia diuinæ æternitati.

HÆc propoſito eſt communis doctrina patrum. Auguſt. l. 11. conf. cap. 11. *Quis tenebit cor hominis & affiget illud? vt paululum ſtet & paululum rapiat ſplendorem ſemper ſtantis æternitatis, vt videat eſſe incomparabilem, & videat longum tempus non niſi prætereuntibus motibus, qui ſimul extendi non poſſunt, longum fieri, non tamen præterire quidquam in æterno, ſed totum eſſe præſens.* Et lib. 1. conf. cap. 6. *quam multi noſtri iam dies & patrum noſtrorum per hodiernum tuum tranſierunt: & tranſibunt adhuc alij. Tu autem idem ipſe es, & omnia craſtina atque vltima, om-*

niumque hesterna, & retro hodie facies, hodie feciſti. Quid ad me ſi quis non intelligat? gaudeat & ipſe, & amet non inueniendo inuenire potius, quam inueniendo non inuenire te. Succinit Bern. Serm. 8. in Cant. *Tempora ſub ea* (æternitate) *tranſeunt non ei, futura non expectat, præterita non recogitat, præſentia non experitur.* Et Petrus Damia. opuſc. 36. cap. 8. *omnipotenti Deo non eſt heri vel cras, ſed hodie ſempiternum, cui nihil defluit, nihil accidit; cui nihil eſt vanum, nihil à ſe diuerſum. Illud hodie æternitas eſt incommutabilis, indefectiua, inacceſſibilis, cui ſcilicet nihil addi, nihil valet imminui: & omnia quæ apud nos elabendo diſcurrunt aut per temporum viciſſitudines ſe variant apud illud hodie ſtant & immutabiliter perſeuerant; in illo ſcilicet hodie dies adhuc immobilis eſt, in quo mundus iſte ſumpſit originem, in illo iam & ille nihilominus eſt, quo iudicandus eſt per æterni iudicij æquitatem.* Quid expreſſius? Nec minus aperte D. Anſelm. l. de concord. in princip. *Æterno præſenti ſimul clauditur omne tempus, & quæ ſunt in quolibet tempore: non enim dico actionem meam craſtinam nullo tempore eſſe, ſed hodie tantum nego eſſe, quæ tamen ſemper eſt in æternitate.* Denique D. Thom. infrà q. 14. art. 13. *æternitas ſimul exiſtens ambit totum tempus; vnde omnia quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolum ea ratione qua habet rationes rerum apud ſe præſentes, vt quidam dicunt, ſed quia eius intuitus fertur ab æterno ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate*, id eſt non ſolum habet ideas rerum futurarum, ſed ipſæ res futuræ ſibi actu præſentes ſunt.

Confirmatur: SS. Patres communiter aſſerunt

in Deo non dari præscientiam. Augustlib.2. ad simplic.quæst.2. *Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem est futurum Deo, qui omnia supergreditur tempora?* & Gregor. l.20. mor. cap.24. *Quomodo est præscius, dum nulla nisi quæ futura sunt, præsciuntur, & scimus quia Deo futurum est nihil.* Sed solum admittunt scientiam intuitiuam & visionem futurorum, quia alias, vt arguit Augustin. ibidem, aliquid temporaliter accideret scientiæ Dei, & bis Deus res sentiret, vno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero secundum præsentium scientiam quod absurdissimum & falsissimum est: atqui visio fertur ad præsentia: ergo omnia futura sunt diuinæ æternitati præsentia.

Probatur ratione: Æternitas est mensura infinita, & indiuisibilis, ac tota simul, qua infinita est, ad omnes durationes se extendit, sicut scientia ad omnes veritates; qua indiuisibilis est, coëxistit tota omnibus rebus successiuis, non totaliter secundum omnem virtualem eius extensionem, & omnes eius veluti sinus. Sane sicut anima indiuisibilis & inextensa omnibus partibus corporis coëxistit, licet vna pars corporis non sit vbi est alia pars; sicut centrum indiuisibile correspondet cuique puncto posito in circumferentia, & singulis lineis à centro ad circumferentiam ductis; sicut homines in via ambulantes succedunt quidem sibi, nec priores vident posteriores; ita æternitati tempora successiue fluentia præsentia sunt, non quod creaturæ existant realiter ab æterno per anticipatam productionem distinctam ab ea qua in tempore creata sunt, sed quia æternitas diuina ratione

ſuæ infinitatis ad omnes temporum differentias ſe extendit, & omnes menſurat. Vt ſtatim magis explicabitur.

Sed Dices : Inintelligibile eſt res quæ nondum ſunt poſſe concipi de facto præſentes æternitati. Certe ſi immenſitas diuina quantumcumque infinita ſit, non ſe extendit ad ſpatia imaginaria, quia nihil ſunt, quomodo æternitas ſe extendet ad tempora futura quæ nondum ſunt ?

Reſpondeo in tantum res eſſe præſentes æternitati, quia hoc ipſo quod Deus decreuit ea producere, ſunt terminus Diuinæ omnipotentiæ & actionis, non quidem ab ea immutatus, & productus, ſed connotatus, & ſic quemadmodum decretum & actio diuina ſunt actu præſentia diuinæ æternitati, ita & eorum termini. Non enim res prius producuntur in ſe, antequam eleuentur ad æternitatem ; ſed per hoc quod ab æterna Dei actione reſpiciuntur vt terminus in tempore quidem immutandus, ſed ab æterno connotatus, dicuntur præſentes æternitati.

Hac explicatione, quam etiam tradit profundus Pater Ioannes à S. Thom. tom. 1. diſp. 9. art. 3. à num. 23. ad 30. tollitur omnis hallucinatio in hac materia in qua vix eſt diſſentio niſi de nomine, & patet differentia inter immenſitatem & æternitatem, vt enim immenſitas occupet aliquod ſpatium, requiritur vt illud contingat contactu virtutis operando in illud ; in ſpatiis autem imaginariis, quæ non ſunt niſi in imaginatione, Deus non operatur : At vero vt æternitati præſentia ſint tempora ſucceſſiua, ſufficit vt aliquando futura ſint, quia hoc

ipso quod futura sunt, habent rationem termini connotati à Diuina omnipotentia, decreto, & actione.

Aliter potest elucidari tota hæc materia, & omnis æquiuocationis radix euelli. Considera igitur quod cum Thomistæ post sanctos Patres volunt omnia Tempora successiuè fluentia esse semper & fuisse ab æterno Deo præsentia, nihil reale ponunt ex parte rerum creatarum, quod habeant creaturæ extra Deum; esset enim nimis crassa intelligentia, cum extra Deum nihil reale sit in veritate existens nisi in tempore, siquidem in principio creauit Deum cœlum & terram; non est etiam sensus futura contingentia veluti retrotrahi, vt pertingant ad durationem æternam antequam existant; cum enim duratio cuiuslibet rei futuræ sit finita & certo tempori addicta, nequit habere illam infinitam extensionem virtualem, quâ ambiat, contineat, & concludat omne tempus.

Cum ergo realis illa præsentia nihil reale ponat ex parte creaturarum, liquidò constat legitimum sensum esse, æternitatem, quia omnibus durationibus futuris æquiualet, easque eminenter includit, repræsentare intellectui Diuino omnes temporis durationes & differentias ex vi propriæ lineæ & caracteristicæ proprietatis; ita vt sicut essentia Diuina repræsentat intellectui Diuino omnes essentias possibiles, essentia vero determinata per decretum omnes creaturas futuras: Ita æternitas ex formali sua ratione repræsantat omnes durationes possibiles, supposito vero decreto eadem æternitas omnes durationes futuras exhibet intellectui Diuino: Quia cum æternitas habeat veluti plures par-

ses virtuales æquiualentes variis durationibus sibi succedentibus, in illis simul & semel resplendent labentium temporum decursus. Qua de causa D. Thomas opuscul. 63. appellat æternitatem *speculum*: sicut enim speculum immotum manens omnes in aula ambulantium motus & gestus exprimit; sic speculum infinitum æternitatis omnes circumfluentium successionum vicissitudines futuras, suppositio decreto, intellectui diuino videndas repræsentat in suo vastissimo sinu virtualiter tamen multiplici.

Atque etiam ex his manifestè apparet, quomodo hæc præsentia sit realis, & non tantùm objectiua & in esse intelligibili; nam iuxta traditam expositionem, si per impossibile Deus non haberet ideas rerum futurarum, secundum quas habet rationes rerum apud se præsentes; tamen eas cognosceret in sua æternitate, quæ omnia tempora diuino conspectui præsentialiter intuenda offert. Ex quibus etiam planam S. Thomæ q. 14. art. 13. intelligentiam habere licet dum ait: *Omnia quæ sunt in Tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione qua habet rationes rerum apud se præsentes, vt quidam dicunt; sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Sensus enim perspicuus est, intellectum Diuinum videre res omnes futuras sibi præsentes, non solum quia habet ideas rerum omnium, sed etiam quia omnes & singulæ durationes in eadem æternitate eminentissimè & vnitissimè continentur, subindeque in ea resplendent res, prout vnaquæque earum est actu in seipsa & in propria duratione; cum æternitas habeat

multiplices veluti sinus æquiualentes, & correspondentes quibuslibet durationibus: Vnde tam præsentes videt Deus res futuras, ac si res futuræ essent præsentes & productæ in propria duratione. Vnde alibi millies docet & repetit sanctus Doctor, ideo Deum futura scientiâ visionis intelligere, quia ea videt in sua æternitate, infra q. 57. art. 3. *Deus videt omnia in sua æternitate, quæ cum sit simplex toti tempori adest, & ipsum concludit: & ideo vnus Dei intuitus fertur in omnia quæ aguntur per totum tempus sicut in præsentia.* Et idem inculcat aliis sexcentis locis, indigitans medium in quo Deus cognoscit durationes creatas esse æternitatem.

Hinc etiam vides, quomodo recte vbique probet Angelicus doctor Deum cognoscere futura, & non petere principium, sicut peteret, si explicaretur de sola præsentia obiectiua, vt volunt moderni quidam, nam sic formatur eius discursus & simul tota hæc materia illustratur: Creaturæ omnes quæ in variis temporum differentiis sibi succedunt, sunt eminentissimè, & vniformiter inclusæ in Diuina æternitate, & in eâ relucent secundum varios sinus quos habet, ratione quorum indiuisibilis manens æquialet omnium temporum successioni: ergo Diuina scientia intuitiuè fertur ad omnia futura tanquam in sibi subjecta præsentialiter. Ad cuius discursus efficaciam sicut non sufficit præsentia objectiua futurorum (alias idem per idem probaretur) ita non requiritur quod res existant vel producantur in mensura superiori antequam fiant (vt quidam non satis aduertenter scripserunt) sed exigitur & sufficit, vt omnium temporum durationes in æternitate

virtualiter incluſæ, & ſupereminenter veluti inuolutæ, formaliter, actu, & præſentialiter ab æternitate, vt æternitas eſt, diuino conſpectui repræſententur.

Denique idipſum penetrantiùs percipiemus, ſi conſideremus perfectiones diuinas, illas præſertim quæ extrinſecum objectum vel terminum reſpiciunt, habere duplicem veluti latitudinem intenſiuam ſcilicet, & extenſiuam; intenſiua attenditur penes infinitum gradum excellentiæ, quem habent; extenſiua vero penes ordinem ad creaturas, quas ſecundario reſpiciunt. v.g. intenſiua latitudo ſcientiæ diuinæ conſiſtit in lumine infinito, omnia in vnica eſſentia Diuina penetrante; extenſiua vero in hoc poſita eſt, vt omnia poſſibilia ita diſtinctè & dearticulatè intueatur, ac ſi haberet infinitas cognitiones ad ſingulas quaſque creaturas terminatas.

Ita in propoſito noſtro: Æternitas habet & latitudinem intenſiuam, quatenus eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. Vnde dicitur Pſalm. 89. *A ſæculo & vſque in ſæculum tu es.* Vbi, vt ponderat Auguſtinus, *optime non ait, à ſæculo tu feciſti, & vſque in ſæculum tu eris; ſed præſentis ſignificationis verbum poſuit, inſinuans Dei ſubſtantiam omni modo incommutabilem, vbi non eſt fuit, & erit, ſed tantummodo eſt, vnde dictum eſt: ego ſum qui ſum.* Habet etiam æternitas latitudinem extenſiuam; quatenus vnica manens æquiualet & ſupereminet omnibus temporis continui & diſcreti, realis & imaginarij differentiis, tanquam exemplar & cauſa omnium durationum. Ergo ſicut in eſſentia diuina continentur & ſplendent

omnes possibiles cognitiones ; in bonitate creabiles bonitates ; in veritate essentiali veritates participatæ; in causa prima causæ secundæ : ita in æternitate omnes durationes possibiles, & in æternitate per decretum determinata omnes durationes præteritæ,præsentes,& futuræ,quantumuis sibi succedentes; sicut in mappa mundi vnitim describuntur, & simul exhibentur prouinciæ à se dissitæ, & fluuiorum labentium cursus, & sicut mappa illa stat & præsens est, ita à fortiori, *anni tui* (inquit sæpe laudatus Augustinus) *nec eunt nec veniunt : isti nostri & eunt, & veniunt, vt omnes veniant : anni tui omnes simul stant, quoniam stant, nec euntes à venientibus excluduntur, quia non transeunt : isti autem nostri omnes erunt, cum omnes non erunt: anni tui dies vnus, & dies tuus non quotidie, sed hodie.*

Reflexio.

Sicut omnia æternitati præsentia sunt, sic menti nostræ semper debet æternitas obuersari, vt animus noster æternitatis candidatus ad æterna semper inhians & suspirans, illud propheticum imitetur exemplum *annos æternos in mente habui.* Sic facilè contemnet rapidum torrens transvolantium momentorum, quæ vt ait Aug. in Psal.38. *ante absunt penè quam veniant, & cum venerint, stare non possunt, jungunt se, sequuntur se, & non se tenent.* Sic etiam requie imperturbabili fruemur,quia vt ait Gregor.l.10. in Iob, *quisquis in solo æternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur,nec aduersitate quassatur; dum nihil habet in mundo quod appetat, nihil est*

quod de mundo pertimescat. Sit ergo illud vitæ nostræ lemma, *pingo æternitati*; vel istud: *non est mortale quod opto.* Sed præcipuè fugiamus peccata, quæ licet per pœnitentiam deleantur, semper tamen æternitati præsentia erunt, nam vt eleganter ait Bern. l. 5. de consid. c. 12. *Transierunt & non transierunt; transierunt à manu, sed non à mente; quod factum est, factum non esse non potest: proinde etsi facere in tempore fuit, sed fecisse in sempiternum manet: non transibit cum tempore, quod tempora transiit.*

DISSERTATIO V.

De inuisibilitate, incomprehensibilitate, & ineffabilitate Diuinæ perfectionis.

AD cognoscendam Diuinam perfectionem non parùm juuat scire, quomodo Deus à nobis & à beatis cognoscatur, quoue pacto nominetur; eò enim major est, quò intellectus captum exsuperat, & sermonis nostri angustias excedit.

CAPVT I.

De inuisibilitate Dei, & simul de visione ipsius.

DEi inuisibilitas cor nostrum affligeret, nisi solaretur ipsum spes beatæ visionis, ideo vtramque conjungimus.

SPECVLATIO I.

Deus est naturaliter inuisibilis; ita vt nullus intellectus creatus vel creabilis Deum vt in se est clare & intuitiue videre viribus naturalibus possit: vnde repugnat substantia supernaturalis, cui connaturale sit videre Deum.

HAnc veritatem, quam definit Concilium Viennense sub Clemente 5. docet aperte scriptura Isa. 64. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.* ad Rom. 6. *gratia Dei vita æterna.* Matth. 11. *Nemo nouit filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius? & cui voluerit Filius reuelare.* 1. Timot. 1. *Regi sæculorum immortali, inuisibili.*

Probatur

Probatur ratione S. Thomæ : vt aliquid cognoscatur, debet esse proportio & commensuratio inter obiectum cognitum & facultatem cognoscentem: atqui inter Deum clare visum, & intellectum creatum nō datur proportio & commensuratio; ergo. maior constat, nulla enim facultas naturaliter fertur nisi ad obiectum sibi proportionatum. Minor vero probatur : talis est proportio inter obiectum & potentiam cognoscentem, vt cognitum sit in cognoscente ad modum ipsius cognoscentis : sed Deus cognitus ab intellectu creato ad modum intellectus creati non est clare & quidditatiue cognitus, vt patet : ergo Deus clare cognitus excedit proportionem intellectus creati. Probatur maior : tum ratione generali, quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur, tum inductione communi omnium facultatum cognoscitiuarum.

Facultates sensitiuæ, quæ sunt in infimo gradu cognoscentium, quia sunt addictæ organo corporeo, habent pro obiecto ens sensibile corporeum. Anima rationalis, licet sit spiritualis, & ideo possit considerare res vniuersales, tamen quia pro hoc statu res non intelligit sine conuersione ad phantasmata & dependenter à corpore & imaginatione, habet etiam pro obiecto connaturali ens materiæ conjunctum spiritali modo attactum, vt explicatur in lib. de anima. Angeli, quia sunt spiritus omnis materiæ expertes, ideo habent pro obiecto connaturali propriam substantiam, quæ est merè spiritalis; sed quia non sunt actus puri, sed entia potentialia, finita, & composita, non valent connaturaliter cognoscere vt in se est ens qui sit actus purus, qui proinde videri solū potest ab intellectu

infinito qualis est diuinus, qui habet connaturalem proportionem cum sua essentia.

Confirmatur, & breuiter totum hoc elucidatur: vis cognoscitiua correspondet perfectioni entitatiuæ, operari enim sequitur esse, & ideo videmus, quod eò perfectior est modus cognoscendi, quò excellentior est natura, & infra etiam ostendemus quod immaterialitas & puritas perfectionis est radix intellectualitatis: atqui nullum ens creatum vel creabile potest pertingere ad immaterialitatem & perfectionem diuini esse: ergo nulla creatura potest Deum naturaliter intelligere, cum tanta nec minor debeat esse virtus intellectiua, quanta est intelligibilitas objecti cogniti.

Atque ex his collariè deducitur & probatur secunda pars contra Molinam: si enim potentia cognoscitiua debet esse eiusdem immaterialitatis & perfectionis cum suo objecto connaturali & proportionato, quod semper attingit ad modum propriæ substantiæ, manifeste sequitur repugnare substantiam supernaturalem, cui connaturalis sit gratia, lumen gloriæ, & visio beata; cum nulla creatura produci possit, quæ sit eiusdem puritatis & immaterialitatis cum Deo, quæve Deum videat vt in se est, si illum videat ad modum propriæ substantiæ. Vnde D. Thom. optimè ait hic a. 5. *Dispositio ad formam ignis non potest esse naturalis nisi habenti formam ignis; vnde lumen gloriæ non potest esse naturale creaturæ, nisi creatura esset naturæ diuinæ, quod est impossibile.*

Probatur insuper repugnantia substantiæ supernaturalis, tum à priori, tum à posteriori: à priori quidem, quia quidquid sit illud in quo supernaturalitas consistit, in quo variant authores: hoc

tamen est in confesso apud omnes, quod ens supernaturale est communicatio & consortium naturæ diuinæ, quo disponimur ad operandum modo diuino, & in eo ordine per gratiam collocamur, quo ens increatum creaturas suas excedit: sed implicat quod aliqua creatura sit radix & principium connaturale illius, quod est participatio naturæ superioris in eo in quo superior est, qualis est gratia, lumen gloriæ, & omnes formæ supernaturales, quæ euehunt ad consortium naturæ diuinæ, vt diuina est, & vt excedit omne ens creatum: ergo omnino repugnat substantia supernaturalis, quæ sit principium connaturale operationum supernaturalium, sicut repugnat animam rationalem posse esse principium connaturale intellectionis superioris, puta Angelicæ.

A posteriori etiã idem conuincitur: hæc enim substantia supernaturalis, si daretur, non nutu, & misericordia Dei ad supernaturalia vocaretur; non gratis & ex indulgentia donis esset opima cælestibus, sed ex suæ conditione naturæ esset impeccabilis, illi enim magis quam charitati peccatum repugnaret; posset efficere gratiam æquè facilè ac ignis calorem, cognosceret naturaliter futura, cogitationes cordium, neque enim minus exigeret lumen propheticum, quam glorioſum; quid ergo ei deesset, vt Deus esset? cum scriptum sit Isay. 42. *annunciate quæ ventura sunt, & sciemus quia Dij estis.*

Objicies: Non est maior ratio cur Dei sapientia, aut amor, cæterarumque diuinarum perfectionum ornatus virtutibus infusis participentur, quam substantia per supernaturalem substantiam: sed primum de facto fit: ergo se-

cundum fieri potest.

Respondeo quod sicut attributa diuina virtutibus supernaturalibus exprimuntur, sic etiam natura diuina per gratiam veluti exscribitur, est enim gratia participatio naturæ diuinæ, vt in se est, & sicut attributa Dei licet subsistentia sint, non participantur nisi per accidentia, ita nec substantia Dei exprimi queit, nisi per qualitatem supernaturalem.

Dices: Omne accidens petit inhærere alicui substantiæ tamquam subjecto connaturali: sed Deus non potest esse subjectum accidentium supernaturalium: ergo debet posse dari aliqua substantia, cui accidentia supernaturalia connaturalia sint, & ex qua naturaliter fluant, veluti proprietates.

Respondeo accidentia, quæ sunt deriuationes naturæ superioris & eleuationes naturæ inferioris, non exigere subjectum connaturale, cum sint essentialiter supra naturalem exigentiam: cuius rei habemus exemplum in ipsa natura; nam virtus, quam cœlum imprimit mari ad motum fluxus & refluxus, non potest recipi in cœlo, sed in mari; non tamen potest connaturaliter oriri ex mari, sed à cœlo: Illuminatio Angeli superioris in inferiorem non potest recipi in superiori, à quo procedit, nec procedere ab inferiori, in quo recipitur; quanto ergo minus gratia & lumen gloriæ originari & procedere poterunt à creatura, licet in eius potentia obedientiali necessario recipi debeant, non in Deo, à quo effluunt?

Vrgebis: Potest Deus producere intellectum creatum, qui habeat naturaliter tantas vires ad videndum Deum, quantas habet intellectus lu-

mine gloriæ perfusus ; nam intellectus glorioso lumine illustratus est aliquid finitum ; quocumque autem effectu finito potest Deus perfectiorem producere : sed ille intellectus connaturaliter Deum videret : Ergo.

Respondeo intellectum creatum lumine gloriæ præditum esse quidem finitum, sed ad ordinem superiorem & supernatulem eleuatum : vnde nullus intellectus creatus ordinis naturalis quamlibet perfectus potest ad eius perfectionem attingere : quia nulla res inferioris ordinis, quantumuis licet perfecta, nusquam gradum superioris consequitur ; sicut nulla res materialis potest Angeli perfectionem nedum excedere, sed nec assequi, vel exequære. Objectiones contra 1. partem soluentur specul. sequenti.

Reflexio.

Sapientissime monet Ecclesiasticus 3. c. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus, non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre.* Indignandum sanè & indolescendum est, homines insano atque inepto labore vltra conditionis suæ terminos euagantes audaci cupiditate Diuina transcendere, cum tamen adeo absit ab exploratione Diuina humana mediocritas, nec scire sit datum, nec scrutari permissum.

Begardos & Beguinas Deum propriis viribus videre præsumentes imitantur nimij scrutatores maiestatis opprimendi à gloria. Objectum proportionatum cuiusque intellectus est quidditas propria : eligat ergo vnusquisque solidè subsi-

stere in se, *ne rapiatur inaniter super se*, vt loquitur Gregor. homil. 7. in Euang. quia curiositas, ait Bern. *Periculosa præsumptio est, & damnosa peritia ad hæresim prouocat; in causis obscuris audaces reddit, in rebus ignotis facit homines præcipites.* Et August. l. de modo bene viu. cap. 54. *Curiosi esse prohibemur, quod magnum temperantiæ munus est.* Reprimat igitur se anima à vanæ cognitionis cupiditate, si se castam Deo seruare disposuit. Dæmon quærens aptos suo magisterio discipulos seligit quos curiositatis vitio præ aliis cernit infectos. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, vbi quemque viderit curiosius occupari. Sistamus igitur in objecto proportionato intellectus nostri, scilicet in vilitate propria: & hinc humiliter consurgamus ad Deum.

SPECVLATIO II.

Intellectus creatus supernaturaliter adjutus Deum, vt in se est, videre potest.

HÆc propositio definita est in Concilio Flor. in litt. S. vnion. dicente, *Animas Sanctorum intueri clare ipsum Deum Trinum & vnum sicuti est.* Idem determinauit Benedict. 12. in extrauag. benedictus Deus, & aperte tradit Scriptura 1. Ioan. 3. *videbimus eum sicuti est.* 1. Cor. 13. *videmus nunc per speculum in anigmate, tunc au-*

tem facie ad faciem. Ioan. 3. *Qui diligit me, diligetur à patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo meipsum ipsi.* Subscribunt SS. Patres huic veritati, in qua tota sita est ratio spei nostræ.

Nec obstat quod aliquando in scripturis Deus dicatur inuisibilis, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, atque inhabitare lucem inaccessibilem, hoc enim intelligitur vel respectu oculi corporei; vel per ordinem ad vires naturales ad Dei visionem ex propriis inualidas; vel de visione comprehensiua, quomodo explicat D. Thom. S. Chrysostomum similiter locutum, quem immerito erroris incusat Vasques, vt excuset Anomæos hæreticos, quos ait, incredibile fuisse tam stolidos, vt asseruerint homines posse naturaliter comprehendere Deum, quasi non æquè desipuerint Manichæus aut Montanus, cum se Spiritum sanctum vterque dixit.

Maxime cum id expresse referant, tum Theodoretus lib. 4. hæreric. fabu c. 3. dicens. *Eunominus ausus est dicere, se nihil ex rebus diuinis ignorare, sed ipsam etiam Dei essentiam exactè nosse, eandemque notitiam de Deo habere, quam Deus ipse habet de seipso; ad quem furorem ab illo etiam perducti fuerunt, qui eius pestem hauserunt: audent quippe si aperte profiteri, se ita Deum nosse, vt ipse seipsum.* Tum S. Hieron. in cap. 11. Matth. *Erubescat Eunomius, tantam sibi notitiam Patris & Filij, quantam alterutrer inter se habeant, iactitans.* Idem refert Socrates, de quo vide Baron. anno 366. Vnde Anomæos passim stolidos & amentes vocat Chrysost. qui plus satis se ab imposita calumnia vindicat, quam vt nostro egeat patrocinio: ait enim multis locis epist. 5. ad Theodoret. tom. 3. in epist. ad Philipp. &

hom. 69. ad popul. Beatos, *Regem ipsum Deum intueri, non per introitum, non per enigma, non per speculum, sed facie ad faciem.* Et expendens illud, *quando veniam & apparebo ante faciem Dei? vide*, inquit, *ardentem hominem, vide inflammatum, sciens enim se, cum hinc recesserit, Deum esse visurum, nec expectat, quidem dilationem.* Quare facile poterat & sane debebat Vasques sibi à carpendorum Patrum pruritu temperare, & illius præsertim honori consulere, quem Anastasius *Christi fluuium*; Theodoretus, *magnum orbis lumen*; Isidorus Pelus. *Ecclesiarum omnium oculum*; Innocentius 1. *Virum Diuinum, cuius iactura orbis sub cœlo totus ad orbitatem redactus est.*

Dices: Dicitur de Angelis beatis. 2. Petr. 1. in quem desiderant Angeli prospicere: at si viderent Deum, non desiderarent ipsum videre: ergo non vident.

Respondeo ex D. Gregorio lib. 18. Mar. cap. 18. Quod cum Christus dixerit, Angeli eorum semper vident faciem patris mei, procul dubio veritati non contradicit prædicator veritatis, sed vtrumque concordatur; neque enim ita desiderant, vt non intueantur, quia desiderium sine fructu anxietatem habet; sed quia satietas solet fastidium generare, vt indicetur in Angelis non esse fastidium, semper desiderare dicuntur. *Et desiderant*, inquit, *sine labore, quia desiderium satietas comitatur; & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.* Optimè subjungit Gregor. *Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus, erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas; sed longe aberit ab hac siti necessi-*

tus, longe à satietate fastidium, quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus. Non sic sane bona temporalia plena sollicitudinis & fastidij, quæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur: vnde numquam mentis inopiam expellunt, sed indigentiam nutriunt, & famem sitimque sicuti hydropicis ebibita aqua vehementius accendunt. Hoc distare inter delicias corporis & cordis solet, ait idem Gregor. hom. 36. in Euang. quod corporales delitiæ cum non habentur, graue in se desiderium accendunt, cum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt: at è contra spiritales delitiæ cum non habentur in fastidio sunt, cum vero habentur in desiderio, tantóque à comedente ampliùs esuriuntur, quantò & ab esuriente ampliùs comeduntur. Suspiremus ergo ad illam beatam visionem, quæ mirâ satietatis & desiderij temperaturâ & necessitatem excludet, & fastidium remouebit.

Probatur duplici ratione D. Thom. prima sic proponitur: vnaquæque natura potest suam beatitudinem & vltimam perfectionem obtinere, à qua iusta & rebus omnibus insita expectatione depelli non debet homo, ne sit deterioris conditionis rebus sibi inferioribus, quibus sua quæque beatitudo designata est: atqui beatitudo hominis in visione Dei posita est, cum sit hominis altissima operatio, qua possidetur summum bonum, saltem ad beatitudinem requiritur talis visio, vt abstrahamus ab illa quæstione, in qua consistit formalis beatitudo: ergo possibilis est talis visio.

Illustratur hæc ratio doctrinâ illâ, quam

toties inculcat Augnst. desumpta ex dignitate imaginis creaturis rationabilibus insculptæ: licet imago mortua vel artificialis non desideret conjungi exemplari, à quo nequit perfici; imago tamen intellectualis & immortalis sicut ad sui prototypi conspectum indesinenter anhelat, ita beata esse non potest, nisi illi per fruitionem & visionem conjungatur; & inde explicat Augustst. Serm. 14. de ver. Apost. c. 6. pœnam damni, quia imago rationalis non potest in æternum à prototypo exulare absque grandi pæna. Nam exulibus, *non esse in patria*, inquit, *si amatur patria, magna pœna; si autem non amatur patria, peior est cordis pœna.* Et rursum lib. 5. contr. Iul. cap. 5. *Natos ex Adam, transferri renatos oportet ad Christum, ne à regno pereant imagines Dei, quod sine malo fieri qui dicit, nec amorem habet, nec timorem Dei.* Quæ quidem inclinatio Deo fruendi ita indivulsa adhæret imagini Dei, vt dicat Bernard. Serm. 1. de annunc. *Imago in gehenna ipsa vri poterit, non exuri; ardere, sed non deleri.* Denique D. Tho. 3. p. q. 9. a. 2. ad 3. Huic rationi suffragatur dicens: *Scientia beata est quodammodo supra naturam animæ rationalis, in quantum propria virtute ad eam peruenire non potest; alio modo est secundum naturam ipsius, in quantum scilicet secundum naturam suam est capax eius, prout scilicet est ad imaginem Dei facta, vt supra dictum est*, nimirum in corpore articuli, vbi sic apertissimè loquitur: *Homo est in potentia ad scientiam beatorum, quæ in Dei visione consistit, & ad eam ordinatur sicut ad finem: est enim creatura rationalis capax illius beatæ cognitionis, in quantum est ad imaginem Dei.*

Secunda ratio S. Thom. sic formatur: Inest

homini naturale desiderium videndi Deum, qui est prima rerum omnium causa ; sicut inest ei appetitus videndi causam, dum intuetur effectum, vnde admiratio in hominibus consurgit ; sed illud desiderium non debet remanere inane, sed summè conueniens est vt expleatur, desiderium enim à natura inditum non fertur ad aliquid impossibile, & vt ait August. lib.4.cont. Iul.c.3. *Naturali instinctu beati esse non vellemus, nisi esse possemus:* Ergo Deum videre possibile est.

Confirmatur & illustratur hæc ratio ex doctrina Patrum : homo qui est creatura intellectualis sicut habet quamdam plenitudinem essendi, hoc ipso quod est compendium vniuersi, & omnis creatura, vt loquitur D.Greg.hom.20. in Euang. quia aliquid omnis creaturæ habet homo, esse cum lapidibus, viuere cum aboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis : ita gaudet quadam vniuersalitate, amplitudine, & capacitate, qua potest non solum cognnscere omne ens, sed etiam appetere summum bonum ; quæ sane capacitas & latitudo creaturæ rationalis expleri nequit aut satiari, nisi videndo Deum, iuxta illud, *satiabor cum apparuerit gloria tua*, & illud August. lib. 1. conf.c.1. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Illud etiam D.Thom.l.3. cont.gent. c.50. *Nihil finitum, desiderium intellectus quietare potest ; non igitur intellectus quiescit per hoc quod cognoscit substantias creatas quantumcumque eminentes, sed adhuc naturali desiderio tendit ad intelligendum substantiam, quæ est altitudinis infinitæ.* Quorum omnium radix est : quia quælibet res connaturaliter appetit sufficientiam, quam in solo summo

bono inuenit profunditas cordis nostri. Vnde Hugo à S. Victor. lib. 6. de Sacr. Par. 6. cap. 6. *Magna dignitas humanæ conditionis, quod talis facta est, vt nullum ei bonum præter summum sufficit.* & D. Gregor. lib. 26. mor. cap. 28. *Humana anima ab vnaquaque re cui intenditur fastidio repellente remouetur, & qualibet posita non requiescit: ad illum quippe suspensa est à quo formata, & quia ad Deum solum appetendum facta est, iure ei non sufficit, quod Deus non est.*

OBIECTIONVM SOLVTIO.

Sed inquies: Appetitus naturalis non potest ferri in obiectum supernaturale, qualis est visio beata, quæ non potest cognosci sine fide: quomodo ergo ad Dei visionem omnibus naturæ terminis sublimiorem potest se porrigere naturæ appetitus? cum natura non largiatur inclinationem ad illud, ad quod tota natura perducere nequit.

Respondeo Deum esse quidem extra obiectum proportionatum intellectus creati, sicut excellens sensibile putà sol in sua rota est extra proportionem potentiæ visiuæ, non tamen esse extra obiectum adæquatum & extensiuum quod est ens vt sic, & omne verum analogicè commune Deo & creaturis. *Diuina substantia*, ait S. Thom. lib. 3. cont. gent. c. 54. *Non sic est extra facultatem intellectus creati quasi aliquid omnino extraneum ab ipso, sicut est sonus à visu, vel substantia immaterialis à sensu; nam ipsa diuina substantia est primum intelligibile, & totius intellectualis cognitionis principium; sed est extra facultatem intellectus creati, sicut excedens virtutem*

eius, sicut excellentia sensibilia sunt extra facultatem sensuum,

Ad cuius maiorem lucem aduertendum est, in intellectu nostro tres veluti gradus posse distingui. Primus est specificus, quatenus est humanus & rationalis, intelligens cum discursu dependenter ab imaginatione, phantasia, sensibus, & corpore. Secundus est genericus, prout nimirum est intellectus creatus, subindeque alicuius obiecti creati limitibus septus, in quo conuenit cum Angelis. Tertius, prout est intellectus analogicè conueniens cum diuino. Itaque Deus clare visus non continetur intra obiectum intellectus nostri secundum primum & secundum gradum spectati, sic enim obiectum eius est quidditas materialis spiritaliter attacta, vel ens creatum; sed tertio modo consideratus intellectus noster potest ferri ad omne ens siue naturale, siue supernaturale, siue creatum, siue increatum: nam intellectus noster sublimatur ad diuinam visionem non vt humanus, sed vt intellectus & imago Dei, de quo sub ea ratione spectato verificatur præclarum illud August. dictum, *Nihil est maius mente humana, nisi Deus.*

Ex his dilucide soluitur obiectio. Neque enim est inconueniens in intellectu nostro tertio modo considerato admittere naturalem propensionem ad videndum Deum. Nec obest quod natura non det vires ad illud obiectum obtinendum, quas solum confert quando illa inclinatio conuenit rei secundum gradum specificum. Sicut talpa (exemplum est Arist. l. 5. metaph. c. 22.) secundum gradum genericum animalis habet inclinationem ad videndum, nec tamen ei na-

tura largita est instrumenta visui opportuna: *Ita similiter, quamuis homo* (verba sunt S. Thom. opusc. 70. obseruatu dignissima) *naturaliter inclinetur in finem vltimum, non tamen potest naturaliter ipsum consequi, sed solum per gratiam propter eminentiam illius finis.*

Et quamuis sine fide explicitè non cognoscatur possibilitas visionis, hoc non vetat, quin intellectus in ipsam implicitè feratur, quatenus appetit summum bonum in quocumque sit positum, & qualibuscumque tandem viribus acquirendum; sic materia prima animam rationalem appetit sub ratione formæ licet eam solus Deus creare possit, sic ipsa anima corporis reunionem omnes licet naturæ vires excedentem sub ratione proprij boni concupiscit: Nec vniuersaliter verum est actum vel appetitum non posse ferri in obiectum supernaturale: Nam hæreticus actu fidei humanæ fertur in mysteria reuelata v.g. in visionem Dei, quam etiam actu naturali appetit; & naturaliter cognoscimus Deum esse ens supra omnem naturam.

Dices: Si finis & beatitudo hominis sita sit in Deo clarè viso, homo erit deterioris conditionis, quam sint aliæ res naturales, quæ viribus propriis suam beatitudinem assequuntur; homo autem non potest naturaliter consequi illam visionem.

Respondeo satis communem solutionem esse, hominis duplicem esse beatitudinem, aliam naturalem, aliam supernaturalem. Prima in excellenti diuinorum notitia tum ex creaturis, tum ex Dei illustrationibus parta, sita esset. Et eam Deus daret, si homo non esset eleuatus ad ordinem supernaturalem, careretque peccato.

Secunda vero in visione posita est, & si non daretur, homo non esset deterioris conditionis, quia posset habere naturalem. Cæterum hac distinctione (de qua modo non differo) nullibi D. Thom. vtitur ad hanc difficultatem soluendam: & S. Doctor. 1. 2. quæst. 5. art. 5. ad 2. eandem sibi proponens difficultatem, longe aliter satisfacit his præclarissimis verbis: *Nobilioris conditionis est natura, quæ potest consequi perfectum bonum, licet indigeat exteriori auxilio ad hoc consequendum, quam natura quæ non potest consequi perfectum bonum, sed consequitur quoddam bonum imperfectum, licet ad consecutionem eius non indigeat exteriori auxilio; sicut est melius dispositus ad sanitatem, qui potest consequi perfectam sanitatem, licet hoc sit per auxilium medicinæ, quam qui potest consequi quamdam imperfectam sanitatem sine medicinæ auxilio, & ideo creatura rationalis quæ potest consequi perfectum beatitudinis bonum, indigens ad hoc diuino auxilio, est perfectior, quam creatura irrationalis, quæ huiusmodi boni non est capax, sed quoddam bonum imperfectum consequitur virtute suæ naturæ.*

Insistes: Ergo natura deficiet homini in necessariis, quid enim tam necessarium est, quam beatitudinem suam comparare?

Respondeo S. Thomam has omnes difficultates præoccupasse, ait enim ibidem ad 1. *Sicut natura non deficit homini in necessariis, quamuis non dederit arma & tegumenta sicut aliis animalibus, quia dedit ei rationem & manus, quibus possit hæc sibi acquirere; ita nec deficit homini in necessariis, quamuis non daret ipsi aliquod principium, quo posset beatitudinem consequi, hoc enim erat impossibile: sed dedit ei liberum arbitrium,*

quo possit conuerti ad Deum, qui eum faceret beatum; qua enim per amicos possumus, per nos aliqualiter possumus, vt dicitur in 3. Ethico.

Hæc dicta sunt in defensionem rationum D. Thom. qui perpetuus est in hac doctrina, cujus etiam fidem facit inquietudo humani animi nullibi infra Deum requiescenris, quantocumque potiatur bono in rebus creatis. Et mirum est nonnullos etiam Thomistas ab hac fundatissima doctrina, quam ex August. desumpsit Angelicus Præceptor noster, tam facile recedere, vt adhæreant in hac parte Molinæ qui in 1. p. q. 12. disp. 1. in prin. vltro fatetur nostram & veterum Thomistarum explicationem (de qua legendus omnino est Dominicus Soto in 4. d. 42. art. 1. & 2. & lib. 1. de nat. & grat. cap. 4.) esse communiorem. Sic enim ait. *Communior scholasticorum sententia asserit esse in nobis appetitum naturalem ad beatitudinem in particulari, atque ea de causa illam dicendam esse finem nostrum naturalem, non quoad assecutionem & simpliciter, ea enim ratione omnes fatentur dicendam esse finem supernaturalem, sed quoad appetitum, atque potentiam passiuam.* Sed de his amplius, dum de gratia.

Objicies iterum: Deus est objectum infinitum: ergo non potest clare videri ab intellectu finito, finiti enim ad infinitum nulla est proportio, præsertim quia vt ex dictis patet, tanta debet esse virtus intellectiua & in eodem gradu immaterialitatis, quanta est intelligibilitas & perfectio objecti. Sed nulla vis intellectiua creata potest adæquare intelligibilitatem & perfectionem Dei: ergo nec ipsum videre.

Respondeo quod licet Deus sit objectum in-

finitum, potest tamen vniri intellectui in ratione obiecti & speciei intelligibilis, vt postea dicemus; qua diuina specie fœcundatus intellectus creatus, & aliunde lumine gloriæ roboratus videre potest obiectum illud infinitum, finito tamen modo. Et quamuis inter intellectum creatum & essentiam Dei non sit proportio æqualitatis, est tamen proportio habitudinis, vt loquitur D. Thom. art. 1. ad 4. id est, datur in homine capacitas fruendi Deo, quæ non arguit infinitam perfectionem creaturæ rationalis, sed veluti infinitam vacuitatem & indigentiam, vt scitè obseruauit D. Bonauent. in 4. d. 49. art. 1. q. 2. dicens, *duo sunt quæ faciunt appetitum, scilicet conuenientia & indigentia.* Quod vero nulla vis intellectiua creata diuinam intelligibilitatem adæquare queat, probat solum Deum non posse à beato comprehendi, cum quo stat, posse clare videri.

Sequitur ex his, impossibile esse oculum corporeum, vel potentiam sensitiuam eleuari ad videndum clare Deum.

Probatur: Deus clare visus est omnino extra obiectum non solum proportionatum, sed etiam adæquatum potentiæ visiuæ vel sensitiuæ, quod est ens materiale, vel corporeum: sed nulla potentia potest ferri extra obiectum adæquatum, sicut auditiua facultas non potest ferri ad colores, nec visiua ad sonos: ergo potentia materialis, & addicta organo corporeo non potest clare intueri Deum, qui est purissimus spiritus. Præcipuè quia non est illa amplitudo & capacitas, quæ in intellectu reperitur, quæ respicit ens vt sic, quæ est veluti ansa, quâ ad Dei visionem eleuabilis est.

Dices: Ignis inferni agit in Angelos & in animas rationales, quæ sunt entia spiritualia, subindeque extra sphæram potentiæ corporeæ, quidni ergo poterit potentia visiua ferri in Deum quantumuis licet spiritualem?

Respondeo non esse simile, quia ignis agit vt purum instrumentum, quod vtique potest ferri extra objectum adæquatum, modo illud in quod agit contineatur intra objectum principalis agentis, in cuius virtute operatur: potentia autem videns Deum, vtpote vitalis, debet agere vt causa principalis, & mouens se ad operationem à principio intrinseco. Verum quidem est omnem causam principalem moueri à Deo; sed ad hoc mouetur, vt ipsa se moueat, non vero vt agat præcisè vt mota, quod est proprium instrumenti inanimis: Nihil autem potest se mouere & principaliter agere extra suum objectum, quia agere principaliter est agere per virtutem propriam & intrinsecam; virtus autem agentis præcipui ferri nequit extra objectum suum, quia non est virtus nisi per ordinem ad objectum suum. Alia quæ possent objici facilia sunt, vide D. Thom. hic art. 3. ad argum.

Reflexio.

Nullus est qui Deum, in quo est omne bonum, tacite non concupiscat, cum ipsi peccatores in ipso crimine, quo beatitudinem perdunt, felicitatem quæ in solo Deo est, inquirunt, vt fuse discurrit Augustin. in Psalm. 115. conc. 1. de singulis peccatoribus, quos omnes sic neruosè & iuxta feruidè alloquitur: *Quo itis? peritis: & nescitis; non illuc itur, quà pergitis, quò*

peruenire desideratis: nam vtique beati esse cupitis, sed misera sunt, & ad maiorem miseriam ducunt itinera ista quæ curritis. Tam magnum bonum quærere per mala nolite. Si ad illud peruenire vultis, huc venite, hàc ite, viæ peruersæ relinquite malignitatem, qui non potestis relinquere beatitudinis voluntatem; frustra tendendo fatigamini, quò perueniendo inquinamini: non enim beati inquinati in errore, qui ambulant in peruersitate sæculi; sed beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Nec minus eleganter lib. 4. confess. cap. 12. *Quò itis in aspera? Quo itis? quærite quod quæritis, sed ibi non est vbi quæritis: beatam vitam quæritis in regione mortis; non est illic. Quomodo enim beata vita, vbi nec vita?* Quid præclarius?

SPECVLATIO III.

Licet status huius mortalis vitæ non sit aptus ad videndum Deum *per essentiam, absolutè tamen illi non repugnat; imo D. Paulo & Moysi id concessum fuit.*

PRima pars probatur ex art. 11. D. Thom. quia connaturalis modus animæ nostræ pro hoc statu est cognoscere res dependenter à sensibus, & ad modum rerum corporeatum, qui sane modus non est idoneus ad intuendum supremum omnium intelligibilium, quod est es-

sentia Dei. Quare vt docet idem S. Doctor. art. 12. in hac vita possumus dumtaxat ad Dei notitiam ex creaturis manuduci, non cognoscendo quid sit Deus, sed ab ipso remouendo quoscumque defectus, & ei omnes quas possumus excellentias asserendo.

Obseruat tamen idem Sanctus, quod perfectior de Deo habetur cognitio, beneficio luminis Diuini infusi, quam per rationem naturalem, tum quia hæc confortatur per accessum luminis gratuiti, tum quia ex reuelatione diuina multa detegimus ad quæ ratio naturalis non pertingit, ex quo obiter vides quantum ad penetrandas res diuinas, studia nostra multum iuuet oratio, qua pater luminum, à quo omne donum desursum est, imploratur.

Secunda pars explicabitur in tract. de Incarn. vbi apparebit quomodo Christus dominus sensibus corporeis vtens, vitamque mortalem degens continuò diuina fruebatur essentia, viator simul & comprehensor: Igitur planum est non esse impossibile Deum clarè ab homine in hac vita mortali videri.

Tertia pars est controuersa inter ipsos Patres: Nam D. Cyrillus lib. 1. in Ioann. c. 22. Hieronymus super c. 6. Isay. Chrysostom. homil. 14. in Ioan. Gregor. tum magnus, lib. 18. mor. c. 37. & 38. tum Nazian. lib. 2. Theolog. & Euaristus Papa in Epist. decretali negant hoc priuilegium videndi Deum per essentiam concessum fuisse Moysi & Paulo: sed salua reuerentia tot & tantis Patribus debita, maximè perstandum nobis est in sententia D. Augustin. qui multis in locis lib. 12. super gen. ad litt. cap. 28. & epist. 127. ad Paul. perspicuè docet hanc prærogatiuam Moysi

& Paulo concessam : cuius solius authoritas par pondus habuit apud D. Thomam fidelissimum & constantissimum Augustini sectatorem, qui eam diserte docet vbique, hic art. 12. ad 2. & 22. q. 174. art. 4. & q. 175. art. 9.

Probatur : ea quæ ex Dei voluntate pendent non aliter possunt nobis innotescere, quam ex sacris scripturis quibus voluntas diuina aperta est : At scripturæ tradunt hoc priuilegium concessum fuisse Mosi & Paulo. Illi quidem num. 12. vbi Maria & Aaron loquuti contra Dominum dixerunt. *Num per solum Moysen locutus est Dominus ? nonne & nobis similiter locutus est ?* Deus autem volens ostendere Mosem singulari prærogatiua donatum ait : *Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum : At non talis seruus meus Moyses. Ore enim ad os loquar ei, & palam & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Qui textus videtur adeo clarus, vt ponderatione non egeat. De Diuo autem Paulo sic scribit ipsemet Apostolus : *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium Cœlum, & scio huiusmodi hominem, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Hæc autem ineffabilia sunt ea quæ pertinent ad visionem beatorum, quæ excedit statum viæ secundum illud Isay. 66. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Et sane si essentiam diuinam non vidisset Paulus, sed solum per fidem cognouisset Trinitatis & Incarnationis mysteria, illa eloqui potuisset. Conuenientiam autem affert

D. Thom. quia sicut Moyses fuit primus Doctor Iudæorum, ita & Paulus primus magister gentium; vnde congruebat, quod antea vidissent diuina mysteria, vt essent testes oculati.

Objicies: Ioan. 1. dicitur, *lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, Deum nemo vidit vnquam, sed vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarrauit.* Vbi pro ratione cur lege per Moysem data, gratia & veritas per Christum facta sit, adducit Euangelista quod Deum nemo vidit vnquam nisi vnigenitus Patris, vbi clare videtur excludere Moysem ab hac prærogatiua, cum de eo faciat mentionem. Exodi etiam 33. postquam Moyses petiit à Domino vt ostenderet sibi gloriam diuinæ majestatis, responsum est illi, *faciem meam videre non poteris, non videbit me homo & viuet.* De Paulo etiam idem videtur colligi ex illo ab ipso Apostolo asseuerato 1. Timot. 6. *Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Scilicet in hac vita.

Respondeo ad locum Ioan. nullum nec etiam Moysem vidisse essentiam Dei, quoad omnia mysteria quæ Christus nobis in lege gratiæ reuelauit: & ideo conuenientissimum fuit vt verbum quod est in sinu Patris, vbi omnia comprehensiue videt, nobis secreta cælestia, & nouæ legis arcana reuelauerit, quæ etiam Angelos Dei faciem videntes latuerunt, excluditur ergo Moyses à visione non solum comprehensiua diuinæ essentiæ, sed etiam à visione ita plena, vt omnia quæ ad legem gratiæ pertinent, agnouerit. Ad locum exod. Resp. verum esse quod tunc denegata fuit Moysi intuitiua visio, sed inde non probatur semper fuisse negatam.

Vnde non colligimus hac gratia fuisse donatum Moysem, ex eo quod in eodem capit. 33. exodi dicitur de Moyse, quod loquebatur ei Dominus facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum, sed solum colligit D. Thom. loc. cit. q. 174. art. 4. tum 12. q. 97. a. 3. ad 2. ex vi illius loci habuisse eminentem contemplationem, sed hoc solum colligimus cum D. Thom. ex loco numer. cit. quod ita dilucide distinguit S. Doctor in secunda secundæ loco mox cit. vt mirum sit modernum Annotatorem alias doctissimum de hoc ambigere. Cum semper S. Doctor Paulum & Moysem pares faciat. q. autem 97. 1. 2. suprà relata asserit solum Moysi excellentem contemplationem infra visionem Dei ex vi loci illius capitis Exod. vt dixi, & apertissime insinuat 2. 2. cit. Ad vltimum locum ex Apostolo desumptum dico intelligendum esse vel visione comprehensiua, vel de via ordinaria sine priuilegio. Et sane nisi interpretemur illum locum, probaret beatos in patria non videre Deum.

Dices: si Paulus vidit essentiam Dei, amisit fidem mysteriorum Dei, quæ est incompatibilis cum clara visione: atqui non est vertsimile Paulum amisisse fidem, quamdiu fuit in hoc mundo: ergo non habuit claram visionem Dei in hac vita.

Respondeo cum D. Tho. ibid. 2. 2. cit. ad 2. & 3. Paulum habuisse lumen gloriæ non per modum formæ permanentis, sed per modum passionis transeuntis: Vude licet tunc simul cum visione non habuerit actum fidei, fuit tamen in eo simul fidei habitus; sicut enim in lapide cum grauitate habituali potest esse leui-

tas actualis seu motus sursum, ita cum habitu fidei non est incompossibilis actus claræ visionis.

Vrgebis: Ex his sequeretur Paulum etiam peracta visione non potuisse elicere actum fidei circa mysteria visa, quæ se vidisse vtique recordabatur, vt ipse attestatur; sicut qui recordatur se vidisse Romam, non potest habere fidem de existentia Romæ.

Respondeo vel Paulum videndo diuinam essentiam non vidisse omnes articulos fidei, ad quos non visos potuit se extendere ipsius fides, & circa illos exerceri: vel etiam dicendum, potuisse exercere actus fidei circa omnia mysteria, quia peracta visione non mansit in Paulo habitualiter lumen gloriæ, in quo differt ab illo qui vidit Romam, qui statim perdidit fidem, quia vnico visionis actu producta in ipso fuit habitualis cognitio certa & infallibilis opposita habitui fidei, sicut vnico demonstrationis actu producitur scientia.

Quæres, quid opus fuerit vt Paulus videret essentiam Dei?

Respondeo cum D. Thom. cit. 22. q. 174. a. 4. necesse fuisse, vt eius intellectus abstraheretur à sensibus, quia cum essentia diuina excedat omnem intelligibilem creaturam, ad eam in hoc statu videndam requiritur, vt tota mentis intensio illuc aduocetur, quod tamen non erit necessarium in intellectibus beatis post reassumpta corpora, nec erat in Christo hanc vitam mortalem agente; quia in illis fiet redundantia ex intellectu ad inferiores vires vsque ad corpus, vnde ex vi visionis sensus non solum impedientur, sed magis perficientur ad eliciendas

suas

suas operationes, quæ sane redundantia non fuit in Paulo. In Christo vero subdebantur perfectissime viras inferiores superiori, & miraculum erat quod suspenderetur gloria corporis, vt propter nos pateretur, vnde sicut non vtebatur phantasmatibus ex necessitate, ita nec ab illis debebat abstrahere. Paulus vero, sicut nos, ex necessitate vtebatur ad intellectionem actibus potentiarum sensitiuarum. An autem anima Pauli fuerit à corpore separata, ignorauit ipsemet Apostolus, dum professus est se nescire an id in corpore, vel extra corpus contigerit. Et quamuis doctores communiter credant Paulum non fuisse mortuum, quia nimirum non est necesse quod in raptu fiat abstractio à viribus animæ vegetantis, quæ non opetatur ex intentione animæ sicut vires sensitiuæ, sed per modum naturæ; vnde etiam in dormientibus cessantibus sensitiuis semper exercet suos actus: tamen in his magis conjecturaliter quam per certitudinem loquimur, vt ait S.Thom.art.6. ad 1.& *dubitante de hoc Apostolo, quis nostrum inde certus esse audeat*, ait August. l.12. Sup. Gen. ad litt.c.8.

Quæres rursus: Vtrum hoc priuilegium concessum fuerit aliis à Paulo & Moyse?

Respondeo ex scripturis de nullo alio constare: Nam quod illud aliqui tribuunt Adamo in illo sopore immisso, quando Deus produxit Euam ex costa eius non est verisimile; ille enim sopor vel fuit somnus naturalis, vel ad summum extasis multis aliis sanctis communicari solita. Quod vero illud nonnulli asserunt D. Benedicto in illa visione, in qua vt refert D.Greg.lib.2. dial.c. 35. vidit fusam lucem

desuper tanto splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset, & in qua totus mundus velut sub vno solis radio collectus ante oculos eius adductus est, non est etiam probabile; tum quia D. Greg. hæc referens sentit nulli etiam Paulo datum fuisse hoc priuilegium; tum quia vt ait D. Th. quod 1. 1. a. 1. quando visionem illam vidit Benedictus nec mortuus erat, nec à sensibus alienatus, vnde alium ad id videndum aduocauit, vt refert Gregor. ibidem: quæ tamen alienatio requiritur, vbi non est mors. Vnde solum intelligitur de gratia singulari, & extraordinaria illustratione. De Beatissima vero virgine Maria, licet non inueniatur aperte in sacris paginis, quia tamen iuxta receptam Catholicorum omnium sententiam, asserendum est Deiparæ quidquid aliis inuenitur concessum, piissimum est credere istud priuilegium haud esse negatum, vel in momento incarnationis Verbi, vel alio, Deus scit.

Reflexio.

Si ad Deum in hoc corpore videndum mentis à sensuum vsu auocatæ alienatione & veluti morte opus est, iuxta illud, *Non videbit me homo & viuet*, hinc plane colligitur nos diuina contemplari & multo minus pati, & suaui experimento prægustare minime posse, quamdiu terrenis dediti, præsentium voluptatum blanditiis delinimur, delicata enim est diuina consolatio, nec patitur extraneam, vt ait D. Bernard. *Renuit*, inquit Propheta, *Consolari anima mea, & delectatus sum.* Opportune Greg. lib. 18. mor. c. 37.

Quisquis sapientiam quæ Deus est videt, huic vitæ fundituus moritur, ne iam eius amore teneatur: Nullus quippe eam videt, qui carnaliter adhuc viuit, quia nemo potest Deum simul amplecti & sæculum: qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis vel effectu operis ab huius vitæ delectationibus tota mente separatur. Vnde & Paulus Apostolus, qui adhuc Dei inuisibilia sicut testatur ex parte cognouerat, etiam huic mundo totum se esse mortuum perhibebat, dicens: mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

CAPVT II.

De Incomprehensibilitate, & Ineffabilitate Dei.

EX eo quod diuina perfectio supernaturaliter videri possit, oritur difficultas, an possit etiam comprehendi, ideo de Diuina incomprehensibilitate agendum est; & quia vnumquodque nominamus, prout cognoscimus, ideo sermonem de ineffabilitate Dei annectemus.

SPECVLATIO I.

Beati quantumuis clarè Deum intuentes ipsum tamen comprehendere non possunt.

INcomprehensibilitatem Dei clarè docet Scrip. Hierem. 32. *Dominus exercituum incomprehensibilis cogitatu.* Consonant Patres Gregor. l. 10. mor. c. 7. *Cum ad incircunscriptum lumen vel humana vel Angelica mens inhiat, eo ipso quo est creatura coangustat, & eius fulgorem comprehendere nec dilatata sufficit.* Idem docent alij Patres, qui ex eo probant diuinitatem Spiritus sancti, *quia omnia scrutatur etiam profunda Dei.* 1. Cor. 2.

Probatur ratione D. Thom. In tantum intellectus beatus essentiam diuinam perfectiùs vel minùs perfectè cognoscit, in quantum maiori vel minori lumine gloriæ perfunditur, vt dicemus infrà. Sed lumine gloriæ in quocumque intellectu recepto non potest comprehendi diuina essentia: ergo. Probatur minor: lumen gloriæ in quocumque intellectu creato receptum non est nec potest esse infinitum, saltem infinitate adæquante, & exhauriente cognoscibilitatem Dei, alias esset actus purus: atqui Deus non potest comprehendi seu cognosci quantum cognoscibilis est, nisi per lumen infinitum infinitate adæquante diuinam cognoscibilitatem: ergo quocumque lumine producto, vel producibili non potest Deus comprehendi. Et obserua quod hæc ratio præscindit

à quæstione de possibilitate infiniti creati, quæ sub opinione est, veritas autem de incomprehensibilitate Dei est omnino certa, & fundatur in hoc, quod vt aliquid comprehendatur, tanta debet esse virtus cognoscitiua, quanta objecti cognoscibilitas, nulla vero vis cognoscitiua creata adæquare potest diuinam immaterialitatem & cognoscibilitatem.

Objicies: Beatus videt Deum intuitiuè & quidditatiuè, ita vt nihil sit formaliter & necessariò in Deo quod lateat; rei namque simplicissimæ & actus puri totum vel nihil videtur: sed tunc aliquid comprehenditur, quandò ita videtur, vt nihil lateat videntem, vt ait Augustinus epist. 122. c. 27. ergo Deus à beatis comprehenditur. Nec satisfacit si dicatur Beatum videre totum quod est in Deo, sed non totaliter; nam si videtur in objecto quidquid est visibile, quid impedit quominus totaliter videatur?

Respondeo quod licet Deus totus videatur, non tamen comprehenditur, quia vt aliquid comprehendatur debet videri quantum naturaliter visibile est, quandiu enim non ita cognoscitur, nondum apparet, nec manifestatur perfectè & totaliter cognoscenti; sicut si propositio aliqua demonstrabilis (est exemplum D. Thom. hîc) per rationem probabilem cognoscatur, nihil est in propositione quod lateat, nec subjectum, nec prædicatum, nec copula, non tamen illa propositio comprehenditur, quia non cognoscitur quantum cognoscibilis est: Ita similiter quidquid est in Deo Beatus videt, sed modus objecti non est modus cognoscentis, id est modus intellectus in intelligendo, non pertingit ad illum modum quo Deus natura-

liter petit cognosci, scilicet infinito modo. Hac de causa D. Chrysost hom. 3. cont. Anom. manifestationem Diuinæ essentiæ *condescensum* vocat, quia nimirum accommodatur, & veluti attemperatur diuina essentia intellectui Beato, qui eam non videt quantum visibilis est.

Dices: Non est necesse vt Deus comprehendatur, quod videatur modo perfectissimo quo videri potest, alias nullus Angelus posset comprehendere creatutam, quia nullus eam cognoscit, ita perfectâ notitiâ, quâ non possit dari excellentior, vel quæ accedat ad diuinam: Angelus etiam inferior non cognoscit formicam modo æquè perfecto, nec specie ita vniuersali sicut superior.

Respondeo rationem D. Thom. non fundari in hoc quod ad notitiam comprehensiuam requiratur cognitio omnium possibilium perfectissima, sed in hoc quod debeat dari cognitio adæquans & correspondens entitati & immaterialitati objecti cogniti. Licet autem Angelus inferior, non ita perfectè cognoscat formicam ac superior; tamen cognitio inferioris Angeli non adæquat modo cognoscibilitatem eius formicæ, sed longissimè antecellit: At vero nulla vis intellectiua creabilis assequi potest infinitam puritatem diuinæ cognoscibilitatis.

Ex his sequitur beatos non posse videre omnes creaturas possibiles. Probatur ex art. 8. D. Thom. Beatus non potest cognoscere omnes creaturas possibiles in essentia diuina, nisi diuinam omnipotentiam comprehendat, subindeque eius essentiam; neque enim potest cognosci effectus alicui virtuti adæquatus, eâ non comprehensâ, præsertim si effectus, in ipsa causa

intelligatur, seu intus legatur, & ex vi penetratæ essentiæ cognoscatur. Et certè si tantò magis penetratur causa, quantò plures eius effectus cognoscuntur; & tantò melius intelligitur principium, quantò in eo plures introspiciuntur conclusiones; relinquitur quod si omnes cognoscantur, ad intimum veluti fundum causæ deuenitur.

Præsertim quia Deus potest infinita producere sese in perfectione excedentia, vnde ad illa omnia cognoscenda opus esset lumine infinito, imo omnium possibilium perfectissimo; siquidem per illud cognoscerentur clarè omnia possibilia, ac proinde omnia lumina gloriæ possibilia; si autem non esset possibilium perfectissimum, quomodo omnia possibilia cognoscere posset? illud enim possibile lumen, cui in perfectione cederet, vtique non cognosceret: repugnat vero Deum producere lumen quo non possit perfectius producere, & quo producto sua exhauriatur omnipotentia: ergo etiam repugnat lumẽ quo omnia possibilia cognoscãtur.

Dices: Beati vident terminum adæquatum potentiæ generatiuæ Patris, & tamen hanc non comprehendunt: ergo non bene intulimus essentiam diuinam à Beatis comprehensum iri, si in ea omnia possibilia attingerentur.

Respondeo Beatos cognoscentes diuinum verbum non ipsum videre comprehensiuè, & quantum visibile est; vnde non cognoscunt terminum potentiæ generatiuæ quantum cognoscibilis est: At ille qui videret in diuina essentia creaturas omnes possibiles, videret adæquatum terminum diuinæ omnipotentiæ quantum cognoscibilis est ex natura sua, nec alio

modo Deus videt adæquatum illum terminum: vnde est magna differentia.

REFLEXIO.

Eruditè obseruauit D. Thom. Beatos, ex eo quod Deum non comprehendant, non solum non esse anxios vel sollicitos, sed potius inde fieri vt nullum eis beata visio fastidium pariat. Pulchriora sunt verba eius, quam vt non exscribantur, *Nihil* (inquit l. 3. cont. gent. c. 62. rat. 8.) *Quod cum admiratione cõsideratur potest esse fastidiosum, quia quãdiu sub admiratione est, adhuc desideriũ manet: Diuina autẽ substantia à quolibet intellectu creato semper cum admiratione videtur, cum nullus intellectus creatus eam comprehendat.* Sic nos sorte nostra contenti simus, & cùm prospero fortunæ flatu vtentes ad exitus optatos prouehimur, nec cum reflat, ægrè feramus; sic quantumuis varia sit instabilisque vitæ nostræ ratio in vaga euentuum omnium volubilitate placidissima pace fruemur, & sola Dei voluntate: illud æquo pacatóque animo cum Psalmista decantabimus, *paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.* Et iterum: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Vbi bis paratum cor suum contestatur, quia quocumque volvere siue ad prospera, siue ad aduersa Deus voluisset, æquo animo ferre paratus erat. Vnde rectè Hugo Cardinalis in Psal. 107. *Paratum cor meum ad aduersa, paratum ad prospera; paratum ad humilia, paratum ad sublimia; paratum tibi Domine vacare, paratum proximo ministrare; paratum ad omnia quæcumque præcipis, vnde non semel, sed secundò dicitur paratum.* Nisi mauis dicere cum altero Hugone scilicet Victorino lib. 2. de clausir. animæ: *Bis dicit pa-*

ratum, id est intùs ad cogitandum recta, foris ad faciendum vtilia; interiùs in mente, & exteriùs in operatione.

Adoranda etiam est, & totis viribus extollenda hæc diuina incomprehensibilitas, & quam beati visione non peruadunt, hanc humili fide complectamur. Nam, vt altè dixit Hilar. lib. 1. de Trinit. præcipuum munus & officium quod Deo præstare possumus aliud non est, *quam vt tantum eum esse intelligamus, quantus & intelligi non potest, & potest credi.* Vbi vides fidem visione quodammodo capaciorem; quod enim non capit visio, hoc fides credit; & incomprehensibilitatem quam non penetrant beati, fideles confitentur, & adorant. Hanc ineffabilem perfectionem, quâ sedet Deus super Cherubim, & sub qua curuantur qui portant orbem, profundè veneremur, certóque teneamus Dei perfectiones aliter esse in se, quàm cogitamus; nam non solum auro, aut argento aut sculpturæ artis, sed etiam *cogitationis hominis non debemus æstimare diuinum esse simile.* Actor 17. Quam multi falluntur! dum Diuinam iustitiam, vel misericordiam suo modo apprehendunt & confingunt, non vt sunt in se, & prout in scripturis reuelantur. Vnde merito dixit Oze. 4. *Non est scientia Dei in terra.* Et quidam apud Dionisium Chartusianum: *Nemo credit, quam exactè iudicat, quam seuerè condemnat:* Et Paul. Rom. 2. *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Et idem dicendum de aliis attributis. Hinc sancti de eis non nisi cum formidine sermonem habent: *Lingua, & mente & cogitatione horresco* (ait Nazianz. orat. in Sanct. lumin.) *quoties de Deo sermonem habeo.*

SPECVLATIO II.

Deus est ineffabilis, nec potest ipsi nomen quidditatiuum imponi à viatoribus, nec à Beatis: tamen multa adhibentur nomina ad eius perfectionem declarandam.

PRima pars constat ex Scripturis, & Patribus. Iudic. 13. Manue quærenti, *quod est tibi nomen, vt honoremus te?* Respondit Angelus in persona Dei, *cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* quod vero Angelus locutus sit vice Dei, patet ex his quæ subjungit Manue: *vidimus Deum.* Et primum nomen quod Verbo Incarnato tribuit Isayas 9. est quod *vocabitur nomen eius, Admirabilis.* Innuente scriptutâ Diuinam Majestatem potius à nobis esse admiratione suspiciendam, quam verbis efferendam. Vnde Augustlib. 7. de Trin. c. 4. *Excedit supereminentia Diuinitatis vsitati eloquij facultatem, verius enim cogitatur Deus, quam dicitur; & verius est, quam cogitatur.* Et suâ solitâ subtilitate obseruat lib. 1. de doct. Christ. c. 6. quod cum Deus dicitur ineffabilis, fit nescio quæ pugna verborum, quoniam si illud est ineffabile, quod dici non potest; non est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest.

Ratio huius primæ partis indicatur in secundâ, & tertiâ, vnde sic omnes simul comprobantur: non potest à Deo imponi nomen quid-

ditatiuè illum significans, nec à nobis viatoribus, nec à beatis: ergo Deus est plane ineffabilis, sicut enim diceretur inuisibilis, si non posset quidditatiuè videri, ita ineffabilis dicendus, si non possit quidditatiuè exprimi. Probatur antecedens: & quidem quod non possit à nobis quidditatiuè Deus nominari ex eo patet, quia nomina significant res mediante conceptu, secundum enim quod res cognoscimus, eas nominamus: cum igitur nullus viator cognoscat Deum, vt in se est, sed ex creaturis, relinquitur quod nullum nomen quidditatiuum Deo imponere possit. Vnde pulchrè Augustin. in Psal. 85. *Quid quæris vt ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?*

De Beatis vero idem ostenditur; quia licet Deum videant quidditatiuè, tamen ex illa visione non producunt verbum, audiunt enim arcana Diuinitatis, sed non licet homini loqui, vt ostendemus infra: ergo non possunt nominare Deum quidditatiuè. Probatur consequentia: non imponuntur nomina nisi loquendo; vox autem exterior est verbi interni nota & expressio: ergo vbi non formatur verbum, non profertur etiam nomen quidditatiuum. Et hoc maxime verum est in beatis spiritibus, qui non loquuntur nisi dirigendo verbum conceptum: vbi verò nullum concipitur, quomodo dirigitur & veluti transmittitur? Vnde ex vi visionis possunt solum extra verbum producere aliquam Dei similitudinem in specie creata relucentem, longè quidem perfectiorem iis quas habemus in via, sed Dei quidditatem non exhibentem.

Confirmatur: Beatus in visione beata non potest proferre nomen neque sibi, neque alteri

Beato; non sibi, quia omnia manifestantur sibi per essentiam vnitam, Deo supplente vicem verbi; non alteri beato, quia si posset aliquid ei manifestare intra visionem in essentia Dei quod antea latebat, posset augere eius visionem & beatitudinem, eò enim maior est visio, quò plura in essentia diuina penetrantur: consequens est apertè falsum: ergo nullum Deo imponitur nomen quidditatiuum in patria.

Objicies: Viatores possunt proferre aliquod nomen quod excitet in beatis conceptum quidditatiuum Dei, sicut Rex potest imponere nomen ciuitati, quam numquam vidit, quo audito qui eam viderunt, statim eam quidditatiuè intelligent. Sufficit vero ad nomen quidditatiuum, vt ille qui audit, intelligat rem significatam. Et hoc à fortiori videtur concedendum de beatis, qui sicut Deum clarè cognoscunt vt est in se, ita possunt illi nomen quidditatiuum apponere, cum res nominemus sicut cognoscimus, & ita indicat D. Thom. in 1. d. 2. quæst. 1. art. 3. dicens: *Si intellectus noster Deum per se ipsum videret, illi posset imponere nomen vnum, quod erit in patria, & ideo dicitur Zach. vltim. in illa die erit Dominus vnus, & nomen eius vnum. Illud autem nomen vnum non significaret bonitatem tantum, nec sapientiam tantum, aut aliquid huiusmodi, sed significata omnium istorum includeret.*

Respondeo ad rationem veri nominis, & maximè ad impositionem illius requiri, quod ex ipsa notitia loquentis procedat, & ideo Protoparenti, cui infusa erat rerum omnium perfecta notitia, demandatum est ius condendorum nominum; alias Psittacus vera nomina

proferret, quia licet non intelligat quæ effutit, excitat tamen in audiente cognitionem rei, cuius nomen profert. Quod si tamen quis contendat ad rationem nominis sufficere, vt excitet in audiente notitiam rei, non potest esse in hoc nisi de voce controuersia.

Quoad beatos vero idem dicendum, quia cum non producant verbum ex vi visionis, non producunt etiam nomen, quia in spiritibus nomen est ipsum verbum directum & ordinatum. Solum ergo formant nomen vnum in patria non ex vi visionis, sed extra visionem, sicut dum Paulus recordabatur eorum quæ viderat, non tamen potest dici illud nomen quidditatiuum, quia non est partus conceptionis quidditatiuæ. Hanc esse mentem D. Thomæ patet ex his, quæ verbis in obiectione relatis subnectit. *Sed tamen si intellectus videns Deum per essentiam, imponeret nomen rei quam videret, & nominaret mediante conceptione quam de ea habet, oporteret adhuc quod imponeret plura nomina* (vtique extra verbum, quia intra illud, non sunt volubiles cogitationes) *quia impossibile est quod conceptio intellectus creati rapræsentet totam perfectionem diuinæ essentiæ:* Manifeste ergo dissoluitur fundamentum oppositæ sententiæ, quæ dicit quod sicut Deum cognoscunt beati, ita & nominant; cum asserat S. Doctor, qaod mediante cognitione in verbo non possunt imponere nomen vnum.

Vltima pers indiget solum expositione. Itaque licet Deus sit simplicimus, potest tamen diuersis nominibus explicari, quia eminens Dei perfectio vnico nequit conceptu representari; vnde sicut à multis perfectionibus creatis ex-

primitur, ita variis & multiplicibus conceptibus attingitur, & nominibus declaratur. Vnde dicitur communiter, quod Theologi in Dei natura indaganda imitantur artem tum Sculptoris, lignum continuo resecantis & runcinantis, donec appareat effigies: tum Pictoris, colorum varietate tabellam adornantis. Cui affinis est illa doctrina Dyonis. l. de myst. Theolog. cap. 2. docentis Deum à nobis triplici via cognosci, primò per viam remotionis, elongando ab ipso omnem creatæ imperfectionis labem: secundò viâ affirmationis, quâ quidquid bonitatis in creaturis sparsum occurrit, colligimus, vt Deo asseramus; qui modus dicitur etiam via causalitatis, quia omnes creatorum effectuum dotes primæ causæ attribuimus: Tertiò viâ excessus, quâ omnes creatæ perfectiones defœcatæ, & ab omni nævo mundæ Deo altiori modo ascribuntur. Illi triplici cognoscendi modo, triplex genus nominum correspondet: nam aliqua remouent imperfectiones, vt incorporeus, immaterialis, impeccabilis; alia exprimunt perfectionem primæ causæ, vt Dominus, Omnipotens, Saluator, Prouisor: Alia denique perfectionis excellentiam denotant, vt superbonus, superpulcher, supereſſentialis, vt loquitur Dyonisius. Hinc quidam Antiquus dicebat, Deum esse παντώνυμον καὶ ἀνώνυμον, quia omnium nominum significata eminenter continens, nullo poterat nomine satis declarari.

REFLEXIO.

Eadem arte qua Theologus Dei perfectionem ineffabilem profatur, vtamur & nos, vt ad Christianam solidamque pietatem perueniamus. Et priùs, quidquid in nobis asperum,

quidquid eſt ſordeſcens veluti ſpiritali runcina expoliamus iuxta illud: *Exercitabam, & ſcopebam ſpiritum meum.* Ac deinceps animum omnigena virtutum venuſtate decoremus. Obſeruant ſpiritualiores Patres, quamplures pietatis ſpecie è putido peccatorum cæno vix emerſos, ſtatim ad diuinos complexus aſpirare, ſed multum falluntur: ſiſtendum eſt paululum (inquit S. Franciſcus Saleſi.) circa pedes Saluatoris cum Magdalenâ, antequam oſculetur nos ſponſus oſculo oris ſui. Et Diuinè Bern. Serm. 3. in Cant. *Nolo repente fieri ſummus, paulatim proficere volo. Quantum diſplicat Deo impudentia, tantum pœnitentis verecundia placet. Altiora te nè quæſieris; longus ſaltus, & arduus eſt de pede, ad os. Quid enim recenti adhuc puluere reſperſus, ora ſacra continges? heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præſentaris. Per manum tibi tranſitus fit, illa primum te tergut, illa te erigat, quomodo erigat? dando, vnde præſumas, quid iſtud? decor continentiæ, & pœnitentiæ fructus.* Et infra: *Hæc via ad contemplationem, hic ordo, primò ad pedes procedimus, & ploramus coram Domino, qui fecit nos, quæ fecimus nos. Secundò manus quærimus ſubleuantis, & roborantis genua diſſoluta. Poſtremò cum iſta multis lachrimis & precibus obtinemus, tum demum audemus forſitan ad ipſum os gloriæ caput attollere (pauens & tremens dico) non ſolum ſpeculandum, ſed etiam oſculandum.* Abſque hac arte non pietas, ſed impudentia gignitur, & funditus tollitur ſacer ille timor & tremor, in quo Apoſtolus ſalutem præcipit operari.

SPECVLATIO III.

Tria sunt præcipua supremi entis nomina, scilicet Deus, qui est, & Iehoua, seu Tetragrammaton.

EXplicantur singula: Circa primum, obseruandum nomen Dei impositum esse ab vniuersali rerum prouidentia, omnes enim loquentes de supremo numine, hoc intendunt nomine Dei. Vnde dicit Dionys. c. 12. de Diuin. nom. quod Deitas est, *quæ omnia videt prouidentia*: Vnde ex operatione Dei assumptum est illud nomen, ad significandam ipsam naturam, nam per illud intelligimus ens super omnia existens, super cuncta erectum & eminens, rerumque vniuersarum principium; hoc enim intendunt qui Deum nominant.

Quoad secundum nomen scilicet, *Qui est*, quod sibimet imposuit ipse Deus Exod. 3. dum Moysi quærenti, *Si dixerint mihi, quod est nomen eius, quid dicam eis?* respondit, *sic dices: qui est, misit me ad vos.* Docet D. Thom. art. 11. esse Deo maximè proprium, tum quia significat ipsum esse subsistens, quod est Dei essentia, modo fusè supra explicato. Tum quia illud nomen est vniversalius, nec determinat aliquam perfectionem particularem, sed est, vt ait Diuus Damasc. l. 1. de fid. cap. 2. velut quoddam; *Pelagus substantiæ infinitum, & indeterminatum.* Tum demum, quia illud nomen significat esse in præsenti, & hoc maxime de Deo dicitur, cuius esse

non nouit præteritum, vel futurum, vt ait Aug. vnde Apoc. 1. dicitur : *Pax vobis ab eo, qui erat, qui est, & qui venturus est.* Quartam rationem addit D. Bern. Serm. 4. in Cant. *Sane esse omnium dixerim Deum, non quod illa sint, quod est ille, sed quia ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

De tertio nomine scilicet Tetragrammaton, quod erat ita sacrum & reuerendum apud Iudæos, vt illud numquam proferre auderent, & quoties inter legendum occurrebat, mutabant illud, aliudque substituebant, sic dictum est, quasi quadrilitterum, quia quatuor litteris constabat, Iod, he, vau, he. Docet vero D. Thom. art. 11. ad 1. nomen illud esse Deo propriissimum, quia significat ipsam Dei substantiam singularem. Sunt quidem aliqui qui confundunt hoc tertium nomen cum secundo, sed D. Thom. post D. Hyeron. epist. 136. alioſque linguæ sacræ peritos, distingui docent, quamuis ab eo deriuari non negent.

Sed aduerte, nomen Tetragrammaton, quod D. Hieronymus *ineffabile*, Damasc. *ineloquibile*. Theodoret. *indicibile*, appellant, esse adhuc valde ignoratum: Et vix de eius pronuntiatione constare, cum illud SS. Patres variè enuncient. Nam Irenæ. illud *Iodiod* vocat; Clemens Alex *Iao* : Et quamuis receptum sic apud recentiores Hebræos, & Hebraizantes, nomen Tetragrammaton non aliter esse pronuntiandum quam *Iehoua*, vel per contractionem *Ioua*, vnde deductum putant nomen Iouis, quem gentes pro summo Deo coluere : Contendit tamen Doctissimus Genebrardus in secunda editione commentariorum in Psal. præfat. ad lector. nomen illud, neque esse Hebraicum, neque Chri-

stianum, vtpote ignotum eruditis omnibus, qui ante centum annos inter Hebræos vel Christianos floruerunt; quamuis plures integros libros de nominibus Dei Latinè, Græcéque scripserint. Cui consonat Cardinalis Bellarmi. Hebraicarum litterarum peritiâ clarus.

Mitto alia plerâque nomina, qualia sunt illa quæ recenset S. Hyeron. epist. ad Marcell. scilicet *El*, Deus fortis, *Eloha*, Deus gubernans, *Elohim* in plurali, id est Iudices, quod legitur in capite Geneseds, vt sciant homines initium sapientiæ esse timorem Domini omnia iudicantis, & à nomine Iudicis primò nominati. *Elion*, Excelsus. *Adonai*, Dominus. *Adonai Sabaoth*, Dominus exercituum. *Ia* supremum numen. *Sadaj*, sibi sufficientissimus, & in alios exuberans. Mitto alia plura, quæ exponit D. Dionysius in l. de Diuin. nominibus, quia licet Deus sit, *omninomius*, reuera tamen est, *innominabilis*, vt ait Greg. Theologus.

Reflexio.

Deus incircunscripta perfectionum varietate ornatus vnicum sibi nomen imposuit, nempe *qui est*: homo nudus & inops, turgentes titulos, honorificas inscriptiones, insignia lemmata, tesseras gentilitias, & Epitaphia ambit auidissimè, & iuxtà vanissimè. Sed quid prodest titulus sine re? quid emolumenti affert animalculo cuidam minimo ampullatum Cameleontis nomen, quo audito aliquid maius Leone cogitares, vt acute prosequitur Tertull. l. de pall. cap. 3. Sciant superborum nominum amatores, quod *nomen impiorum putrescet*, &

ſicut eos Deus neſcit, ſic nec eos nominat. Pulchrè obſeruat Greg. Chriſtum diuitem Epulonem non nominaſſe, ſed pauperis Lazari nomen non tacuiſſe, Luc. 16. *Notandum*, inquit, *quia in populo plus ſolent nomina diuitum, quam pauperum ſciri, Dominus autem nomen pauperis dicit, & nomen diuitis non dicit; quia Deus humiles nouit atque approbat, ſuperbos ignorat. Gaudete & exultate*, ait veritas, *quia nomina veſtra ſcripta ſunt*, non dixit, in columnis marmoreis, in palatiorum propilæis, & frontiſpiciis, non in platearum obeliſcis, & piramidibus, non in tricliniorum ſtromatibus & tabellis, *ſed in Cœlis.*

DISSERTATIO VI.

Fauſtiſſima Beatæ viſionis materia declaratur.

QVia Deus tametſi naturâ inuiſibilis ſupernaturaliter tamen viſibilis eſt, & vt ait Anſelmus: *Deus inacceſſibilis cum ſit noſtris viribus, acceditur ad eum ſuis muneribus*, ideo naturam diuinæ viſionis explicare conandum eſt. Quamuis enim hæc fortunata ſcientia ſanctorum deſiderari poſſit, explicari non poſſit, vt ait Auguſt. Vtile tamen eſt & frequenter

cogitare & diu loqui de fælici & securo illo statu vbi totum nostrum bonum stat, & nihil fluit: vbi nec dignitas typhum, nec inæqualitas zelum, nec familiaritas contemptum; nec assiduitas fastidium, nec veritas odium parit; vbi est perpetuò flos iuuentutis, qui non marcescit; decor pulchritudinis, qui non tabescit; vigor sanitatis, qui non hebescit; torrens voluptatis, qui non arescit: ardor charitatis, qui non tepescit; æternitas gaudij, quæ non veteraſcit. Tria autem considerabimus; quibus totam hanc vberrimam materiam complectemur. 1. Principia beatæ visionis inquiremus. 2. Eius inæqualitatem, inæqualitatisque radicem vestigabimus. 3. Objectum illius contemplabimur. Ampliora, quæ desiderari possent, in materia de beatitudine, vel de gloria Sanctorum tractaturi.

CAPVT I.

De gemino visionis principio, specie, & lumine gloriæ.

DVo necessariò ad quamcumque cognitionem concurrunt, alterum, ipsum objectum per se, vel per speciem sui vicariam, alterum, lumen intellectus vel naturale, vel infusum: vtrumque figillatim speculemur.

SPECVLATIO I.

Vt Deus intuitiuè videatur, necessum est vt essentia diuina vniatur intellectui immediatè in ratione speciei impressæ; repugnat enim creata in visione.

PRima pars explicatur, & probatur : vt Deus videatur ab intellectu beato, necesse est, vt essentia diuina vniatur intellectui per modum objecti cogniti, nam ex communi Philosophorum doctrina, quam etiam tradit Aug. lib. 9. de Trin. c. 12. *Ex objecto, & potentia paritur notitia*, sicut ex mare & fœmina gignitur fœtus, id est, ad hoc vt intellectus aliquid cognoscat, requiritur quod objectum intelligibile vniatur potentiæ intellectiuæ : objectum enim debet esse præsens intellectui, qui in hoc differt à voluntate, quia hæc trahitur ab objectis, iuxta illud Augustin. *Amor meus pondus meum, eò feror quocumque feror ?* Intellectus vero trahit res ad se, & illis debet assimilari, iuxta axioma Aristotelis, *Intellectus intelligendo fit omnia*, quod fit beneficio specierum, quibus intellectus veluti in objecta transformatur : Atqui essentia diuina non vnitur intellectui beato per vllam speciem creatam : ergo ipsamet essentia diuina intellectui vnitur seipsâ immediatè in ratione objecti.

Major supponitur vera, nisi velimus fundi-

tùs euerrere principia, quæ traduntur in lib. de anima. Minor probatur: ideo requiritur species in intellectu nostro ad cognoscendum aliquod objectum, quia si est materiale, debet dari species spiritualis, in quo reluceat, per quam intellectui spirituali objiciatur; si vero sit spirituale, requiritur etiam species, vt sit præsens, quia nullum ens creatum potest illabi menti nostræ, vt dicetur dum de Angelis, & ideo opus est specie objecti vices gerente: atqui Deus est summè immaterialis, & intimè præsens intellectui, imò ipso intimo intimior: ergo se ipso immediatè & non per speciem vnitur intellectui beato. Et certè si lux non videtur ab oculo per vllam speciem, quia seipsâ visibilis est, & ratio videndi alia, multo magis Deus, qui pura lux est, & *tenebræ in eo non sunt vlla*, seipso videbitur, & non per aliud, iuxta tritum axioma, *quod est tale per se, non debet fieri tale per aliud.*

Secunda pars, quæ asserit repugnare omnem speciem creatam impressam, seu qualitatem aliquam quam Deus immittat, quæ sit Dei similitudo, qua fœcundatus intellectus Deum vt in se est videat, sic probatur ex art. 2. species debet conuenire cum objecto in eodem gradu immaterialitatis & perfectionis, alias ipsum, vt in se est non repræsentabit, & hac de causa per species materiales numquam possumus intelligere quidditatiuè Angelum: sed nulla species creata vel creabilis pertingere potest ad gradum immaterialitatis, qui Deo conuenit; alias illa species esset actus purus: ergo repugnat omnis species Dei repræsentatiua.

Et hoc est quod intendit sanctus doctor, cum

ait: *Per similitudinem inferioris ordinis nullo modo superiora posse cognosci, sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ; multo igitur minus per speciem creatam quamcumque potest essentia Dei videri.* Consulto autem dixit D. Thom. *Ordinis inferioris*, quia bene potest species inferioris Angeli repræsentare superiorem, quia licet Angelus inferior non sit æquè perfectus, quia tamen est eiusdem ordinis cum superiore, potest illum cognoscere intuitiuè, imò & comprehensiuè, vt suo loco monstrabitur.

Dices: Illa etiam species creata erit ordinis diuini, hoc ipso quod erit supernaturalis, sicut sunt aliæ qualitates infusæ, quidni ergo per eam Deus repræsentari poterit?

Respondeo quod licet possint dari qualitates ordinis diuini & supernaturalis diuinam naturam & perfectiones eius participantes, non tamen repræsentantes diuinam intelligibilitatem vt in se est, quia intelligibilitas diuina est intelligibilitas actus puri & infiniti, quæ proinde non potest relucere in eo quod non est actus purus & infinitus. Quod penetrantius intelliges, si obserues in Deo dari duo veluti genera perfectionum; aliæ sunt communicabiles, vt natura secundum rationem principij diuinarum operationum, scientia, sapientia, amor, misericordia, & huiusmodi; aliæ sunt omnino incommunicabiles vt ratio actus puri, infiniti entis à se: diuina autem intelligibilitas est huius secundi generis, cum sit ipsa Dei puritas & actualitas immaterialis; & ideo per nullam formam etiam supernaturalis ordinis exprimi potest, sed solum à verbo diuino, quod est

splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris.

Aliæ duæ rationes quas affert S. Doctor sunt tantum confirmationes præcedentis, & earum robur tale est: Deus est suum esse infinitum, incircunscriptum, & illimitatum: ergo eius natura clarè & visibiliter relucere non potest in specie, quæ est accidens finitum, & determinatum ad certam perfectionem. Potest quidem fieri quod species sit imperfectioris entitatis quam sit obiectum, sicut species repræsentans Angelum est illo inferior, cum illa sit accidens, iste substantia: tamen in ordine intelligibili eiusdem perfectionis debet esse species & obiectum in esse repræsentatiuo, vt suppono ex philosophia: atqui repugnat omni enti creabili esse eiusdem perfectionis cum Deo etiam in esse intelligibili, tum quia nulla creatura pertingere potest ad Dei purissimam immaterialitatem, tum quia esse intentionale in specie est aliquid reale, ipsi intrinsecum, fundatum in eius puritate & immaterialitate: manifestum vero est repugnare aliquam creaturam conuenire vniuoce cum Deo in aliquo esse reali: ergo repugnat omnis species Deum, vt in se est repræsentans.

Obiicies: si essentia diuina vniatur intellectui beato in ratione speciei & obiecti fœcundantis intellectam, duo sequerentur incommoda: primùm essentiam diuinam habere rationem formæ inhærentis, non solum in esse intelligibili, sed etiam in esse naturali, cum in Deo esse intelligibile & naturale non distinguantur: secundo essentiam diuinam concurrere actiuè ad visionem; species enim est complementum potentiæ, & principium quo intellectus noster intelligit: hoc autem repugnat, quia species quæ est

principium

principium *quo* intellectionis, subordinatur intellectui, qui est principium *quod* agit: implicat vero essentiam Dei creato intellectui subordinari.

Respondeo essentiam diuinam vnitam intellectui non inhærere, sed veluti obiectari: sicut enim in vnione hypostatica verbum vnitum humanitati, non ei inhæret vel eam informat, sed solum terminat & perficit, ita essentia diuina intellectui sanctorum coniungitur, non inhærens, sed complens per modum actus puri: & sicut eadem personalitas verbi complet humanitatem in ordine ad agendum, non tamen est in potentia ad actiones humanas, nec subordinatur humanitati, sed po[illegible]sibi subiicit, & portat verbo virtutis [illegible]ta potentialitate ex parte humanitatis se tenente: Ita proportionaliter essentia diuina complens & fœcundans intellectum eoncurrit ad visionem, nec subordinatur intellectui, quia concurrit ipsum mouendo, non mota ab ipso, nec ipsa est in potentia ad visionem, sed solus intellectus. per quod patet ad vtramque difficultatem.

REFLEXIO

Merito dixit Ægidius Roman. doctrinam D. Thom. negantem speciem in visione beata esse *diuinitus inspiratam.* Quid enim diuinùs potuit excogitari ad intimam beatorum cum Deo vnionem declarandam assertione illa, quæ Deum sine medio vllo nobis illabi edocet? Quid etiam ad ciendos pios motus diuinius esse potest? Attentè ergo considera, Lector, quod sicut surculus alteri arbori insitus eadem cum ipsa arbor efficitur; sicut aquæ gutta vini dolio immer-

sa in vinum conuertitur; sicut ferrum in fornacem coniectum totum igne peruaditur; sicut in duobus speculis ex aduerso positis vnum ita imaginem alterius recipit à quo & vicissim sua recipitur, vt speculum repræsentans repræsentatum videatur, & è conuerso; Ita similiter, si rectè vixeris in Deum transformatus, Deus eris; quid mirum? Si enim albedo facit album, Iustitia iustum, numquid diuinitas immediatè communicata Deum efficiet? sed vt sis Deus in altera vita per claram visionem, necessum est, vt in hac per gratiam sis diuinæ consors naturæ, & Deus per charitatem, ait enim Augustus. *Si terram amas, terra es, si Deum amas, Deus es.* amore prius transi in Deum, [illegible]onem ad te transeat Deus, & sic implebitur illud Cant. 7. *Ego dilecto meo* (per amorem) *& ad me conuersio eius,* per intimum essentiæ suæ illapsum in patria. Quam dulce commercium! Quam suauis fluxus & refluxus! Quam felix repercussus primæ lucis! in quo scrutator maiestatis non opprimetur à gloria micanti sine nube, sine medio splendenti.

SPECVLATIO II.

Beati in patria non producunt speciem expressam, nec possunt, sed eam diuina essentia supplet.

PRior pars probatur: quia ideo nos producimus verbum mentis in intellectionibus ordinariis, vt in illo intelligamus obiectum, quod



non est semper actu vnitum intellectioni nostræ: sed Deus non solum est intelligibilis respectu intellectus beati, sed etiam est semper intellectissimus, & præsentissimus; ergo Deus non videtur in aliqua specie producta, sed in seipso, sicut lux seipsâ cernitur ab oculo. Vnde D. Tho. hîc a. 2. ad 3. ait, *essentia diuina vnitur intellectui creato, vt intellectum in actu.* Et certè id videtur exigere ratio cognitionis immediatæ, qualis est visio beata secundum Patres, & ideo comparatur illi qua videtur homo facie ad faciem: non esset autem visio immediata, si essentia diuina non inspiceretur in seipsa, sed in verbo producto in quo essentia Dei reluceret; nam vt ait D. Tho. in 4. dist. 49. q. 2. a. 1. ad 15. *Medium in quo tollit immediationem cognitionis.*

Posterior pars iisdem rationibus suadetur, quibus specul. præc. impugnata est omnis species creata Deum intuitiuè & quidditatiuè repræsentans: & sanè cum species expressa non sit repræsentatio cognitionis beati (alias esset cognitio reflexa) sed ipsius obiecti, necesse est vt quidditatiuè repræsentet Deum vt in se est, quod habeat eandem intelligibilitatem & puritatem cum obiecto, quod in ipsa relucet, quod esse impossibile ostendimus, & proprium solius increati diuini verbi, qui est candor lucis æternæ, splendor gloriæ, & figura substantiæ.

Dices: licet essentia diuina sit intellectissima in actu secundo respectu proprij intellectus, non tamen respectu beati, qui incipit Deum videre: vnde rationes D. Thom. non videntur militare contra speciem expressam, quæ habet rationem termini producti per actionem intellectus, vnde commensuratur intellectui cognoscenti, non

obiecto, cuius non est imago prout est in se, sed prout est in cognoscente. Species vero impressa habet rationem principij intellectiui, & gerit vices obiecti cui proinde commensuratur, & cum quo conuenire debet in eodem gradu immaterialitatis, modo essendi, & infinitate, cum sit imago ab obiecto immissa: ergo est magna differentia inter speciem impressam & expressam.

Respondeo quod sicut persona diuina licet ab æterno non terminet humanitatem tamen quia est actus purus, immediatè eam in tempore terminat; Ita essentia diuina licet non fuerit semper intellecta, tamen hoc ipso quod intellectu beato obuersatur statim est intellecta seipsâ sine specie expressa, quæquè repugnat ac impressa: nam species expressa, cum sit imago impressæ, est etiam imago obiecti, quam impressa repræsentat, imò species expressa meliùs, & vt sic dicam, viuidiùs, seu actualiùs repræsentat obiectum quàm impressa, quæ tribuit tantum intellectui vim ad eam efformandam, & proinde si repugnet impressa, ita & expressa. eò maximè quod inintelligibile est beatum posse videre in specie expressa Deum quidditatiuè nisi illa Deum quidditatiuè repræsentet. Quod repugnare conuincunt rationes D. Thom. & æquè vrgent contra omnem omnino speciem.

Instabis: D. Tho. docet infra q. 27. a. 1. quod *quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum quod est notitia rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens.* Quid expressiùs & formaliùs propter vniuersale signum, *quicumque intelligit*; propter additam reduplicationẽ, *ex hoc ipso intelligit*, propter ingeminatã reduplicationis causã, *ex vi intellectiua proueniens*. vt

ponderat P. Nicolai ibid. quòd vniuntfaliter verũ esse addit. q. 4. de verit. a. 2. de omni quod à nobis intelligitur *siue per essentiam videatur siue per similitudinem.* & sanè id videtur exigere ratio actionis, quæ necessatiò producit terminum, cum sit productio & fieri termini sicut nõ potest dari calefactio sine calore. Ita argumentatur Ferrariẽsis.

Respondeo maximam illam D. Tho. quicunque intelligit &c. veram esse secundum distributionem accommodam, pro generibus singulorum, non pro singulis generum, id est: in omni natura intellectuali datur processio verbi, non tamen necesse est, quod detur in quolibet intelligente, vel in quacumque intellectione, nam verbum diuinum licet intelligat non producit verbum: & hoc sufficit ad intentum D. Thom. qui probat Deum producere verbum intra se, quia est naturæ intellectualis. In alio vero loco loquitur S. Doctor de cognitione rei per essentiam quæ non est actus purus; sicut Angelus vel anima separata licet intelligant se per suam substantiam gerentem vices speciei impressæ, producunt tamen verbum.

Ad rationem subiunctam dicendum, non requiri vt actio immanens, qualis est intellectio, semper producat terminum, sed solum esse de ratione actionis transeuntis, qualis est calefactio: idque præsertim verum est, quando terminus quem actio nata esset producere, suppletur ab alio. Cuius clarissimum exemplum habemus in mysterio Incarnationis, in quo actio generatiua Beatissimæ Virginis productiua humanitatis non se extendit ad productionem personæ humanæ quæ nata erat efluere, quia personalitate diuina suppleta est, & vt loquuntur Patres, consumpta

personalitas creata: similiter vnione diuinæ essentiæ impeditur & veluti consumitur verbum creatum, quod erat producendum.

Insistes: Non est minus de ratione cognitionis producere verbũ, quam de ratione amoris spirare impulsum quo feratur in objectum amatum: Atqui amor beatus, quantumuis habeat bonitatem diuinam sibi præsentem, vnitam, & conglutinatam, tamen producit impulsum seu pondus in illam: Ergo similiter visio beata producit verbum.

Respond. Esse magnum discrimen petitum ex natura intellectus & voluntatis: voluntas enim cum non sit potentia assimilatiua, sed tantum, vt sic loquar, ponderatiua, terminus voluntatis non petit terminum qui sit similitudo, sed pondus in objectum dilectionis suæ, & ideo Spiritus sanctus non procedit vt similis, nec vt Filius, quia est Diuini amoris terminus: At verò intellectus est potentia assimilatiua, vnde verbum productum debet esse ita simile objecto cognito, vt sit ipsummet obiectum in esse intelligibili: sicut ergo repugnat quidditatiua Dei similitudo, ita verbum creatum quidditatiuè Deum repræsentans.

Persistes fortiùs: Non est minus de ratione verbi seu speciei expressæ, quòd sit terminus vitalis intelligentis; quam de ratione intellectionis, quòd sit actus secundus vitalis intellectus: non enim minùs essentialiter exigit terminus vitalis, inquantum talis, esse à principio vitæ quam actus; v.g. non minus petit Filius generatus esse à Patre quam ipsa generatio. Atqui essentia Diuina non potest per seipsam supplere rationem actus vitalis intellectus no-

stri, secundùm omnes fermè Theologos, & sin loco demonstrabitur: Ergo non potest etiam essentia diuina supplere rationem verbi, seu speciei expressæ, de cujus essentiali ratione est, quòd sit terminus vitalis cognitionis: ideo namque dicitur expressa, distinguiturque ab impressa.

Respond. Duplex esse munus & officium verbi in nobis: nam quia ab intellectu fœcundo procedit, & simul objectum repræsentat; ideo habet & rationem termini procedentis, & similitudinis repræsentantis objectum. Primum munus non est essentiale verbo, sed secundum, vt patet in essentia diuina, quæ respectu proprij intellectus habet rationem verbi intellecti, tametsi non procedat. Sic igitur essentia diuina supplet rationem verbi non quoad expressionem, & processionem; sed quoad actualem repræsentationem, & veluti exhibitionem objecti cogniti. Ex quibus in forma distingue maiorem, non est minùs de ratione verbi quod sit terminus vitalis intelligentis quoad munus expressionis, quod non est essentiale, concedo; quoad munus similitudinis repræsentantis, nego, nam istud munus suppleri potest, nec potit essentialiter procedere à potentia vitali, sicut intellectio, quæ cum sit actus secundus & vita actualis, non potest non oriri à principio vitæ.

REFLEXIO.

De Industria. Apostolus loquens de visione quam habuit in raptu ait: *audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui*; audire autem est ab alio accipere: in patria igitur verbum non dici-

tur; sed auditur; nec licet homini loqui seu proferre verbum creatum Deum exprimens. Vnde Psalmista ps. 74. *Te decet hymnus Deus in Sion.* Alij legunt te decet *silentium* Deus in Sion. Aliquid simile experiuntur, qui ad supremum orationis gradum, qui passiuus dicitur, prouehuntur. In communi meditationis genere verbis quamplurimis vtimur; in altiori affectiuæ considerationis methodo, paucis; quia statim concalescit cor, & exardescit ignis: sed in sublimi mentis quiete, nullis. Ibi anima ad instar mundissimi speculi obiectata solis iustitiæ radiis, ita Deo perfunditur, vt nec loqui præ amore liceat, sed tantum diuinæ dulcedinis abundantia frui. Fœlix hora, sed breuis moraqua Deus dat dilectis suis somnum, eosque torrente voluptatis suæ inebriat vino illo, quod, vt August. ait tract. 34. in Ioan. *non turbat, sed dirigit mentem; quo anima sæculo, & sibi dormit, Deo vero vigilanter intendit.* Qui potest capere capiat: nam Animalis homo non percipit quæ Dei sunt. Ea autem percipiunt qui vel nocturnis vigiliis in conualle plorationis Deo psallunt, vel qui beatissimis orationum interuallis experiuntur, quam magna sit multitudo dulcedinis Dei; tunc docet vnctio de omnibus, medullatas infundens delicias; tunc in se iusti sentiunt quod Apostoli dictitabant *nonne cor nostrum ardens erat?* Quod sic exponit Bern. ser. 2. Paschat. *ô dulcis ardor, dulcis splendor, dulcis amor! ardor confortans, splendor illuminans, amor inebrians! quam dulciter ardes, quam mirabiliter splendes, quam sufficienter totum cor hominis imples!*

SPECVLATIO III.

Ad visionem beatam requiritur lumen gloriæ, ita indispensabiliter, vt repugnet sine eo elici visionem.

PRima pars definita est in Concilio Viennensi, in quo damnatur illa Begardorum propositio, *anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum* eamque satis indicat scriptura psal. 35. *in lumine tuo videbimus lumen* Apocal. 27. *Claritas Dei illuminabit eam*, scilicet societatem beatorum Deum videntium.

Probatur tota speculatio: Intellectus creatus est intrinsecè insufficiens & improportionatus ad eliciendam visionem Dei, vtpote vires cuiuscumque naturæ creatæ, vel creabilis excedentem: ergo indiget roborari & confortari per aliquam virtutem in se receptam, per quam possit videre, quæ virtus lumen gloriæ dicitur. quantumcumque enim Deus dicatur specialiter assistere, vel concurrere simultanee cum intellectu nostro, nisi superaccrescat intellectui aliquis vigor supernaturalis, Deus videri nequibit; si enim ex vi diuinæ assistentiæ, vel concursus nihil deriuetur in intellectum, semper permanebit intellectus intrinsecè impotens, & insufficiens, nec potentior euadet. Maximè quia concursus simultaneus nihil ponit in potentia, sed solum influit in actum, cum sit ipse actus prout à Deo; vnde per illum causa non

iuuatur, aut fit potens, sed talis supponitur: ergo requiritur aliqua virtus desuper infusa, quam lumen merito vocamus, quia intellectus non iuuatur nisi per illustrationem.

Confirmatur, & simul præoccupatur fundamentum oppositæ sententiæ: Verum quidem est Deum posse supplere quidquid agit causa secunda in genere causæ efficientis, sed non potest facere, quod effectus aliquis producatur ab aliqua causa, nisi illa habeat virtutem ad illum efficiendum, v. g. potest producere lucem sine sole, sed nequit efficere, quod sol eam producat, nisi habeat virtutem ad eam producendam; implicaret enim apertam contradictionem: quia vt causa producat, debet posse producere, non potest autem producere sine virtute producendi, quæ dat posse producere: atqui intellectus in proprio fundo non habet vim eliciendi visionem: ergo si Deus velit quod illam producat, debet illi communicare virtutem supernaturalem, vt possit eam producere.

Objicies contra 1. partem: Supposito quod essentia diuina vniatur intellectui per modum speciei intelligibilis, superfluit lumen gloriæ, quod enim est per se lucidum, alio lumine non indiget, vt videatur: Deus autem lux est purissima: ad quid ergo requiritur aduentitium lumen gloriæ ad videndum Deum? Si enim repugnat species Deum vt in se est repræsentans, æquè repugnabit lumen Deum vt in se est attingens non enim minor requiritur virtus ad attingendum aliquid vt in se est, quam ad illud repræsentandum. Non requiritur etiam ad disponendum intellectum, vt ait D. Th. hic a. 5. sicut enim humanitas Christi sine præuia dis-

positione vnita est verbo diuino, quidni similiter essentia diuina intellectui beato illabetur, absque præparante luminis gloriæ dispotione?

Respondeo quod licet essentia diuina vniatur intellectui per modum objecti, non tamen superfluit lumen groriæ. Nam vt ait D. Thom. art. 2. *Ad omnem visionem duo requiruntur, scilicet virtus visiua & vnio rei visæ cum visu*, & rursum: *Lumen creatum est necessarium ad videndum Dei essentiam, non quod per hoc lumen Dei essentia intelligibilis fiat, quæ secundum se intelligibilis est, sed ad hoc quod intellectus fiat potens ad intelligendum, per modum quo potentia fit potentior ad operandum per habitum, sicut etiam & lumen corporale necessarium est in visu exteriori, in quantum facit medium transparens in actu, vt possit moueri à colore.*

Est autem differentia inter speciem & lumen: quia lumen se tenet ex parte intellectus, vnde non debet esse eiusdem immaterialitatis cum Deo: species vero se tenet ex parte objecti, quod reddit intelligibile, & cuius est formalis similitudo; repugnat vero aliquid creatum esse formaliter, & vniuocè Deo simile: Adde quod repugnat essentiam Diuinam quæ per se est intelligibilis intelligibilem reddi per aliquid aliud: non repugnat vero, sed necesse est intellectum fieri potentem ad intelligendum per aliquod donum infusum, cum quo intellectus aliundè diuinâ essentiâ fæcundatus Deum, vt in se est, finito modo videre potest.

Ad id quod vltimo dicitur de humanitate Christi respondeo multiplicem esse disparitatem. Prima, quia in vnione hypostatica humanitas sublimatur ad esse, & subsistere diui-

num, ad quod nulla præexigitur disposition, sed solum impeditio propriæ subsistentiæ: at in visione beata attollitur homo ad omnium operationum altissimam, vnde debet augeri virtus operatiua ipsius. Secunda, quia in Incarnatione verbum diuinum vnitur in esse entitatiuo; in visione vero vnitur in ratione formæ intelligibilis; forma autem non potest vniri in ratione formæ intelligibilis nisi potentiæ, quæ sit disposita ad vtendum specie: sicut licet species coloris possit in ratione accidentis vniri lapidi, & sic de facto vniatur aëri, non tamen in ratione visibilis vniri potest nisi oculo bene disposito, & lumine illustrato. Ex quibus intelliges quare D.Th. requitat lumen gloriæ tamquam dispositionem necessariam ad eliciendam visionem.

Dices: Ipsum lumen gloriæ recipitur in intellectu absque præuia dispositione, & etiam gratia quam Deus baptisatis infundit: ergo similiter visio non indiget dispositione præuia supernaturali.

Respondeo non esse simile, quia forma quæ est vltima in aliquo ordine, qualis est visio beata in ordine grætiæ, necessario exigit præcedentis dispositionis apparatum, quem non exigunt illæ formæ, quæ se habent solum vt dispositiones. Adde quod gratia & lumen dantur vt homo possit operari in ordine supernaturali, ergo non supponunt posse, sed ipsum dant & secum afferunt: At visio cum sit actus præsupponit completam virtutem potentiæ per lumen gloriæ communicatum vel per modum habitus, vt in patria, vel per modum passionis transeuntis, vt in raptu Pauli.

Objicies rursus contra 2. partem: rationes D.

Thom. conuincerent quidem neceſſitatem indiſpenſabilem luminis gloriæ, niſi daretur in rebus creatis potentia quædam obedientialis proximè & immediatè eliciriua effectuũ ſupernaturalium cum ſolo Dei concurſu: atqui admittenda eſt huiuſmodi potentia rebus omnibus congenita, vt indicat ſcript. Sap. 9. Vbi Sapiens mirabiles ignis & aquæ effectus in obedientiam creaturarum refundit, *omnis enim creatura deſeruiens tuis præceptis, vt pueri tui cuſtodirentur illæſi.* Et D. Auguſt. lib. de Geneſ. ad litt. cap. 17. *Deus habet virtutem, vt poſſit facere quod ſterilis pariat, & arbor arida floreat.* D. etiam Thom. in 4. diſt. 8. art. 3. ad 4. *Sicut creaturæ ineſt potentia obedientiæ, vt in ea faciat quidquid Creator diſpoſuerit, ita etiam, vt eâ mediâ fiat.* Id exigit etiam perfectiſſimum Dei dominium in omnes creaturas, quod tantum debet eſſe, vt non poſſit maius excogitari, quod tale non erit niſi admittatur præfata potentia: ergo lumen gloriæ non neceſſario requiritur.

Reſpondeo quod licet Theologi omnes admittant potentiam obedientialem paſſiuam in omnibus creaturis, ratione cuius poſſunt recipere virtutem aliquam, vt agant ſupra vires naturales: Potentia tamen obedientialis actiua rebus omnibus implantata eſt expreſsè contra D. Thom. dicentem 1. 2. quæſt. 109. art. 1. *Forma vltra naturalem efficaciam non poteſt, niſi per aliquam formam ſuperadditam.* Eſt etiam contra rationem: hæc enim potentia eſſet naturalis, vtpote omnibus congenita; eſſet vero ſupernaturalis, vtpote ad actus naturæ vires excedentes ordinata: eſſet finita, ſiquidem creata; eſſet etiam infinita, vtpote productiua cuiuſ-

cumque effectus in infinitum perfectioris, & perfectioris: Denique per illam potentiam semel admissam destruitur totus ordo gratiæ; frustra enim fit per plura quod potest fieri per pauciora; si ergo per illam solam potentiam & concursum simultaneum homo potest supernaturaliter operari, frustra admittetur gratia ad benè agendum, superfluæ erunt virtutes infusæ ad sanctè viuendum; inutilis erit character in sacerdotibus ad consecrandum; superuacaneum lumen gloriæ in beatis ad videndum. Nec potest dici illos habitus requiri ad connaturalius operandum, cum enim hæc potentia sit ingenita & naturalis, mediante illa homo magis connaturaliter operabitur, quam mediis qualitatibus aduentitiis.

Neque oppositæ rationes, quæ mouerunt Suarem, vt hanc potentiam obedientialem actiuam adinueniret, vrgentes sunt. Hæc enim quæ afferuntur scripturæ & Patrum testimonia significant solùm, Deum posse vti creaturis ad libitum, quo nihil verius: quod autem hoc faciat Deus absque creaturarum eleuatione per alicuius accedentis virtutis accretionem, id non indicant. Nec hoc exigit diuini dominij plena potentia, sicut enim non requirit, vt creatura agat sine actione, possit sine potentia, sine intellectione cognoscat; ita nec postulat, vt effectus supernaturales sine virtute supernaturali producantur.

Reflexio.

Inter præcipuas honorum prærogatiuas quibus homines ab Ecclesia in albo sanctorum

inſcripti inſigniuntur, vna eſt, quod poſſint & debeant eorum imagines cum radiis aut circulis luminoſis caput ambientibus depingi vel ſculpi. Quid ſibi vult ſignum illud ſpecialis honorificentiæ? Ad huius intellectum ſciendum cum D. Thom. 3.p.q.60.art.3. Triplex eſſe ſignum, aliud eſt *rememoratiuum* eius quod præceſſit, aliud *demonſtratiuum* rei præſentis; aliud *prognoſticum*, ſeu *prænunciatiuum* rei futuræ. Itaque radians ille circulus Sanctorum capiti ſuperpoſitus ſignum eſt *rememoratiuum* ſanctitatis, qua in vita excelluere, & eo monemur quod filij ſanctorum ſumus; & quod ſi filij Abrahæ ſimus, Abrahæ opera faciamus, neceſſe eſt. Eſt ſignum *demonſtratiuum* præſentis gloriæ, in qua amicti lumine ſicut veſtimento habent coronam auream expreſſam ſigno ſanctitatis. Eſt *prognoſticum* futuri noſtri glorioſſimi triumphi, ſi æquè fortiter in terris decertemus. Et hac de cauſa S. Leo Serm. de Transfig. affirmauit, quod in Chriſti Transfiguratione, *ſpes ſancta Eccleſia fundabatur*, (& idem dicendum cum proportione in ſolemni Canonizatione ſanctorum) *ut totum Corpus Chriſti agnoſceret, quali eſſet commutatione donandum, & eius ſibi honoris conſortium membra promitterent, quod in capite* (& in ſanctis eius) *præfulſiſſet. De quo Dominus dixerat: Tunc fulgebunt Iuſti ſicut Sol in regno Patris eorum.* Cum ergo radium veluti coronam in ſacris ſanctorum imaginibus videmus, ad lumen, quo in cælis amicti ſunt ſuſpiremus; & ad brauium futuræ felicitatis accendamur.

CAPVT II.

De inæqualitate, & objecto visionis Beatæ.

HOc est vltimum complementum huius felicissimæ materiei, cui inhiare magis expedit, quam disputare: nam vt melleis S. Bern. Serm. 33. in Cant. verbis vtar. *Quis non illic vehementer cupiat pasci, & propter pacem, & propter adipem, & propter satietatem? Nihil ibi formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit. Fœlix Regio in qua pro libito oues ingrediuntur, & egrediuntur, & non est qui exterreat! Merito sponsa illò suspirat, meritò inhiat loco pascuæ simul & pacis, sed quietis, sed securitatis, sed exultationis, sed admirationis, sed stuporis. Tuta habitatio paradisus! dulce pabulum verbum! opulentia multa nimis æternitas! festinemus proinde, festinemus ad locum tutiorem, ad pastum suauiorem, ad vberiorem, & fertiliorem agrum: festinemus vt habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio.* Testatur veritas beatos esse qui esuriunt & sitiunt iustitiam, beatos item qui propter eam patiuntur: si beatum sit pro Deo pati, quid erit pro Deo coronari? si beatum sit esurire, quid erit Deo refici & satiari? quid erit ponere spirituale os ad fontem Dei, & bibere sapientiam pro auiditate sua; vt ait Augustl. lib. 9. conf. c. 3.

SPECVLATIO I.

Beatorum vnus alio perfectiùs Deum videt.

PRimam partem negauit olim Iouinianus, vt referunt D. Augustin. lib. de hær. hær. 86. & D. Hieron. lib. 1. & 2. aduers. Iouinianum qui existimabat cum Stoïcis tam merita, quam peccata omnium esse æqualia, subindeque eiusdem præmij, vel supplicij, digna. Negauit etiam Lutherus, quia credidit nullum hominem esse iustum per iustitiam sibi propriam, sed per Iustitiam Christi imputatam, & per fidem apprehensam, quæ Christi Iustitia cum sit æqualis respectu omnium, par etiam est omnium fælicitas. Nihilominus.

Probatur veritas Catholica: tum ex illo Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, quod non potest intelligi de Ecclesiis in toto terrarum orbe diffusis, vt interpretabatur Iouini. cum Christus subjungat, *Vado vobis parare locum, vt vbi ego sum, & vos sitis*, vbi manifeste loquitur de regno cœlorum. Tum ex illo 1. ad Cor. 3. *Vnusquisque propriam mercedem recipiet secundum proprium laborem.* & 2. Cor. 9. *Qui parce seminat, parce & metet*; tum ex perenni traditione Ecclesiæ, quæ distinctum honorem diuersis sanctis defert, vt Beatissimam Virginem supra Angelorum & sanctorum coronam exaltatam specialiùs veneratur, deinde Apostolos, & sic de aliis nonnullis, vndè planè semper

sentit distinctam esse sanctorum gloriam, & ita definiuit Concil. Flor. sess. vlt. dicens, Beatos intueri clare ipsum Deum trinum & vnum sicuti est, meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius. & Trident. sess. 6. can. 32. docens Iustificatum bonis operibus mereri augmentum gratiæ, atque etiam gloriæ.

Probatur ratione ex ipsis sacris paginis desumpta: Beatitudo in cœlis datur per modum mercedis, coronæ & secundum distributionem iustitiæ, dicitur enim Math. 5. *merces vestra copiosa est in cœlis.* & 2. ad Tim. 4. *reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi dominus.* & certè si Deus distribuit supplicia iuxta proportionem demeritorum iuxta illud Apoc. 18. *quantum glorificauit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentorum*: ita & præmia proportionaliter ad merita dispensat. sed merita sanctorum æqualia non sunt, pluris enim faciendum est martyrium pro Christo perpessum, vel virginitas per totam vitam illibata, quam sola mandatorum obseruario: & opus ex feruentissima charitate factum magis placet Deo, quàm aliud non tanto amore patratum; nam Deus non quantum, sed ex quanto; non censum pensat, sed affectum: ergo beatitudo & visio Dei inæqualis est in beatis.

Obiiciebat Iouiniana. parabolam illam vineæ, quæ habetur Matth. 20. in qua operariis primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, & vndecimæ horæ vnus denarius æqualiter redditus est, quantumuis diuersus fuerit eorum labor.

Respondent vnanimiter S. Patres per vnitatem denarij intelligi vnitatem beatitudinis obiectiuæ quæ est eadem in omnibus, omnes enim beati eodem Deo fruuntur, cum quo stat, quod secun-

dum diuersum gradum fruitionis sint etiam diuersæ in beatitudine mansiones. Scio aliquibus non probari hãc Patrum expositionem: sed non aduerterunt id, quod monet D.Chrys.hom.65. in Matth. in parabolis non oportet nimia in singulis verbis cura perangi: vnde quod in illa parabola sit murmuratio operariorum (quæ vtique non conuenit sanctis) explicandum est de admiratione, quæ est in beatis, vel hoc dicitur sicut & alia quæ sequuntur ad declarandum radicem collationis præmij esse ex pura Dei misericordia, nam merita nostra quibus gloriam meremur sunt effectus diuinæ miserationis coronantis opera sua.

Quæres, vtrum sit tanta diuersitas in diuinis mansionibus, vt nullus beatorum futurus sit alteri æqualis in gloria?

Respondeo aliquos affirmare, quia (inquiunt) homines in cœlis Angelorum desertorum sedes reparaturi sunt, vnde sicut Angeli apostatæ habuissent diuersos gloriæ gradus, ita & homines. sed oppositum videtur certius & securius præsertim in pueris ante vsum rationis in gratia æquali decedentibus. nec est inconueniens plures homines eandem Angeli lapsi ruinam implere.

Quæres rursum, vtrum visiones beatæ differant specie?

Respondeo negatiuè: nam omnes beatæ visiones habent idem obiectum formale, scilicet essentiam Dei clarè visam; eundem modum illam attingendi, scilicet immediatè sine vlla specie; & idem specie lumen gloriæ, correspondens eidem specie gratiæ, & charitati: ergo nihil est per quod visiones illæ differant specie, distinctio siquidem specifica esse non potest, vbi obiectum

est idem & principia eadem specie.

Dices : sufficit quod intellectus Angelicus & humanus differant specie ad inducendum specificam differentiam in eorum visionibus, incredibile siquidem videtur visiones hominum pertingere ad perfectionem visionis Angelorum.

Respondeo non modo non esse incredibile visiones humanas posse Angelicas adæquare, sed potius oppositum esse omnino certum, cum scriptum sit Luc. 20, *filij resurrectionis erunt æquales Angelis in cœlo.* & Apoc. 21. *eadem mensura hominis & Angeli.* imo S.Thom. 1.p.q.108.a 4. asserit, *erroneum esse asserere homines transferri non posse ad æqualitatem Angelorum.* & certissimum est visionem Christi Domini & sanctissimæ eius matris omnium Angelorum visiones longè superare, quia nimirum visiones beatæ non procedunt ab homine, vel Angelo secundum gradum specificum, vt supra dictum est, sed vt conueniunt in ratione intellectus eleuabilis per lumen gloriæ. Nec earum inæqualitas ex naturali facultate intellectus, sed ex diuersitate luminis gloriæ pensanda est.

REFLEXIO.

Beati inæqualiter Deum vident, nec aliorum maiori bono inuidorum more anguntur, quia, inquit August. tract. 67. in Ioan. *Ita Deus erit omnia in omnibus, vt quoniam Deus charitas est, per charitatem fiat, vt quod habent singuli commune sit omnibus : sic enim quisque etiam ipse habet: cum amat in altero, quod ipse non habet : non erit inuidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus vnitas charitatis.* Inuidiæ, ergo liuorem extirpantes fratrum nostrorum bona æquabili

dilectione amplectamur, quia amore fiunt nostra, iuxta illud *particeps ego sum omnium timentium te.* Obserua etiam quanta alacritate bonis operibus insudandum nobis est quibus promittitur æqualitas Angelorum. *Cupidi sumus ascensionis* (ait Bernar. ser. 4. de ascens.) *exaltationem concupiscimus omnes, nobiles enim creaturæ sumus, & magni cuiusdam animi, ideo altitudinem naturali appetimus desiderio*; sed miseri! terreni vaporem honoris ambimus nec obtinemus, æqualitatem cum Angelis appetere possumus, & seriò appetendo, peruenire ad hæreditatem illam, quæ vt ait Aug. in psal. 49. *non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate coharedum: sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus.*

SPECVLATIO II.

Tota visionis inæqualitas ex solius luminis gloriæ differentia procedit; luminis verò diuersitas ex maiori vel minori charitate, & gratiâ prouenit.

PRima pars est contra nonnullos Ingeniosos Theologos, qui de sui præstantia ingenij confisi, suas partes naturali acumini in beatitudine dedere: sed illis ingeniosior D. Thom. a. 6. per totum, omnem diuersitatem visionis beatæ in luminis inæqualitatem refundit, & ex eo

probatur : facultas videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriæ : ergo perfectior visio ex perfectiori solum lumine procedit ; sicut quia ratio occupandi locum est quantitas , ad occupandum maiorem locum quantitate maiore opus est. probatur antecedens : si facultas videndi Deum non totaliter refunderetur in luminis gloriæ intensionem , sed etiam in perspicuitatem naturalem intellectus , daretur aliquis gradus beatitudinis qui non responderet meritis sed naturæ ; vnde & beati per sua naturalia se discernerent , quod plusquam Pelagianum est, peius enim est dicere gloriam dari iuxta vires naturæ, quam gratiam conferri ex meritis liberi arbitrij , & est contra illud , *gratia Dei vita æterna.*

Confirmatur & simul præcluduntur fundamenta oppositæ sententiæ : certum est intellectum agere in visione beata, nec merè passiuè se habere; sed non agit nisi per lumen gloriæ quæ est ratio totalis proxima qua intellectus agit in visione;habitus enim supernaturales licet supponant principium radicale in natura, dant tamen totam vim proximam agendi , & ideo dicitur, quod dant simpliciter posse; habitus verò naturales faciliùs posse. quorum omninm radix est, quia licet actus ad quos dantur sint vitales , illa tamen vitalitas est supernaturalis, & supernaturalitas est vitalis : ergo maior vel minor perfectio actuum non in vires naturales, sed in principium supernaturale , quo natura eleuatur, reducenda est.

Obiicies : gratia & charitas in subiecto melius conanti magis & intensiùs operantur ; for-

tiùs enim agit charitas in Angelo, quam diffusa in corde hominis : ergo similiter intellectus sagacior, cum æquali lumine magis conabitur in visione elicienda, atque adeo perfectiorem producet.

Respondeo conatum vel intensionem actuum supernaturalium correspondere soli gratiæ & charitati, ac vigori auxilij actualiter mouentis, diuersa autem perfectio naturalis voluntatis Angelicæ vel humanæ nihil confert ad meritum, quod multo magis verum erit in cœlis, vbi nobis promittitur æqualitas Angelorum. Adde quod licet habitus infusi in hac vita se accommodent naturæ quam non destruunt, sed perficiunt, vnde non tollunt modum intelligendi, discurrendi, & volendi qui est in nobis diuersus ab Angelis : tamen in visione gratia sibi naturam accommodat, & eam ad se rapit, vt omnino supra se operetur ; ibi enim anima euehitur ad operandum modo æterno, incommutabili, omnis successionis & motus experti ad quem sublimem cognoscendi modũ tantũ abest quod iuuet acumẽ intellectus humani, qui agit cum motu & successione, quod potius si misceret se visioni beatæ, eam magis deprimeret quam ei opitularetur, sicut suauissimæ melodiæ concentum plus inficeret, quam perficeret dissonus vocis rauescentis garritus : & aurum micantissimum inumbraret adiectio plumbi.

Dices : ergo intellectus est purum instrumentum in visione beata ; siquidem non agit in ea nisi vt eleuatus per virtutem à Deo deriuatam, quæ est tota ratio agendi proxima.

Respondeo negando consequentiam : quia intellectus in visione vitaliter operatur, atque

adeo se mouet à principio intrinseco ; instrumentum verò non agit nisi vt motum, vnde semper eleuatur extra latitudinem sui obiecti, & numquam producit effectum sibi similem ; sicut aqua baptismi non producit aquam, sed gratiam; medicina non medicinam influit, sed sanitatem: intellectus autem videns Deum non eleuatur ad aliquid quod sit extra obiectum adæquatum, sed solum extra proportionatum, vt antea explicatum fuit, & producit sibi simile scilicet intellectionem, in qua relucet vitalitas intellectus, & supernaturalitas lumiuis : nec demum recipit lumen gloriæ, vt Deus per ipsum agat, sed vt sua virtus actiua efficiatur proportionata ; eo ferè modo quo voluntas auxiliis supernaturalibus præuenitur, vt ipsa actus supernaturales efficiat. *aguntur, vt agant*, ait August. *non vt ipsi nihil agant.*

Secunda pars probata manet ex prima, atque ex præced. spe. Si enim tota visionis differentia ex meritorum disparitate prouenit, manifeste sequitur lumen gloriæ, quod visionis diuersitatem causat, correspondere gratiæ & charitati, quæ est radix meritorum. Addit S. Doctor præclarissimam aliam huius veritatis rationem, quia inquit art. 6. vbi est maior charitas, ibi est maius desiderium, & desiderium quodammodò facit desiderantem aptum & paratum ad susceptionem desiderati, vnde qui plus habet de charitate, perfectiùs Deum videbit.

Reflexio.

Solide dixit D. Bernard. *Sola est gratia, quâ egemus*; cum illi soli correspondeat gloriæ graduum

duum dissimilitudo. Quid tempus terimus, dum Deum non amamus ? quid prodest præcellens ingenium tepescente voluntate, si visio quæ est tota merces non mentis sagacitati, sed amoris solius intensioni respondeat ? Deo igitur qui non intellectum, sed cor sibi præberi postulat, dicamus cum August. in solil. cap. 35. *O ignis sancte, qui semper ardes, & numquam extingueris, accende me. O vtinam arderem ex te ! Ignis sancte quam dulciter ardes, quam secrete luces, quam desideranter aduris !* Vidit Ioannes Apoc. 12. Mulierem amictam sole, eiusque caput splendido duodecim stellarum diademate redimitam, quia inquit Hugo Cardin. lunam habebat sub pedibus, temporalia omnia charitatis amore calcans, diuinis solum adhærebat. Donorum quidem naturalium rationem in distributione beatitudinis non habebit Deus ; sed non propterea quoscumque indifferenter admittet. *An indifferenter admittet homines* (ait Bernard. Serm. in Calen. Nou.) *Qui ne ipsos quidem Angelos indifferenter admisit ? Non discernet inter glebas, qui discreuit inter stellas ?* Solius charitatis rationem habebit.

SPECVLATIO III.

Beati vident omnia quæ sunt in Deo necessariò; ita vt repugnet eos videre essentiam, quin simul personas & attributa videant. Item vident aliqua libera Dei decreta, secundum quod Deus voluerit manifestare. Vident etiam creaturas possibiles, tantò plures quantò perfectior est visio. Denique vident nonnullas creaturas existentes, secundum exigentiam sui status.

HÆc assertio multimembris vno veluti intuitu totum objectum visionis beatæ assequitur, ne autem multitudo partium confusionem pariat, singula distincte enucleabimus.

Primam partem definiuit Floren. alias cit. & tradit scriptura 1. Ioan. 3. *Videbimus eum sicuti est.* Deus autem sicuti est, est omnigena perfectione cumulatissimus, & Trinus. Secundam vero asseuerat D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 8. ad 3. dicens: *Summa bonitas Dei, secundum modum quo nunc intelligitur per effectus, potest intelligi absque Trinitate personarum, sed secundum quod intelligitur in seipso, prout videtur à Beatis, non potest intelligi sine Trinitate personarum.*

Probatur vtraque pars ex triplici dote visionis beatæ, quæ debet esse intuitiua, quidditatiua, & beatificans, alias non esset visio Dei vt in se est, nec possessio summi boni: atqui visio intuitiua fertur in objectum præsens & subsistens, Deus autem subsistit in tribus personis; cognitio quidditatiua intuetur ipsam rei essentiam, & quidditatem; essentia autem & quid-

ditas Dei est quod sit actus purus & simplicissimus, nec actus puri potest aliquid apparere alio latente : Denique cognitio beatificans satiat & quietat beati desiderium; qui autem videt essentiam, naturaliter desiderat videre proprietates, & modum quo existit & subsistit. Visio etiam beatificans fertur ad summum bonum ; summum autem bonum exigit omnem perfectionem & subsistentiam quæ ipsum decent: & licet Deus non habeat esse summum bonum à relationibus & personis, non tamen illud habet sine illis, sed ex eodem infinito fonte, quo est summum bonum, est etiam fœcundum in personis: ergo visio beata necessariò fertur in essentiam, attributa, & personas Dei.

Sed dices : Non obstante Dei puritate & simplicitate potest communicari natura non communicata persona in æterna generatione, & vna persona communicari sine alia in Incarnatione : ergo similiter poterit essentia videri sine personis, vel vna persona sine alia, cum visio sit aliquid magis extrinsecum, quam communicatio ; visio nihil ponat in re, communicatio intra rem exerceatur.

Respondeo esse differentiam, quia clara & intuitiua visio est cognitio Dei vt est in se: Deus autem non potest videri vt est in se, si aliquid eius lateat : manifestari enim aliquid actus puri & manifestari totum idem est. At vero communicatio realis non fit secundum quod res est in se, sed secundum exigentiam & capacitatem extremi cui fit communicatio : Filius autem æternus non est capax paternitatis, cui relatiuè opponitur ; neque humanitas Christi exigit subsistere per tres subsistentias aut personas, quæ

non est mirum quod communicetur essentia non communicata paternitate, vel vna persona sine alia, licet non possit videri vna sine alia. Præsertim quia personæ constituuntur per relationes, quæ sunt simul natura & cognitione.

Addi potest, quod sicut non potest videri color parietis, nisi videatur quantitas, & figura, licet sint accidentia realiter separabililia, quia non distinguntur in ratione visibilis, hoc ipso quod per eandem speciem repræsentantur: Ita licet essentia possit communicari sine persona, non tamen potest sine illa videri, quia ab ea non distinguitur virtualiter in ratione visibilis; siquidem eadem essentia, quæ gerit vices speciei in intellectu beato, omnia quæ in Deo sunt necessario repræsentat, nec est eorum speculum liberum, sed necessarium. Alia argumenta opponi possent, sed redibunt cum inquiretur in tract. de Trinit. ex quorum cognitione verbum procedat.

Reliquæ partes, suppositis iis quæ de scientia Dei infra stabiliemus, carent difficultate: cum enim, vt ibi monstrabitur, Deus videat in sua voluntate sua decreta; in sua essentia determinata per decretum creaturas futuras, manifeste relinquitur, quod beatus videns essentiam Dei potest etiam ea decreta, & eas creaturas in illa intueri, quæ Deus voluerit manifestare: cum visio beati sit imago, imitatio, & expressio scientiæ Dei. hoc supposito singulæ partes egent solum expositione.

Tertia pars sic aperitur: Vident Beati diuina decreta & consilia, supposita directione diuinæ voluntatis; per hoc enim agentia spiritualia cordis cogitationes detegunt, quod ad alios

eas ordinant, vt in tract. de Angelis explicatur: Beati igitur cognoscunt libera Dei decreta, non ex vi penetrationis essentiæ, sed ex diuina reuelatione, directione, & manifestatione; vnde potest minus beatus plura videre, quia plura nosse pertinet ad statum suum, vt de creaturis existentibus dicemus.

Quarta pars quæ asserit Beatos cognoscere creaturas possibiles in essentia diuina tantò plures quantò perfectiùs Deus videtur, expressè docetur à D. Thom. hic art. 8. quia nimirum quantò perfectiùs beatus videt Deum, tantò melius penetrat omnipotentiam Dei, quò autem magis penetratur causa, eò magis attingitur eius virtus productiua diuersorum effectuum; sicut etiam quanto melius intelligitur aliquod principium, tanto plures inde eliciuntur conclusiones. Supponit autem hæc doctrina creaturas in Deo posse videri, quod dum de scientia Dei demonstrabitur, vt diximus, & expresse docet August. qui duplicem agnoscit in sanctis Angelis creaturarum cognitionem, aliam matutinam in Verbo seu sapientia diuina, tamquam in arte per quam facta sunt; aliam vespertinam extra verbum per proprias rerum species. Sed de his operosiùs libro sequenti.

Sed dices: Non est potior ratio cur ex infinitis creaturis passibilibus, aliquas præ aliis videat Beatus ex vi visionis.

Respondeo cum D. Thom. q. 9. de ver. art. 4. ad 1. causam huius peti posse ex ipsarum creaturarum natura, quarum quædam sunt de se latentiores, quædam explicatiores: Sicut enim ex principiis demonstrationum statim aliquæ conclusiones veluti pullulant, nonnullæ vero nonnisi

per multorum discursuum circuitum inferuntur: Ita in proposito.

Quod si inquiras, quænam creaturarum apertiores, quænam autem sint occultiores? Respond. quod alij id explicant ex maiori vel minori perfectione creaturarum; alij ex proportione cum intellectu: sed melius alij credunt expectandam huius nodi solutionem in cœlis. Hoc tamen obseruandum ad harum & plurium aliarum difficultatum elucidationem, quod sicut quando ignis debet producere alium ignem Deus determinat ad individuum, vt scilicet potius producat ignem A, quam ignem B, quem æquè potest ignis producere: Ita ex infinita possibilium creaturarum serie Deus illas determinat, quæ habent maiorem cum lumine gloriæ proportionem.

Insistes: Si beatus ex vi penetrationis diuinæ essentiæ videret creaturas v.g. Angelum, cognosceret etiam infinitas ipsi inferiores, quas Deus potest producere, & quæ sine dubio non sunt ita latentes. Sed beatus non potest videre infinitas creaturas possibiles in essentia diuina per lumen finitum: ergo nullam in ea videt ex vi visionis.

Respondeo essentiam diuinam eò perfectiores repræsentare creaturas, quò perfectius est beati lumen, sed non propterea repræsentare infinita inferiora; sed sufficere quod beato constet illas omnes & singulas inferiores in infinitum producibiles excedere: Sicut qui perfecte cognoscit hominem vel Angelum, non continuo cognoscit omnia corpora. Et licet illæ inferiores creaturæ non ita lateant in essentia diuina quoad gradum communem v.g.

quoad rationem corporis, bene tamen quoad omnes differentias indiuiduales, quorum omnium distincta cognitio maius arguit lumen quam cognitio gradus superioris: Sicut qui perfectè agnosceret omnes virtutes plantarum & corporum inferiorum censeretur profundior Philosophus eo qui solius hominis definitionem agnoscit. Et licet daremus Beatum videre infinitas creaturas inferiores, non tamen propterea egeret lumine infinito, cum nec eo egeat Christus, ad cognoscendas infinitas cogitationes per æternitatem futuras.

Vltima pars de creaturis existentibus docetur à Concil. Seno. in decreto fid. dicente: *Beatis perunum est vniforme illud diuinitatis speculum, in quo quidquid illorum interest eluceseit.* & Bern. lib. 2. de consid. cap. 2. *Creatura Cœli non indiget scala creaturarum, vt ascendat in Cœlum, sicut creatura mundi. Quid enim opus scala tenenti solium? videt Verbum & in Verbo facta per Verbum.* Vt autem hæc plenius intelligantur debet considerari homo tripliciter, primò vt est pars vniuersi, & hoc modo conueniens est, vt cognoscat totum vniuersum, præcipuas eius partes, species, & etiam illa indiuidua quæ pertinent ad decorem vniuersi; quia nimirum in vita beata satiatur omne honestum desiderium, horum vero cognoscendorum appetitus congruus est, vnde etiam ad eorum notitiam adipiscendam ordinantur quædam artes & studia. Et in hoc sensu verificari potest illud D. Greg. *Quid est quod non videant, qui videntem omnia vident?* quia nihil eorum, quæ pertinent ad vniuersi notitiam quoad præcipuas partes, vel quæ ad statum eorum exiguntur, eos latet, iuxta illud

D.Thomæ 3.p.quæst.10.art.2. *Nulli beato deest, quin cognoscat in verbo omnia quæ ad ipsum spectant.*

Secundo potest considerari homo vt eleuatus ad ordinem gratiæ, & sic exigit cognoscere prædestinationis, vocationis, redemptionis, & alia Religionis arcana quæ fide credidit, secundum illud Psal.47. *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate domini virtutum*, & hæc sicut præcedentia vident sancti in ipso Beatitudinis exordio vt docet S.Thom.art.10. quia ex quæ vnica specie videntur, simul & non successiuè videntur: Beati autem vident prædicta per diuinam essentiam. Vnde August.15. de Trinit.cap.15. *Non erunt ibi volubiles nostræ cogitationes, ab aliis in alia euntes atque redeuntes.* Cuius etiam vlteriorem rationem dat idem D.Thom. lib.3.cont. gent. cap. 60. Vnaqueque res cum venerit ad suum vltimum finem quiescit, cum omnis sit motus ad acquirendum finem: vltimus autem finis intellectus est visio diuinæ essentiæ: Intellectus igitur diuinam essentiam videns, non mouetur ab vno intelligibili in aliud, sed omnia quæ per hanc visionem cognoscit, simul actu considerat. Vnde infert ibidem cap. 61. visionem beatam mensurari æternitate participata, quia nullam compatitur variationem, aut successionem, sed constituit hominem in termino felicissimo in quo nec deficere, nec proficere potest saltem quoad res necessario visas. *Nec enim* (inquit Bernard. lib.5. de consid.) *iam tunc fragilis acies mentis nostræ quantumlibet vehementer intendens aliquatenus resiliet defilietur in suam pluralitatem: colliget se magis, adunabit, conformabitque vnitati illius, vel*

potius vnitati illi, vt vna vni, facies respondeat faciei.

Tertio consideratur homo quatenus est talis persona, publica, vel priuata, putà Papa, Episcopus, fundator Religionis, Rex, Patronus loci, & sic quilibet exigit ea cognoscere quæ pertinent ad statum illum, & hac de causa cognoscit in verbo quilibet sanctus preces ad se fusas. Sed hæc omnia non vident beati ab initio beatitudinis, sed paulatim & successiuè de his illuminantur, secundùm quod exigit status eorum. Quod non tollit inuariabilitatem visionis ipsorum, non quia illa quæ successu temporis eueniunt pertinentia ad suum statum cognoscant extra verbum per speciales reuelationes, hoc enim est expresse contra D.Thomam supra citatum, sed quia horum notitia non sequitur per se ex visione, sed per accidens suppositа Dei reuelatione: Sufficit autem ad visionis beatæ inuariabilitatem, vt ea quæ per se cognoscit, sine successione attingat. Cum his tamen stat beatos sæpe ignorare consilia Dei de rebus ad suum statum pertinentibus, vt patet ex pugna Angelorum quæ refertur Dan. 10. quia Deus non tenetur omnia secreta sua detegere: sed quidquid aperit, intra verbum manifestat.

Sed quid immoror in iis creaturis recensendis, quas beati intuentur? nam vt præclare ait D. Th.a.8.ad 4. *Si solus Deus videretur, qui est fons & principium totius esse & veritatis, ita refleret naturale desiderium sciendi quod nihil aliud quareretur. Vnde dicit Augustin. 5. confess. Infœlix homo qui scit omnia illa, te autem nescit: beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat: qui verò te & illa*

nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus.

Ex dictis etiam facile inferet pius lector, quãta cum pietate suffragia expediat implorare sanctorum, qui miserias nostras precibus fusis detectas in fonte misericordiarum & Deo totius consolationis vident. hinc Bernard. ser. 2. de S. Victore. *Quilibet sanctus in terris visus est, vt esset exemplo; in cœlum leuatus est, vt sit patrocinio; hic informat ad vitam, illic inuitat ad gloriam; factus est mediator qui sibi iam postulat nihil, totum in nos transferre desiderat, & supplicantis affectum, & supplicationis fructum.* Sed præsertim totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus sacram Deiparam interpellemus & veneremur; ad ipsam enim vtpote matrem Dei & Saluatoris nostri, Reginamque cœli & terræ pertinet amplissima rerum vniuersi notitia, quæ digna sit statu ipsius. singularem notitiam comitatur potestas eximia; potestatem, amor indicibilis. Vno verbo: omnia scit *Virgo prudentissima, sedes sapientiæ*; omnia potest *virgo potens*, quidni omnia volet, omnia dabit *mater amabilis, mater misericordiæ, virgo clemens? In omnibus siquidem* (ait Bernar. ser. natiu.) *& per omnia prouidens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem.*

Reflexio.

Dictitare solebat quidam Philosophus interrogatus cuius rei causâ natus foret, *Se Solis ac Cœli videndi gratiâ natum.* Sublimior sane Philosophia Christiana, & longè præclarius specta-

culum proponit, dum ad Deum vt in se est vnum & Trinum solam laborum nostrorum metam nos natos docet, & tanquam ad vnicum spei nostræ scopum præcipit collimare. Insitus est homini sciendi appetitus, bene est, quid ergo moramur, cur ad eum non properamus in quo omnia patent? dicente S. Bernard. lib. 3. de conf. cap. 4. *Quidni videatur ibi cor Dei? Quidni ibi probetur qua sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta? Patent viscera misericordiæ, patent cogitationes pacis, diuitiæ salutis, mysteria bona voluntatis.* Illum Solem intelligibilem aspectabilis Solis conditorem sponsa videre satagebat, dum dicebat Cant. 1. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Vbi Bernard. Serm. 33. *Vultum tuum Domine requiro: vultus tuus meridies; meridies clara tui, & intuitiua visio. O verè meridies! plenitudo feruoris & lucis, Solis statio, vmbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fatorum depulsio! O perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies! O lumen meridianum! O vernalis tempestas! O æstiua venustas! O autumnalis vbertas! & ne quid præteriisse videar! O quies & feriatio hiemalis.*

Væ nobis miseris & cæcis! Patria nostra Cælum est, & Terrena habitatio nos allicit. Conciues sumus Angelorum, & delectat nos conuictus Brutorum. Nati sumus ad calcanda sydera, & volutari in luto lubet. Quis credet huius æui Christianos aliam sperare vitam, qui præsentem tam ardenter concupiscunt? *Quid rogamus* (ait Cyprian. serm. de mort.) *& petimus vt adueniat Regnum Calorum, si captiuitas terrena delectat?* & August. *Va anima*

mudaci, quæ sperauit, si recessisset à te, se aliquid melius habituram. Non est mihi bene sine te, & omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas est.

Finis Libri primi.

LIBER SECVNDVS.

De Deo interiùs operante,

Seu

De Arcanis cordis Diuini.

PRÆLOQVIVM.

SATIVS foret humanæ infirmitati profundum hoc secretorum Diuinorum Pelagus venerari, quam inuestigare. Vt enim rectè cecinit D. Prosper l. de ingr. c. 35. Multa etenim benè tecta latent, nescitaque prosunt : dum mansueta fides quædam dilata modestè sustinet, & nullo ignorat non edita damno. Et grauiter Saluianus : *Hoc ipsum genus sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias, quam sinaris.* Nec minùs verè quidam alter : *Iusta Dei iudicia nemo plenè comprehendit, nemo iure reprehendit.* Est vero scientiæ Diuinæ, voluntatis, & prædestinationis arcanum ita abditum, vt Ecclesia Spiritu sancto ducta ad ineffabilem Mysterij S. Trinitatis celsitudinem declarandam, ea vsurpet verba, quibus Apostolus di-

uinorum iudiciorum altitudinem demiratur. O *Altitudo Diuitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei! Quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ illius.* Quaſi hæ duæ difficultates æquales ſint & parallelæ.

Et Certè S. Auguſtinus poſt Apoſtolum Doctorum omnium in hoc præſertim implexiſſimo negotio extricando ſinè vlla controuerſia facilè Princeps ad admirationem veluti ad vnicum aſylum confugit. *Iam* (inquit lib. de Spirit. & litt. cap. 34.) *Si ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquis nos coarctat, duo ſolùm occurrunt, quæ reſpondere mihi placeat... O altitudo diuitiarum! & nunquid iniquitas eſt apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet quærat doctiores, ſed caueat, ne inueniat præſumptores.* Et Sermo 2. de verb. Apoſt. cap. 6. *Quæris tu rationem, ego expaueſcam; Tu ratiocinare, ego mirer; Tu diſputa, ego credam. Altitudinem video, ad profundum non peruenio; requieuit, qui inuenit admirationem. Nemo quærat à me occultorum rationem. Ille dicit inſcrutabilia, & tu ſcrutari veniſti; Ille dicit inueſtigabiles, & tu inueſtigare veniſti: ſi inſcrutabilia ſcrutari veniſti, crede iam periſti: Tale eſt velle ſcrutari inſcrutabilia, quale eſt velle inuiſibilia videre, & ineffabilia fari.*

His de cauſis fortè meliùs eſſet ea ſilentio præterire, quæ diſſoluere humanæ ignorantiæ non licet, & prudentiſſimo eiuſdem Patris conſilio obtemperare, dum ait lib. 4. de Doctr. Chriſt. cap. 28. *Ne moueamus quod auferre non poſſumus.* Tamen quia morem Theologis gerere & volumus, & debemus; ideo præſcientiam, prædefinitionem, & prædeſtinationem Dei toto hoc libro adorantes ſpeculabimur; memores quod

ſi iuxta Apoſtolicum mandatum in timore & tremore ſalutem operari tenemur, quantò magis hæc ſalutis ſecreta, & Diuini cordis arcana pauidi intuebimur? Quis enim inuenietur tam perfrictæ frontis duritiâ, tanta impudentiæ incude occalleſcens, tam adamantinæ pertinaciæ, qui tam altis iudiciorum Dei, quæ abyſſus multa ſunt, labyrintis non ſtupeat? tantis molibus grauiſſimis non ſuccumbat? tantis ponderibus oppreſſus non fatiſcat? tantis malleis iuſtitiæ Diuinæ non conquaſſetur? tantis poſtremo diuinorum decretorum fulminibus non conteratur? Pulchrè Auguſtinus Serm. 3. de verb. Apoſt. *Mouet me, inquis, quod ille perit, non ille, mouet tanquam hominem. Si verum vis audire, & me mouet, quia homo ſum. Sed & ſi tu homo, & ego homo, audiamus dicentem: O homo tu quis es, vt reſpondeas Deo? Si poſſet loqui pecus, & dicere Deo, quare iſtum hominem feciſti, & me pecudem? Nonne iuſtè ſuccenſeres, & diceres, O pecus, tu quis es, vt reſpondeas Deo? Et tu homo es, ſed à Deo pecus es, & vtinam ſis pecus eius, & ouis paſcuæ eius!*

Itaque poſtquam egimus de perfectionibus conſequentibus eſſe Diuinum, modumque, quo cognoſcitur tum à nobis, tum à beatis explicuimus, tractandum reſtat de perfectionibus pertinentibus ad operationem Dei internam, inter quas primò occurrit Diuina intellectio & ſcientia, quam pertinere ad ordinem operatiuum ſupponentem eſſentiam conſtitutam tam perſpicuè docet S. Thomas initio quæſt. 14. vt mirum ſit aliquos de hoc ambigere. Sed de his ſatis egimus 1. ſuperiori diſſ. 2. c. 2.

Porro in his quæ ad Diuinam ſcientiam, vo-

luntatem,& prædeſtinationem ſpectant, ſemper veridicam SS. Auguſtini & Thomæ doctrinam præ oculis habebimus veluti amuſſim, ad quam omnes aſſertiones noſtras exigemus. In his enim tam periculoſis & ſalebroſis viis effluerent veſtigia, labilique gradu incederemus, niſi nouitati antiquitas anteponeretur. Pelagianæ quippe calliditatis venenum tam facile irrepit & proſerpit, vt eius fallaces flexus & deflexus detegere vel vitare niſi prælucente Patrum vetuſtate non poſſemus. Nam vt eleganter & opportunè Vincentius Lirinen. in comm. *Eſtne aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id quod apud Eccleſiam annuntiatum eſt, annunciet? vel tantæ leuitatis, qui præter id quod ab Eccleſia accepit accipiat? Clamet,& repetendo clamet,& omnibus, & ſemper, & vbique per litteras ſuas clamet ille ille vas electionis, ille Magiſter gentium, ille Apoſtolorum tuba, ille terrarum præco, ille Cœlorum conſcius, vt ſi quis nouum dogma annuntiauerit, anathematizetur. Et contrà reclament ranæ quædam, & Ciniphes, & muſcæ morituræ, quales ſunt Pelagiani, & hoc Catholicis? Nobis, inquiunt, authoribus, nobis principibus, nobis expoſitoribus damnate quæ tenebatis; tenete quæ damnabatis, rejicite antiquam fidem, paterna inſtituta, Maiorum depoſita: & recipite. Quanam illa tandem? horreo dicere ſunt enim tam ſuperba, vt mihi non modo affirmari, ſed ne refelli quidem ſine aliquo piaculo poſſe videantur.* Vides quod niſi præeunte Antiquitatis faſce non poſſumus hæc arcana reſerare, nec Pelagianum virus detegere nec effugere. Hac cautione præmiſſa procedamus.

DISSERTATIO I.

ORDINE VII.

De perfectionibus ad intellectum Diuinum ſpectantibus.

AD intellectum diuinum pertinet ſcientia, cuius proinde exiſtentiam, objectum, & proprietates explicabimus. Ad ipſum ſpectant ideæ, veritas, & vita, de quibus pariter ſermo habendus eſt.

CAPVT I.

De exiſtentia, objecto, & prærogatiuis intellectus & ſcientiæ Dei.

QVamuis intellectus & ſcientia in Deo realiter idem ſint, virtualiter tamen addit ſcientia ſupra intellectum, ſeu præciſam rerum notitiam, hoc quod eſt cognoſcere rem per cauſam: vnde hæc duo monſtranda ſunt.

SPECVLATIO I.

In Deo Intellectus & scientia perfectissimè inueniuntur.

HAnc veritatem vbique inculcant scripturæ, Psal. *Qui fecit cœlos in intellectu.* Ester. 14. *Deus qui habes omnium scientiam: & in tantum apud homines inualuit ista veritas.* (Verba sunt S. Thom. lib. 1. contr. gent. c. 44. *Vt ab intelligendo nomen Dei imponerent.* Nam θεὸς quod secundum Græcos Deum significat dicitur à θεᾶσθαι quod est considerare, vel videre.

Probatur discursu D. Thom. quantò aliqua substantia est supra conditiones materiæ eleuata, tanto est potentior ad cognoscendum: atqui Deus est in summo immaterialitatis gradu, cum sit actus purus: ergo Deus est in summo cognitionis, seu habet intellectum summè & perfectissimè cognoscentem. Maior probatur: tum à posteriori, patet enim considerantibus gradatim ordines rerum, immaterialitatem esse mensuram & radicem intellectualitatis. Plantæ siquidem, licet viuant, nihil cognoscunt, quia habent formas omnino materiæ immersas; forma siquidem plantæ est ita materiâ inuoluta & determinata, vt nullam alienam formam induere possit. Sensus vero, licet sit organo corporeo addictus, habet tamen infimum gradum cognitionis, quia non est veluti ita alligatus circa propriam materiam, quin possit obiectorum suorum species recipere & repræsentare

Anima autem humana cum sit spiritalis & subsistens non est organis addicta, & ideo habet vim cognoscitiuam perfectiorem, vnde & potest intelligere vniuersalia. Sed quia pro hoc statu non intelligit sine dependentia à sensibus, sed conuertit se ad phantasmata, ideo perfectior in Angelis cognitio inuenitur, quia sunt & à materia, & ab ordine ad illam omnino immunes. Vides igitur vim cognoscitiuam immaterialitati accommodari & commensurari.

A priori etiam id ostenditur: in tantum aliquid est cognoscitiuum in quantum præter formam propriam natum est recipere in se formam alterius; non quidem per solam passiuam sustentationem, sicut aër recipit lucem, vel etiam species obiectorum quorum est delatiuum, sed per intimam transformationem, & in ratione obiecti repræsentandi, & ideo dicitur quod intellectus trahit res ad se, sicut voluntas trahitur ab obiecto; atqui in tantum aliquid potest recipere aliorum formas in esse repræsentatiuo in quantum est supra materiam eleuatum, quia per hoc habet maiorem amplitudinem & illimitationem; materia enim limitat formam, & vt ait scriptura, *corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* Cuius etiam inditium habemus experientia, vt enim visus possit recipere species colorum omni colore expers esse debet, & ideo icterici colores bene non discernunt, quia habent oculos auriginoso colore anteoccupatos, intus enim existens prohibet extraneum: ergo vt substantia sit cognoscitiua debet esse immaterialis, & quò magis est à materia immunis, eò perfectius intellectiua, substantia inquam, quia esse intellectiuum non conuenit nisi sub-

ſtantiis non accidentibus quantumvis ſpiritualibus, quia viuere & operari ſolius ſubſtentis eſt. Debet autem accipi hîc immaterialitas, non prout eſt mera negatio, ſed vt includit ipſam ſpiritualitatem quæ præter omnem excluſionem à materia importat etiam poſitiuam perfectionem eo maiorem quo propinquius accedit ad actum purum qui eſt fons omnis perfectionis, & ideo eſt maior in angelis quam in anima rationali, & in Angelis eo altior quo ſunt ordinis ſuperioris. Ex quibus omnia quæ contra rationem D. Thom. opponi poſſent, præuenimus.

Probatur rurſus ſpeculatio duplici ratione D. Thom. loc.cit. cont.gent. rat. 5. & 6. prima, ſic formatur: Deo nulla perfectio deeſt ex his quæ in creaturis inueniuntur: ſed inter perfectiones creatas potiſſima eſt vis intellectiua, nam per hoc quod aliquid ſit intelligens habet rerum omnium perfectiones. Nam vt ſublimiter diſcurrit idem S. Doctor q. 2. de ver. art. 2. res aliqua inuenitur perfecta dupliciter, vno modo ſecundum perfectionem ſui eſſe, quod ei competit ſecundum propriam ſpeciem; ſed quia eſſe ſpecificum vnius rei eſt diſtinctum ab eſſe ſpecifico alterius, ideo in qualibet re creata tantùm deeſt de perfectione ſimpliciter, quantùm perfectionis in aliis ſpeciebus inuenitur: vnde vt huic imperfectioni aliquod remedium eſſet, inuenitur alius modus perfectionis in rebus creatis, ſecundùm quem perfectio quæ eſt propria vnius rei in altera re inuenitur, & hæc eſt perfectio cognoſcentis in quantum eſt cognoſcens, quia ſecundum hoc à cognoſcente aliquid cognoſcitur, quod ipſum cognitum aliquo

modo est apud cognoscentem, & ideo in 3. de anima dicitur animam esse quodammodo omnia, & secundum hunc modum possibile est vt in vna re totius vniuersi perfectio existat: ergo Deus est intelligens, sicut & summè perfectus.

Alia ratio desumitur ex Dei gubernatione, & sic breuiter formatur. Naturæ institutor & gubernator præstituit finem agentibus naturalibus, quæ tendunt semper in fines determinatos & non ex casu: ergo ipse cognoscit finem quem ipsa non cognoscunt, non enim finem præstitueret, nisi intelligeret eius conuenientiam: ergo intellectu præditus est.

Quod vero detur in Deo scientia propriè dicta, quæ est altera pars, probatur. Scientia est cognitio rerum per causam: sed hæc cognitio nullam importat imperfectionem, nec enim de se exigit plures cognitiones, quas habet in nobis propter imperfectionem intellectus nostri, sed solum ex sua formali rationi exigit rem in causa penetrare, & intelligere seu intus legere, quod puram dicit perfectionem: ergo in Deo est propriissima scientia, tum possibilium quæ in essentia vt in causa cognoscit, tum futurorum quæ in sua libera voluntate cognoscit (vt suo loco dicetur) & licet de contingentibus non detur scientia humana, bene tamen diuina, quia contingentia in suo decreto infallibiliter cognoscit, diuina enim prouidentia in sui dispositione non fallitur; tum denique habet scientiam attributorum diuinorum quæ licet non habeant causam habent tamen rationem à priori, propter quam, & in qua cognosci possunt, vt immutabilitas in æternitate, amor in voluntate, & omnia attributa in natura.

Dixi quod intellectus ac scientia sunt in Deo perfectissimè, idest per modum actus puri, ita vt in Deo potentia intellectiua non distinguatur cum fundamento in re ab intellectione, alias intellectus diuinus esset potentialis, determinabilis, & perfectibilis per intellectionem. Vnde solum distingui possunt à nobis penes diuersa munia quæ præstant, & per analogiam ad creaturas. Redibit sermo de his agendo de voluntate Dei.

Quæres, an sint in Deo virtutes intellectuales virtualiter distinctæ?

Respondeo affirmanter, quia licet omnes pertineant ad ordinem intellectualem, tamen considerant suum objectum scilicet diuinam essentiam sub diuersa ratione formali, v. g. intellectus essentiam diuinam considerat sub ratione primæ veritatis, creaturas vero vt participant diuinam veritatem; scientia considerat eandem Essentiam Diuinam, provt est ratio à priori & veluti radix Diuinorum Attributorum, & causa creaturarum; prudentia vero & ars respiciunt eandem Essentiam Diuinam, vt est prima & suprema regula bene agendi, & rectè procedendi in operibus ad extra: Sapientia tamen nihil scientiæ superaddit, quia est consideratio rerum per causas altissimas, vnde licet omnis scientia non sit sapientia, omnis tamen sapientia est scientia.

Reflexio.

Quam verè dixit Apostolus, *Animalis homo non percipit quæ Dei sunt*, & ante ipsum Sapiens, *corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio sensum deprimit multa cogitan-*

tem. & poſt ipſum Tertull. l. de anima c. 20. *Opimitas ſapientiam impedit, exilitas expedit.* & Auguſt. l. 4. contra Iulian. illam Platonis ſententiam commendat. *Non poteſt ſtare voluptas corporis cum cognitione & ſapientia*; quæ mentibus pudicis ſeſe maximè accommodat, ſicut etiam ea corpora quæ maximè ſplendida ſunt, facilius radiis ſolaribus illuſtrantur. Et D. Hieron. l. 1. contra Iouin. obſeruat ideo Ioannem Euangeliſtam plus dilectum à Chriſto ſupra pectus Domini recubuiſſe, ibique tanquam in fonte veritates diuinas potaſſe, quia virgo erat; & poſt reſurrectionem cum piſcaretur in lacu Genezareth Ieſum ſtantem in littore non cognoſcebant alij Diſcipuli, *ſolus Virgo Virginem agnoſcit, & dicit Petro, Dominus eſt.* Immaterialitas eſt radix ſcientiæ, quid ergo mirum, ſi tam pauci quæ ſurſum ſunt ſapiunt? ſi puriſſimæ Euangelij leges frequentiori hominum, qui infixi ſunt in limo profundi, numero ſint inuiſæ? oculis quippe ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis, & palato non ſano pœna eſt panis qui ſano eſt ſuauis, carnis & ſanguinis reuelationes ſequimur, & illius non tam hominis quam lutulentæ pecudis ſtuporem imitamur, qui vt refert Lucas, *Cogitabat intra ſe dicens, quid faciam?* à ſeipſo conſilium exquirit, ſecum loquitur, ſeipſum audit, corpus ſuum adhibet in conſiliarium; vide quam cœnosè concludat: *Anima mea requieſce, bibe, comede, epulare.* Vnde ſtatim audit Deum dicentem ſibi, *ſtulte* hac nocte animam tuam repetunt à te. *Bene ſtulte* (ait Chryſologus ſer. 104.) *quia ibi totum de carne fuerat, nihil de corde: bene ſtultus, qui non rationis ſed paſſionis ductum ſequebatur.*

SPECVLATIO II.

Intellectus diuinus ad omnia cognoscibilia se extendit, & scientia eius est omniscientia.

HÆc assertio postulat solum, vt enucleatè explicemus objecta singula quæ attingit diuina cognitio. In primis igitur Deus cognoscit seipsum, essentia enim diuina est objectum formale diuini Intellectus cum sit eiusdem immaterialitatis & perfectionis cum illo, & ita illi vnita, vt nullatenus realiter ab illo distinguatur: & quia essentia diuina non distinguitur ab attributis & personis, inde fit hæc omnia ab intellectu diuino cognosci, quamuis non nisi ratione diuinæ essentiæ attingantur. Quæ proinde est objectum primarium & principale diuinæ cognitionis quæ terminatur ad suam essentiam prout est in se, id est prout possidet, attributa & personas, quæ habent vnam & eandem increatam intelligibilitatem, immaterialitatem, & veritatem, atque adeo primarij objecti rationem ingrediuntur.

Secundo attingit diuina cognitio omne ens creatum quod est objectum secundarium diuinæ cognitionis, vnde sicut Metaphysicus primariò considerat ens reale, secundariò ens rationis; & sicut chariras per se primo respicit Deum, deinde proximum: Ita Diuina notitia principaliter fertur ad Deum, extensiuè vero ad ens creatum quod est Diuini esse effluxus.

Hæc

Hæc autem iam dicta siue ens increatum, siue quodcumque creatum cognoscit Deus cognitione infinita & comprehensiua, quia tanta est virtus intellectus in cognoscendo, quanta est perfectio cognoscentis, quæ in Deo infinita est. Subindéque intellectus diuinus cognoscit essentiam suam quantum cognoscibilis est: Si autem Deus seipsum perfectè comprehendit, etiam summè penetrat suam virtutem & omnipotentiam, virtus autem perfectè cognosci non potest, nisi cognoscantur ea ad quæ se extendit, & sic Deus comprehensiuè cognoscit omnes creaturas, quas potest producere.

Tertiò protendit se diuina scientia non solum ad ea quæ sunt, sed etiam ad futura & possibilia. Quod attingat futura est veritas fidei cuius *tot testes habet Deus, quot Prophetas*, vt ait Tertul. & passim docent scripturæ Psal. 138. *Omnes vias meas præuidisti.* Dan. 13. *Nosti omnia antequam fiant*, & conuincitur ex infinitate, æternitate, & immutabilitate diuinæ scientiæ, quæ non subsisterent si Deus futura non præcognosceret. Finiretur enim eius cognitio præsentium notitiâ; mutaretur, dum successiuè futura addisceret, subindéque æternitate non mensuraretur eius scientia. Vide supra dum de æternitate, cui omnia futura esse præsentia ostendimus. Quod verò se extendat ad possibilia quantumuis infinita sint hinc patet, quia Deus comprehendit omnipotentiam suam, atque adeo videt ea omnia quæ sua potentia valet efficere quæ vtique sunt infinita. *Quantò enim aliquis intellectus* (ait D. Thom. l. 1. cont. gent. c. 69. rat. 6.) *Est efficacior & limpidior in cognoscendo, tanto ex vno potest plura cognoscere*, sicut virtus

quantò est fortior tantò est magis vnita. Intellectus autem diuinus secundum efficaciam est infinitus, potest ergo per vnum, quod est sua essentia, infinita cognoscere.

Cognitio autem futurorum dicitur scientia visionis; & cognitio possibilium scientia simplicis intelligentiæ, quæ distinctio non est accipienda ex parte diuinæ scientiæ, quia Deus omnia indiuisibili cognitione attingit, sed ex parte obiectorum, quæ per ipsam cognoscuntur, quædam enim sunt à Deo cognita quæ nulla temporis differentia habitura sunt esse; & respectu horum notitia Dei dicitur simplicis intelligentiæ, quia terminatur ad rem non vt coniunctam existentiæ, sed simpliciter vt in Deo est: quædam verò habent aliquando esse in seipsis & extra Deum, & hæc notitia dicitur visionis, quia tunc solum apud nos res videri dicitur, quando habet esse in seipsa.

Quartò diffundit se diuina cognitio ad singularia quæcumque, non solum secundum esse eminens quod habent in Deo, verum etiam secundum esse particulare & singulare quod habent in indiuiduo, tum quia aliàs Deus haberet confusam rerum notitiam quod repugnat perfectioni scientiæ eius: nam cum propria natura vniuscuiusque, ait D. Thom. a 6. consistat secundum quod per aliquem modum diuinam perfectionem participat, non Deus seipsum perfectè cognosceret, nisi cognosceret quomodocumque participabilis est ab aliis sua perfectio: nec etiam ipsam naturam essendi perfectè sciret, nisi cognosceret omnes modos essendi: vnde manifestum est quod Deus cognoscit omnes res propria cognitione. Tum secundo quia

Deus producit & conseruat res secundum esse singulare ; ergo & illud debet cognoscere , aliàs cæco modo ageret. Maximè quia scientia Dei est causa rerum , subindéque est practica : practica vero cognitio (inquit idem S. doctor li. 1. cont. gent. c. 65.) non est perfecta nisi ad singularia perueniat , nam practicæ cognitionis finis est operatio , quæ in singularibus est. Et sic excluſus manet error Auerrois & aliorum , qui perfectioni diuinæ cognitionis singularium notitiam subtrahere nisi sunt. Contra quos dicitur Hæb. 4. *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius.* Et Eccles. 16. *Non dicas Deo, abscondar.*

Quintò porrigit se diuina scientia ad omnia quantumuis vilia , & tantum abest quod hoc nobilitati scientiæ eius repugnet , quod potiùs attestetur, vt ait S. Thom. c. 7. & mirè probat, tum quia res quantumuis vilis habet aliquam perfectionem & nobilitatem , cum sit ens actu; dicitur verò vile respectu nobilioris : à Deo autem magis distant nobilissimæ rerum, quam vltimæ creaturæ distent à supremis : si igitur illa distantia rei vilis à nobiliori impediret Dei cognitionem, Deus nihil cognosceret : quod patet esse falsum. Tum secundò si Deus solum nobilia cognoscit, cognoscet ordinem vniuersi, quod est omnium diuiniùs : sed ordo vniuersi cognosci non potest nisi attingantur nobilia & vilia, quia in eorum habitudinibus & distantiis ordo vniuersi consistit : ergo. Tum tertiò quia tunc solum cognitio vilium redundat in defectum cognoscentis quando dum vilia considerat , à nobilioribus cogitandis abstrahitur , vel ex eorum consideratione in aliquas viles & indebitas

affectiones inclinatur: sed neutrũ in Deo esse potest, qui omnia simul cognoscit, & est bonum per essentiam: igitur cognitio vilium non derogat perfectioni diuinæ cognitionis. Denique virtus non iudicatur parua quæ in paruapotest, sed quæ ad parua determinatur; nam virtus quæ in magna potest etiam in parua potest: cognitio ergo quæ potest simul in nobilia & vilia non est iudicanda: vilis, sed illa quæ in vilia tantum potest: Deus autem & se & alia à se simul cognoscit: ergo non maculatur eius scientia vilia attingendo, sicut nec radij solis sterquiliuij illustratione fœdantur. Vnde dicitur Sap. 7. de diuina sapientia, *quod attingit vbique propter suam munditiam, & nihil inquinatum incurrit in illam*

Vltimò ad mala quoque extendit se diuina cognitio, siue naturæ sint, siue pœnæ, siue culpæ. Dicitur enim Psal. 138. *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Et Psal. 85. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo.* Ps. 68. *Delicta mea à te non sunt abscondita.* Iob. 11. *Ipse nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne considerat?* Ratio est: quia cum Deus cognoscat ordinem vniuersi quem ipse præscripsit, videt mala & nocumenta, quæ possunt quibusdam ex aliis prouenire, vnde & quædam animalia armis instruxit ad defensionem, videt ergo mala naturæ. Bonum etiam vniuersi exigit vt peccatores puniantur: peccata ergo & eorum pœnas Deus cognoscit. Vnde non refugit D. Tho. hic a 16. admittere Deum habere cognitionem practicam malorum, quia licet mala præsertim culpæ non sint operabilia à Deo, cadunt tamen sub practica ipsius cognitione in quantum ea permittit, vel impedit, vel ordinat ad maiora

bona : sicut & ægritudines cadunt sub practica scientia Medici, in quantum per artem suam curat eas.

Nec cognitio malorum inducit in Deo aliquam deformitatem, sicut visio aut pictura monstri non est deformis. Addit. S. Doctor in illo libro toties laudato nec satis vnquam laudando. 1. cont. gent. c. 71. *Quod malorum cognitio nũquam vituperatur secundum idquod per se scientiæ est*, id est secundum iudicium quod habetur de malis, sed per accidens secundum quod per considerationem malorum interdum aliquis ad malum inclinatur : hoc autem non est in Deo, quia immutabilis est: nihil igitur prohibet quin Deus mala cognoscat. Quod si aliquando in scripturis dicatur Deum mala non cognoscere, hoc est vel quia ea dissimulat differendo punitionem ; vel quia non cognoscit per propriam ideam, sed solum per ideam boni, vt dicemus infra ; vel quia ea non cognoscit notitia approbationis, vnde & Virginibus fatuis dixit : *Nescio vos.*

Reflexio.

Intelligite insipientes in populo & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet ? aut qui finxit oculum non considerat ? Psal. 93. id est, vt interpretatur Genebrardus, est ne verisimile vt qui vim audiendi & cernendi hominibus tribuit, ipse res humanas nec videat nec audiat? vnde August. l. 10. conf. c. 2. *Tibi Domine cuius oculis nuda est abyssus humana conscientia, quid occultum esset in me, etiam si nollem confiteri tibi? te enim mihi absconderem, non me tibi.* Diuina

scientia ad omnia & singula se extendit, quanta ergo est nobis necessitas indita probitatis, cum ante oculos agimus Iudicis cuncta cernentis? Proiectæ temeritatis argumentum est, delinquere in conspectu Iudicis supremi, cuius iudicium nulla exceptione declinari, nulla appellatione retardari, nulla reuisione corrigi, nulla pœnitudine flecti potest; Iudicis, inquam, & simul legislatoris, cuius sanciones violantur, leges spernuntur, edicta ipso intuente pessumdantur, occidunt, profanantur. An fortè putas non videre, quia dissimulat? O cæcitas deploranda! quam vehementer arguit August. in regula in illo, qui in mulierem figit oculum arbitrans se à nullo videri. *Sed & si lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore quem latere nihil potest? An ideo putandus est non videre quia tanto videt patientius quantò sapientius? Illi ergo vir sanctus timeat displicere,* Illi, inquam, cuius est; vt ait D. Bonau. in Psal. 118. *Iudicare, iudicare, vindicare.* Ipse enim & indicat abscondita, & iudicat merita, & vindicat illicita. Vnde dicitur. 1. Reg. 29. *Domine Deus Israel indica seruo tuo.* Et 1. Cor. 4. *Qui iudicat me dominus est.* Et Iudith. 16. *Dominus omnipotens vindicabit.*

SPECVLATIO III.

Duæ sunt præcipuæ excellentiæ diuinæ scientiæ, quibus omni creatâ vel creabili antecellit: prima est, quod sit causa rerum; altera, quod sit inuariabilis.

EXplicatur, & probatur primus scientiæ diuinæ caracter. & quidem nemo negat scientiam Dei aliquomodo concurrere ad rerum productionem saltem directiuè cum id expresse doceat scriptura Psal. 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Ad Ephes. 16. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et prou. 8. dicitur de sapientia *Cum eo eram cuncta componens.* Et sanè cum Deus sit agens intellectuale, nec cœco modo procedat in rerum productione, sed cum infinita sapientia, omnia in numero, pondere, & mensura efficiat, fit inde scientiam diuinam prælucere omnibus operationibus diuinis iuxta illud prou. 3. *Dominus sapientiâ fundauit terram, stabiliuit cœlos prudentiâ*; & illud August. l. 11. de ciuit. c. 10. *Deus non fecit aliquid nesciens.* Sed in hoc nihil singulare habet diuina scientia: hoc enim commune est omnibus agentibus intellectualibus. Difficultas ergo restat an scientia diuina non solum dirigat diuinam voluntatem, sed etiam ipsum opus efficiat suppositâ voluntate, atque adeo vtrum non solum scientia simplicis intelligentiæ speculatiuè concurrat ad

opus, sed an etiam ipsa scientia visionis executioni mandet; & hoc est speciale priuilegium, quod diuinæ scientiæ asseritur.

Probatur primo, non solum authoritate scripturæ locis citatis asserentis quod proprium est Diuinæ scientiæ, *facere, componere, operari, stabilire, fundare*, quæ omnia non solam directionem sed efficaciam indicant, sed etiam expressis authoritatibus Patrum: Dionys. l. de diuin. nom. c. 7. *Scientia diuina omnium est artifex, & semper omnia componit.* August. lib. 5. de Trinit. cap. 15. *Vniuersas creaturas spiritales & corporales, non quia sunt ideo nouit Deus, sed ideo sunt quia nouit.* Et clariùs lib. 13. confess. c. 38. loquitur de scientia visionis. *Nos itaque ista quæ tu fecisti videmus, quia sunt; tu autem quia vides, ea sunt.* Gregor. lib. 20. mor. cap. 23. *Quæ sunt, non ab æternitate eius ideo videntur quia sunt; sed ideo sunt quia videntur.* Et rursum lib. 32. mor. cap. 6. *Non existentia videndo creat, existentia videndo continet.* Denique D. Thom. hic q. 14. à 8. non solum asserit scientiam Dei esse causam rerum sicut scientia artificis est causa artefactorum, & calor principium calefactionis: sed etiam addit scientiam Dei, quæ est causa rerum, supponere determinationem voluntatis, quod vtique conuenit scientiæ visionis. Et ibidem ad 1. explicans locum Origenis (quo vtuntur authores moderni oppositum sentientes) dicentis non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo antequam fiat. Respondet S. Præceptor. *Quod dicit* (Origenes) *Ideo præscire Deum aliqua, quæ sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentiæ, non*

secundum causam essendi, sequitur enim quod si aliqua sunt futura quod Deus ea præscierit ; non tamen res futuræ sunt causa, quod Deus sciat.

Probatur secundò ratione : Deus producit res per actum imperij, vt colligitur ex illo *Fiat lux.* Et Psal. 148. *Dixit, & facta sunt ; mandauit, & creata sunt* & Matth. 8. *Volo, mundare.* Quæ duo verba separatim legenda sunt, vt obseruat Hieron. Sed actus imperij est actus intellectus & scientiæ visionis Dei : ergo scientia visionis est causa rerum. Probatur minor : actus imperij pertinet ad intellectum practicum, supponens determinationem voluntatis : imperium enim est intimatio, ordinatio, & præceptum quod exprimitur hoc verbo, *fac hoc*, quæ omnia pertinent ad intellectum practicum, intimatio enim est spiritualis locutio, quæ pertinet ad intellectum, qui est veluti os substantiæ spiritualis, iuxta illud, *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.* Ordinatio etiam ad intellectum spectat, quia est effectus prudentiæ exequentis, prudentia vero est in intellectu; præceptum pariter, quia cum sit actus superioris pertinet ad supremam potentiam, quæ est intellectus : atqui actus intellectus practici supponens determinationem voluntatis non est scientia simplicis intelligentiæ, quæ antecedit decretum : ergo est scientia visionis, quæ decreto innixa est, vnde sola est scientia libera.

Confirmatur : scientia simplicis intelligentiæ habet solum ostendere factibilia, sed ea non facit ; ostendere enim quid sit faciendum non est operari ; voluntas etiam & decretum non habent de se nisi velle opus ; velle autem opus non est facere, sed superest executio, in qua to-

tum negotium positum est, sæpè enim cognoscimus quid sit faciendum, & interdum volumus, & tamen in executione deficimus: ergo præter cognitionem agendorum, præter voluntatem faciendi requiritur actus imperans hic & nunc executionem, non quod Deus patiatur difficultatem in executione, cum eius voluntati nihil resistat, sed propter distinctionem obiectorum distinguimus in Deo actus, sicut scientia visionis distinguitur à scientia simplicis notitiæ: obiectum autem vt executioni mandandum addit aliquid obiecto vt factibili, & volito: ergo in Deo præter scientiam simplicis intelligentiæ, præter voluntatem faciendi datur etiam actus imperij efficax, quo non existentia videndo producit; existentia videndo conseruat.

Hæc tria egregiè distinguit D. Thom. in 1. dist. 38. q. 1. a. 1. Sicut est causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est causalitas diuinæ scientiæ. Est ergo iste processus in productione artificiali. Primò scientia artificis ostendit finem, nimirum opus faciendum: secundò voluntas eius intendit finem illum: tertiò voluntas imperat actum per quem educatur opus, circa quod opus scientia artificis ponit formam conceptam. *Vnde scientia se habet vt ostendens finem, & vt dirigens actum, & informans opus.* Vides, quod in tantum voluntas imperat in quantum ex efficaci voluntate sequitur actus intellectus informans opus: & sic scientia habet rationem potentiæ exequentis, qua producitur opus iuxta formam concepram quæ operi imprimitur. Ex hac etiam doctrina habetur triplicem conceptum esse distinguendum in scientia visionis, scilicet contemplationis, dire-

ctionis & executionis. Qua obseruatione solues omnia argumenta oppositæ sententiæ Molinæ, Suaris, & aliorum Antithomistarum.

Obiicies : visio intuitiua supponit obiectum: ergo non causat, alias Deus videndo peccata, ea efficeret.

Respondeo visionem diuinam respicere res non per existentiam sibi præsuppositam, sed à se deriuatam. Sicut intellectio qua Pater generat filium est intuitiua filij, & tamen respicit filium vt procedentem : sic visio creaturarum est creatiua, dixit enim & facta sunt : & exemplum ministrat philosophia, nam intellectus producendo verbum illud contemplatur. Nec tamen causat peccata, quia visio & scientia Dei non est causa rerum formaliter vt visio, sed vt est executio & intimatio voluntatis ; vnde sicut ea non vult Deus, ita nec videndo efficit. Et sic exponendi veniunt quidam Patres qui dicunt non ideo res esse futuras quia Deus nouit, sed è contra : nam vel loquuntur de peccatis ; vel solum excludunt scientiam Dei libertatem necessitantem, vel demum interpretatione qua D. Thom. supra explicat Origenem, exponendi sunt.

Altera pars speculationis, seu alterum diuinæ scientiæ priuilegium facile probatur : nam cum substantia diuina sit actus purus, necesse est quod identificet sibi omnem perfectionem proindeque scientiam, aliàs esset ens potentiale. Vnde dixit August. l. 7. de trinit. *In Deo hoc est esse, quod sapientem esse* : Ergo sicut substantia Dei est omnino immutabilis, ita & scientia prorsus inuariabilis ; maximè quia quidquid est vel esse potest secundum aliquod tempus Deus

ab æterno sibi præsens agnoscit.

Ex his duabus dotibus multæ aliæ consequuntur quas prosequitur D. Thomas in hac quæst. vt quod scientia Dei sit speculatiua respectu suæ bonitatis, sit verò speculatiuo-practica respectu creaturarum quarum naturam & proprietates nedum perfectissimè comprehendit, sed etiam operatur iuxta exemplar suarum idearum, cum sit causa rerum. Deducitur etiam scientiam Dei non esse discursiuam, cum enim omnia Deus in essentia sua, vt in causa inuariabiliter cognoscat, fit inde quod omnia simul intelligit, & non successiuè ex cognitione vnius noti procedens ad cognitionem ignoti.

Addit S. Doctor l. 1. cont. gent. c. 57. quod tunc est ratiocinatiua nostra consideratio, quando ab vno considerato in aliud transimus, sicut sillogisando à principiis ad conclusiones, non enim ex hoc aliquis ratiocinatur vel discurrit, quod inspicit qualiter conclusio ex præmissis sequatur simul vtrumque considerans, hoc enim contingit non argumentando, sed argumenta iudicando; sicut nec cognitio materialis est ex eo quod materialia diiudicat: Deus autem non considerat vnum post aliud quasi successiuè, sed simul omnia: non ergo cognitio eius est ratiocinatiua, vel discursiua, quamuis omnem discursum vel ratiocinationem cognoscat.

Vnde sic caput concludit: *Deus habet sillogisandi scientiam, tamquam iudicans, & non sillogisando discurrens. Huic autem veritati etiam sacra scriptura testimonium perhibet: dicitur enim ad Hab. 4. omnia nuda sunt & aperta oculis eius, quæ enim ratiocinando scimus, non sunt secundum se nobis nuda, & aperta, sed ratione aperiuntur & nu-*

dantur. Ex eodem principio excludit à Deo ibidem c. 58. compositionem & diuisionem, & illud sic concludit: *Non autem propter hoc oportet nos dicere, quod Deus enuntiabilia ignorat: nam essentia sua cum sit vna & simplex, exemplar est omnium multiplicium & compositorum, & sic per ipsam Deus omnem multitudinem & compositionem cognoscit. His autem sacræ scripturæ authoritas consonat. Dicitur enim Isai. 55. Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ. Et tamen in Psal. 93. dicitur Dominus scit cogitationes hominum*, Quas constat per compositionem & diuisionem procedere. Dionis. Etiam dicit capite septimo de diu. nom. *Diuina sapientia seipsam cognoscens cognoscit omnia & materialia immaterialiter, & iudiuisibiliter diuisibilia, & multa vnitiuè.*

Dices: homo factus est ad imaginem Dei, per hoc quod est rationalis & discursiuus: ergo in Deo etiam datur discursus; vt sit similitudo inter imaginem & prototypum.

Respondeo hominem esse imaginem Dei non per discursum & rationem, sed per intellectum simplicem quo intelligimus principia, vel quo contemplamur vno intuitu veritatem partam per discursum, qui est excellentior modus cognoscendi, vnde iste solus in Deo inuenitur. Nam vt mirè discurrit idem Angelicus Doctor ibidem c. 54. rat. 7. *Quod est supremum in nobis, est inferius eo quod est in Deo; nam inferius non attingit superius, nisi in suo summo: supremum autem in nostra cognitione, non est ratio sed intellectus, qui est rationis origo: Dei igitur cognitio non est ratiocinatiua, sed intellectualis tantum.*

REFLEXIO

Verè dixit Ecclesiasticus 23. *Oculi Domini*

multò plus lucidiores sunt super solem, Qui radiis suis corruptibilia solum generat, Deus vero aspiciens animum nostrum ditat, & aspectu beat. Fœlix quem Deus respicit! nam vt ait Chrysolog. ser. 34. *Donatur bonis, malis caret, quem viderit Deus.* Idem apparet in lacrymis Petri, quæ fuerunt partus oculorum Christi dicente Luca 22. *Conuersus Dominus respexit Petrum, & egressus foras, fleuit amarè.* Et in beatissima Virgine quam respiciens Deus bonis omnibus cumulauit, *respexit*, inquit ipsa *Humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Dicunt naturalistæ quorumdam fascinantes oculos necem inferre, idque contingere in occursu oculorum cum nimirum aliquis intuetur oculum venenosum, hic mutuus aspectus mortem parit: at diuinus intuitus dum aspicit parit vitam, modo à nobis pariter aspiciatur: vt patet allato exemplo Petri. *Christus oculis Petrum alloquitur, & Petrus oculis flentibus respondet, & mauult causam suam flere quam dicere, & quod voce negauerat lachrymis confitetur.* Vt ait Ambros. serm. 46. de pœnit. & l. 10. in Luc. 22. *Quos Iesus respicit plorant delictum. Negauit primò Petrus & non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus. Negauit secundò: non fleuit, quia non respexerat Dominus. Negauit & tertiò: respexit Iesus, & ille amarissimè fleuit: Respice Domine Iesu, vt sciamus nostrum deflere peccatum, lauare delictum.*

CAPVT II.

De Ideis, veritate, & vita Dei.

QVia (vt ait S. Thom. initio q. 14.) omne cognitum est in cognoscente, rationes autem secundum quod sunt in cognoscente ideæ vocantur: ideo post considerationem diuinæ scientiæ agendum est de ideis diuinis. Rursus quia scientia verorum est, & insuper intelligere est perfectissimus gradus vitæ, consequenter de veritate & vita Dei impræsentiarum agemus.

SPECVLATIO I.

Dantur in intellectu diuino Ideæ seu exemplaria rerum omnium ad quæ Deus respicit, dum extra operatur: quæ nihil aliud sunt quam essentia diuina cognita vt participabilis à diuersis creaturis.

ANtequam suadeatur hæc positio opere pretium est aduertere, hanc esse communem ideæ definitionem. *Idea est forma obiecta intelli-*

ctui intra ipsum existens, ad quam aspiciens artifex operatur. Dicitur *forma*, quia idea habet rationem causæ formalis extrinsecæ, cui res producenda conformatur. Dicitur *obiecta intellectui*, vt distinguatur ab habitibus & speciebus, quæ sunt formæ accidentales existentes quidem in intellectu per modum principij intellectionis, sed non per modum obiecti: nam quamuis idea sit species & conceptus cognoscentis, tamen non ea ratione est idea, quatenus est principium vel terminus cognitionis, sed quatenus reddit obiectum expressè cognitum tanquam rationem exemplandi res ad extra. Hoc enim proprium est rerum repræsentantium, quod non solum considerantur secundum suam entitatem, sed etiam in eis attenditur obiectum depictum & repræsentatum: sicut speculum non solum consideratur vt est Crystallus, vel aqua limpida amnis reuerberantis lucem, sed obiectum ipsum in Crystallo, vel aqua nitida inspicitur: similiter conceptus non est idea prout reddit intelligentem, sed prout exhibet obiectum imitandum. Additur *intra intellectum existens*, vt distinguatur ab exemplaribus externis, quibus interdum artifices vtuntur, dum opera sua elaborant: idea autem influit intelligibiliter & vitaliter in opus, vnde debet esse intra intellectum. Denique ponitur quod *ad eam artifex inspiciens operatur*, vt distinguatur à forma naturali, quæ influit in effectum absque huiusmodi reflexione; neque enim bos generans bouem aliquam formam imitandam respicit, vt eam generatione propaget. Hoc notato.

Prima pars assertionis est expressa doctrina Patrum Dionis. c. 5. de diuinis nomi. Vbi ratio-

nes rerum in mente diuina existentes vocat *Exemplaria & rationes substantificas.* Augustin. inquientis l. 83. qu. q. 46. *Tanta vis in ideis constituitur, vt nisi eis intellectis sapiens nemo esse possit.* Bœtij l. 3. de consolat. metr. 9. *Tu cuncta superno ducis ab exemplo.*

Ratio est: quidquid Deus ad extra operatur non temerè, vel cœco modo, sed summa sapientia in numero, pondere, & mensura producit, vt tota scriptura docet, & enarrat totius ordo vniuersi: ergo necessario confitendum est dari in supremo artifice rerum omnium exemplaria ad quæ respiciens operetur ad extra. Et quæ, vt ait S. Prosper, *Relucent in codicibus cœlorum, & in paginis elementorum.*

Secunda pars probatur: essentia diuina est causa creaturarum omnium, à quibus est imitatione participabilis. Ergo Deus intuens suam essentiam videt omnes modos quibus est communicabilis sua perfectio; ac proinde inspiciens suam essentiam intelligit illam esse imitabilem à tali, & tali creatura, hoc vel illo modo: atqui hoc est habere rationem ideæ seu formæ imitabilis: ergo essentia diuina cognita vt participabilis diuersimodè à creaturis habet rationem ideæ creaturarum.

Confirmatur breui confutatione aliorum modorum explicandi diuina ideas: inprimis non potest dici quod ideæ diuinæ sunt ipsemet creaturæ obiectæ intellectui Diuino: quia creaturæ secundum se non possunt cognosci à Deo nisi vt creabiles & faciendæ, ac proindè, vt sic loquar, veluti ideabiles: ergo non sunt formæ vel ideæ ad quas Deus respicit, sed ab alia inspecta originantur. Non potest etiam asseri cum

aliis, ideas in Deo esse conceptum diuinum; nam creaturæ producibiles non imitantur Deum sub ratione conceptus. Imò nec ipse conceptus in nobis habet rationem ideæ prout afficit intellectum, eumque reddit intelligentem, sed secundum munus repræsentandi obiectum, sub qua ratione est deriuabilis ad extra. Restat ergo vt dicamus cum D. Thom. q. 15. a. 1. ad 2. & a. 2. Ideas diuinas nihil aliud esse, quam essentiam diuinam cognitam vt diuersimodè participabilem à creaturis: talis quippe idea tantum decet artificem.

Obiicies: idea debet continere formaliter ideatum, cum istud fiat ad instar illius: sed essentia diuina non continet formaliter creaturas, saltem quoad perfectiones secundum quid, quæ habent admixtam imperfectionem, vt esse hominem, Leonem, &c. Ergo essentia diuina non potest esse idea creaturarum.

Respondeo quod vt essentia diuina sit idea rerum omnium creabilium, sufficit vt sit diuersimodè imitabilis ab illis secundùm aliquem gradum entis: nullum enim est ens quantumcumque imperfectum quod in se non exprimat licet deficienter aliquam perfectionem Dei vel esse, aut viuere, vel intelligere: Deus ergo intuens plenitudinem essendi quâ diteſcit, videt etiam omnes modos quibus talis eminentia effluere potest in creaturas. Quare non requiritur vniuoca similitudo inter ideam & ideatum, præsertim quando est idea artificis infiniti, & super omnia à se producibilia immensum erecti, qui debet agere per ideam ordinis superioris, non restrictam & limitatam ad vnum ideatum.

Instabis : licet sol sit eminenter calidus, non est tamen idea caloris : ergo licet essentia diuina eminenter omnes creaturas contineat, non tamen poterit esse idea creaturarum.

Respondeo negando paritatem : quia totum quod in calore est non deriuatur à luce solis, sed ad productionem caloris conducit dispositio materiæ sublunaris, in qua recipiuntur radij solares : cuius signum est, quod sol non producit calorem in corporibus cœlestibus ; nec corpora sanctorum *septempliciter*, vt ait scriptura, sole lucidiora producent calorem in paradiso : si autem sol esset adæquata causa caloris, penetrans naturam solis in eo videret ideam caloris. Essentia autem diuina est causa omnium omnino effectuum, ipsius quoque materiæ primæ, vnde omnium & singularum creaturarum idea esse potest.

Vrgebis : vel est vnica idea in mente diuina, vel plures ; si vnica, ergo eadem est idea hominis & Leonis, quod patet esse falsum ; si plures, ergo ideæ non sunt essentia diuina cognita, quæ vnica est.

Respondeo sine dubio plures esse in Deo ideas, non quidem realiter distinctas, quia in diuinis omnia sunt vnum, nisi vbi obuiat relatiua oppositio, sed ratione differentes : quia idea in Deo non est præcisè essentia Dei, sed essentia Dei cognita prout est ratio faciendorum, & quatenus est tali vel tali modo imitabilis : Deus autem cognoscit in essentia sua plures rationes faciendorum, & diuersos modos, quibus est imitabilis, puta ab Angelo, secundum vnum gradum entis; ab homine, secundùm alium modum in eodem gradu; à lapide, secundùm alium gra-

dum essendi. Vnde Augustinus loco citato: *Omnia ratione sunt condita, nec eadem ratione homo, qua equus, hoc enim absurdum est existimare.*

Insistes: in Deo non sunt plures artes, sed vnica: ergo nec plures ideæ, sed vna, quam inspicit ars diuina. Et certè si plures admittamus in Deo ideas virtualiter distinctas, multiplicabuntur in infinitum, & sic erunt infinita attributa idealia, nec sufficiet vnum attributũ ad omnes creaturas repræsentandas, quod videtur inconueniens.

Respondeo esse magnum discrimen inter artem & ideas diuinas: ars enim concurrit ad opus per modum principij effectiuè inducentis & imprimentis formam præconceptam: Idea verò concurrit per modum prototypi, exemplaris, & causæ formalis extrinsecæ; vnde se tenet ex parte obiecti repræsentati & ideo non sunt in Deo plures artes, quia est in eo vnicum principium agendi ad extra; sunt tamen plures ideæ, sicut sunt plura obiecta repræsentata in mente diuina & cognita in eius essentia: vnde nec ideæ sunt plura attributa, quia attributum dicit perfectionem ex parte subiecti se tenentem, quam perfectionem virtualiter non multiplicant ideæ, sed solum multiplicant obiecta cognita, sicque non sunt plures ideæ in Deo nisi secundum officium & munus distinguendi creaturas.

Persistes: vniuersum est vnum vnitate ordinis: ergo Deus habet etiam vnicam ideam repræsentantem totum vniuersum, & partes eius, sicque frustra in Deo admittuntur plures ideæ.

Respondeo quod licet vniuersum sit vnum vnitate ordinis, non tamen vnitate rei producendæ: & ideo quamuis Deus habeat vnicam ideam totius vniuersi, habet etiam speciales

ideas rerum prout inter se distinguntur: sicut artifex habens ideam totalem domus habet etiam ideã specialem scamni,& mensæ & multo magis id de Deo censendum est, qui habet prouidentiam ad minima se extendentem, & qui posset, si vellet, vnumquodque indiuiduum solitarie producere, sine ordine ad vniuersum.

Obsistes adhuc: si Deus cognoscat plures rationes in sua essentia, quibus eam comparet ad res: ergo facit ens rationis, nam illi respectus ideales diuinæ essentiæ ad creaturas non sunt reales in illa sed cogniti, atque adeo formati ab intellectu diuino: tunc enim formatur ens rationis dum cognoscitur, cum totum ens sit cognosci,& hoc indicat D. Th.hic a.2.ad 3.Dicens,respectus ideales esse causatos ab intellectu diuino comparante suam essentiam ad res.

Respondeo de hac re iam solemne esse apud Logicos vel Metaphysicos disputari, pro nunc paucis dico, quod licet imitabilitas Diuinæ essentiæ non possit à nobis intelligi nisi concipiendo aliquem respectum rationis in essentia diuina ad creaturas: aliter tamen Deus illam cognoscit per hoc solum quod percipit creaturas subiectas imitabilitati essentiæ diuinæ. Et licet Deus videat à nobis apprehendi respectus rationis ad instar formæ realis huiusmodi tamen relationes ipse non fingit, sicut dum videt nos discurrere, non propterea ipse discurrit, sed speculatiuè videt nostras fictiones & discursus, non practicè, quia non cognoscit non ens ad instar formæ realis, licet illud cognoscat per formam entis realis: tunc autem solum efficitur ens rationis. ait D. Thom. opus 42. c. 2. *Quando intellectus nititur apprehendere quod non*

est, & ideo fingit, ac si ens esset. Deus autem non sic cognoscit non ens, fingendo & veluti vestiendo illud entitate reali, sed vt est in se. Sed de his Philosophi. Hoc tamen apud omnes certum debere esse opinor, quod cum idea sit illud cui assimilatur ideatum, & ad cuius instar fit, planum est ideam non posse esse ens rationis, cui assimilari non potest res ideata quæ est realis.

Quæres quorum Deus habet ideam?

Respondeo Deum habere ideas rerum omnium possibilium, & futurarum quia cognoscit quo modo, quaue arte formari possint. Notat tamen S. Thomas Deum non habere propriam ideam materiæ primæ distinctam ab idea formæ & compositi, quia cum materia non sit capax propriæ existentiæ non est per se porducibilis, adiuncta tamen formæ habet ideam, quia in tantum res aliqua habet ideam in quantum est producibilis. Alia vero omnia quæ sunt capacia existentiæ propriæ certum est quod habent propriam ideam, sicut per se & solitariè sunt producibilia, & ideo non est opus per singula discurrere. de peccato dicam statim.

Reflexio.

Fatentur omnes Theologi solius peccati Deum non habere ideam: nam sub diuina arte non cadit, quod diuinam causal tatem subterfugit, quale est peccatum. Maximè quia vel Deus ideam haberet deficientem vel perfectam; non deficientem cum sit perfectissimus; si autem perfectam, malum esset bonum vtpotè diuini exemplaris expressiuum. Horrendum planè & detestandum monstrum, cuius nec ideam Deus pa-

titur. Vnde non mirum, si Deus peccatoribus dicat, *nescio vos.* Non mirum, si peccator dicatur *reductus ad nihilum*, imò si affirmatur non esse. Esther 14. *Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt*, id est peccatoribus. Et Sapient. 5. dicunt peccatores, *Sic nos continuo desinimus esse.* Quia nimirum homo dum incipit esse malus recedit ab idea quam in Deo habet. Vnde recte Boët. lib. 4. de consolatione. *Desinunt esse quod fuerant, sed fuisse homines ipsa humani corporis species ostentat, quare versi in malitiam, humanam quoque amisere naturam.* Hinc præclarissimè Marsil. Ficinus in conuiu. Platon. peccatores semi-homines appellat his egregiis verbis. *Qui Deum vero amore prosequutus fuerit Deum inueniet, & se in Deo recuperabit, quia ad suam per quam creatus est redibit ideam, vbi rursus reformabitur, quia idea sua perpetuo cohærebit. Ideo quisquis nostrum in terris à Deo separatus est, non est verus homo, sed semi-homo, cum à sua idea sit formaque disiunctus.*

SPECVLATIO II.

Deus est prima, summa, & incommutabilis veritas.

HOc attributum non solum magnificant passim Scriptura & Patres, sed etiam philosophi lumine naturali ducti inter quos nonnullus dicebat, quod si Deus visui fieret aspectabilis, assumeret lumen corporis vice, & vice animæ veritatem.

Probatur : Veritas accipitur tripliciter in essendo, in cognoscendo, & in dicendo. Veritas in essendo est proprietas entis secundum quam res habet esse fixum, ratum, & tale quod sit consonum intellectui Diuino res prout esse debent cognoscenti. Veritas in cognoscendo est conformitas cognitionis cum obiecto. Veritas in dicendo seu veracitas est conformitas dictionis cum cognitione. Atqui hæc triplex veritas in Deo perfectissime inuenitur: Ergo Deus est summa veritas probatur minor, & primo quidem de veritate in essendo, nam esse Diuinum non solum est conforme suo intellectui, sed etiam est ipsum intelligere. Quantum vero sit indefectibile esse Diuinum satis patet ex dictis de immutabilitate, & ætrenitate.

De veritate etiam in cognoscendo idem patet: cum enim scientia Dei sit perfectissima & infinita, pertingens ad intima quorumcumque cognoscibilium, vt supra demonstratum est, manifeste relinquitur Diuinum intellectum res cognoscere prout sunt in se. Imò obseruat D. Thom. multis in locis huius quæst. 16. aliisque, hanc esse differentiam inter cognitionem Dei, & intellectus creati, quod Diuina est mensura & regula veritatis rerum, à quam potius cognitio creata regularatur. Vnde sicut res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum artificis à quo per se pendent (dicitur enim domus vera quæ assequitur similitudinem formæ quæ est in mente boni artificis) ita res naturales dicuntur esse veræ, secundum quod assequntur similitudinem idearum quæ sunt in mente Diuina; dicitur quippe verus lapis qui assequitur eam naturam, quam idea lapidis

pidis in Deo repræsentat. Cum enim omnis creatura sit vestigium Dei, & aliqualis expressio plenitudinis essendi quæ in Deo est, discernitur legitima alicuius natura à ficta vel spuria per originale Diuinum, & quamuis nos non possimus recurrere ad ideas diuinas quas ignoramus, nihil refert, quia nos pro hoc statu cognoscimus res dependenter à sensibus, quibus sola accidentia percipimus, nec latentes essentias peruadimus: & inde ad accidentia recurrimus, quando discernere volumus inter legitimum & spurium, inter aurum & auriculum. sed Deus, & etiam beati de veritate rerum iudicant per exemplar infallibile Diuinarum idearum.

Denique de veritate in dicendo facile demonstratur, tum quia attestatur Scriptura Deum esse ita veracem, vt impossibile sit ab ipso proferri falsitatem vel mendacium num. 23. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur.* Rom. 3. *Est enim Deus verax, omais autem homo mendax.* Psalm. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Hebr. 6. *impossibile est mentiri Deum.*

Probatur ratione: Si Deus esset capax mendacij dicendo falsum & animo fallendi, vel id esset per seipsum immediatè, vel mediantibus suis administris: neutrum dici potest: ergo in Deo est summa veracitas. Probatur minor quoad primam partem: sicut malum & bonum repugnant, ita verum & falsum: sed primæ & summæ bonitati repugnat omne malum: ergo primæ & summæ veritati repugnat omne falsum: pura enim veritas non est, cui potest falsitas vel fallacia permisceri: Nec summa veritas est, qua maior concipi potest; maior autem est illa ve-

ritas, cui omnis falsitas repugnat.

Secunda pars minoris inde etiam manet probata: quia si Deus posset per alium decipere eius veritas summa non esset, maior enim foret illa quæ nec per se neque per alium fallere potest. Adde 1. quod eiusdem deformitatis est præcipere malum, ac illud patrare, nam moralis causa censetur ea cuius imperio delinquitur: Vnde ministrorum fallacia Deo decipienti iure tribueretur, si Deo imperante mentirentur. Adde 2. quod si Deus per ministros suos falleret nos, cum per seipsum raro admodum loquutus sit, nulla esset firmitas in sacris litteris hominum ministerio exaratis, quibus fidem adhibere minime tenebimur, si non constaret Deum neque per se, neque per alios posse decipere. Nec sufficit dicere Deum posse declarare per quosdam certos ministros non mentiri: Nam si absolute mentiri posset Deus, merito dubitabo an in illa ipsa sua declaratione mentiatur, sicut in simili contra permittentes mendacium argutè discurrit August. lib. cont. mend. cap. 4. & 18. *Quomodo credendum est ei, qui putat quandoque esse mentiendum, nam tunc fortè mentitur, cum præcipit ei vt credamus.* Difficultates, quæ contra hoc ex quibusdam scripturæ locis opponi possent, expediemus alibi.

Quæres quid sit adorare Deum in veritate, de quo dicitur Ioan. 4. *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate.* Quid item, inuocare Deum in veritate, de quo dicitur Psalm. 144. *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, inuocantibus eum in veritate.*

Respondeo id nihil aliud esse quam cultum Diuinum non in solis externæ venerationis ce-

remoniis, ſed ſolidarum virtutum praxi conſiſtere. Licet enim externus cultus, præſertim vero ſacri ritus ab Eccleſia approbati multùm ad pietatem conducant; parum tamen vel nihil iuuant, niſi ſolemnem foris ritum internus comitetur affectus. Itaque ſicut in naturalibus ad diſcernendum verum à falſo, ſolidum ab apparenti, legitimum à ſpurio triplici vtimur regula, inquirimus enim principia, diſcutimus prædicata conſtitutiua, & conſideramus effectus, illud v.g. credimus verum aurum, quod in aureis mineralibus genitum, cui deffinitio auri competit, & cui non deſunt auri proprietates & ſigna, vt color, ſoliditas, pondus, efficacia: Ita pariter ille in veritate Deum adorat, veriſque non adulterinis fulget virtutibus, quas charitas omnium principium & forma mouet & applicat; quibus vera virtutis notio non larua & vmbra conuenit (ſolent enim ſæpius vitia ſpeciem virtutis induere) & demum quæ crebros prorumpunt in actus. Ille ergo inuocat & adorat in veritate, qui Deum vnicè quærit, qui corde non labiis Deum honorat, & qui exhibitione bonorum operum internum cordis affectum prodit.

Reflexio.

Quæ mox diximus pro reflexione ſufficerent. Sed addo triplicem Deo aſſertam veritatem eſſe totius Chriſtianæ vitæ exemplar. Veritatem in eſſendo exprimimus, ſi veri homines ſumus: pauci enim ſunt tales; vnde Hieremias aiebat c. 4. *Intuitus ſum, & non erat homo*, quia pauci rationem, qua homines ſunt, ſequuntur. Vnde Beat. Damaſc. in vita Barla. & Ioſaph.

c. 18. Narrat Barlaamum interrogatum à Ioſaphato Rege Indiarum quot annis natus eſſet reſpondit ſe 45. annum attigiſſe, quod mirans Ioſaphat videns eum ſenio confectum & canitie rugiſque venerabilem, rationem ab eo audiuit. *Quando viuebam ſeruiens peccatis mortuus eram, annos mortis numquam vitæ nominabo.* Et Epictetus dicebat: *Hominis nomine dignus non eſt, qui virtutis ſtudioſus non eſt.* Moritur ergo & caret eſſe, qui Deo non ſeruit, cuius proinde veritatem in eſſendo non aſſequitur. Veritatem in cognoſcendo exprimimus ſi res non ſtateris hominum mendacibus, ſed pondere ſanctuarij & lumine diuino appendamus? ſi tale iudicium de rebus feramus, quale Deus fert, ſi floccifaciamus quæ Deus paruipendet, quæ vero pluris facit pretio habeamus. Si ita de rebus ſentiremus, maioris ponderis apud nos eſſet actus virtutis, quam omnia bona terrena. Denique veracitas diuina in lingua noſtra relucebit, ſi deponentes mendacium veritatem loquamur, ſi ſimulationem, amphibologiam, reſtrictionum, & æquiuocationum vſum ſocietatis humanæ inimicum damnemus. Nam *Væ duplici corde*; & abominatio eſt ante Deum *pondus & pondus.* Nec ſolum apud Deum, ſed etiam apud homines, nam vt ait Auguſt. in enchir. c. 17. *Ita ſque adeo rationalis natura refugit falſitatem, vt falli nolint, etiamquialleramanto.*

SPECVLATIO III.

Deo ita perfectè competit vita, vt apud ipsum omnia viuant.

PRimam partem passim inculcant scripturæ Psalm. 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* 1. Timoth. 4. *Speramus in Deum viuum.* Ioan. 14. *Ego sum via, veritas & vita.* Et alibi millies.

Probatur ratione D. Thomæ: in hoc distinguntur viuentia à non viuentibus, quod ista non agunt ex seipsis, sed solùm aguntur ab aliis, sicut animal dicitur mortuum quando desinit se posse mouere, sed ab aliis mouetur & defertur: ideo etiam corpora grauia & leuia non dicuntur viuere, quia non mouentur à seipsis, sed à motore extrinseco impellente puta generante, vel remouente prohibens, vt ait Philosoph. 8. phys. text. 12. Cuius signum est quod grauia & leuia non mouentur nisi secundum quod sunt extra dispositiònem suæ naturæ extra proprium locum, cum vero sunt in centro quiescunt: aliæ vero res verè viuentes mouentur etiam quando sunt in sua dispositione naturali, non autem solùm in accessu, vel recessu ab illa; imò potius secundum quod recedunt à dispositione naturali, recedunt etiam à motu. Ergo quanto aliqua causa magis aget ex seipsa, & non ab alia, tantò perfectius viuet. Atqui Deus maximè agit ex se ipso: Ergo ipsi perfectissima vi-

ta competit. Maior & prima consequent. constant.

Minor probatur: ad agendum tria requiruntur, finis intentus, omne enim agens agit propter finem; forma & virtus qua possit agere; & executio qua agentis potestas reducatur in actum. Ergo illud agens minus aget ex seipso, cui illa tria determinabantur ab alio, illud vero magis aget quod illa tria magis habebit à seipso, quod exemplo explico. Ideo purum instrumentum non agit ex seipso, quia & finis, & virtus agendi, & executio determinantur illi ab agente principali. Plantæ vero incipiunt habere infimum gradum, seu vt ait Dionis. c. 6. de D. nom. *Vltimam resonantiam vitæ*, quia ex seipsis exequuntur motum nutritionis & augmentationis, finis vero & forma est illis ab authore naturæ indita, nam nec finem sibi præstituunt, nec formam vllam qua agant acquirunt. Animalia vero ad perfectiorem vitæ gradum ascendunt, quia non solum ex semetipsis exequuntur suas functiones, sed etiam formas acquirunt ministerio sensuum: & ideo ad distantia pergunt quæ sensu perceperunt: Finis tamen illis præfigitur à natura, cuius instinctu & impetu aguntur. Vnde perfectior est vita in agentibus intellectualibus, quæ non solum à seipsis exequuntur operationes, comparant sibi species & formas rerum, sed etiam sibi finem præstituunt, cuius bonitatem discernunt, nec non conuenientiam mediorum ad ipsum. Sed quamuis intellectus apprehendat finem, ipsumque voluntas amet; tamen creatura intellectualis in suis operationibus agitur vt agat, non solum quia est causa secunda à prima in omni operatione

ſua pendens, ſed etiam quia in aſſenſu primorum principiorum intellectus à natura determinatur, ſicut & voluntas in amore beatitudinis quam non poteſt non velle. Igitur ſoli Deo competit ſupremum faſtigium vitæ, quia à nullo in nullo caſu mouetur: Nam cum eius eſſe ſit realiter eius intelligere, cum eius finis ſit propria bonitas, Bonitas vero ſit eius velle, à nullo alio niſi à ſeipſo mouetur; imò ipſe eſt ſuus motus, & ſua actio, motus, inquam, non prout eſt actus imperfecti & entis in potentia, ſic enim actui puro immutabili repugnat, ſed prout idem eſt ac perfectiſſima operatio, ſcilicet intelligere & velle.

Dices: In illa ratione ſupponit S. Thomas aliquid falſum, nempe vitam competere ipſis quæ ſe mouent, quod tamen non eſt verum, nam grauia & leuia non viuunt, & tamen mouent ſeipſa, nec mouentur à generante, quod ſæpe contingit non eſſe, dum ipſa mouentur.

Reſpondeo ex Ferrarienſi 1. cont. gent. c. 97. §. *conſiderandum ſecundo*, in tantum motum grauium & leuium dici à generante, quia ab ipſo eſt fundamentum & cauſa à qua naturaliter reſultat motus, ſine noua actione generantis. *Ignorantia autem huius multos errare facit*, arbitrantur enim S. Thomam velle grauia & leuia ſic moueri à generante etiam ipſo corrupto, quod nouæ actione nouum impulſum generans imprimat, *quod numquam somniauit*. Sed mens eius eſt, quod mouentur à generante, ſicut ab eo qui dedit formam à qua naturaliter reſultat motus, & per conſequens tanquam ab eo qui

motum fundamentaliter produxit, qui motus deducto impedimento naturaliter per modum proprietatis resultat. Itaque grauia & leuia non viuunt quia non eliciunt motum, qui tanquam proprietas absque actione procedit, vt fusius explicatur in physica.

Secunda pars publicè cantatur in Breuiario Romani inuitatorio officij mortuorum: *Regem, cui omnia viuunt, venite adoremus.* & colligitur ex illo Ioan. 1. *Quod factum est in ipso vitá erat.* Licet enim Chrysostomus homil. 4. aliter textum illum dispungat & legat, *sine ipso factum est nihil quod factum est*; vt sensus sit: nihil est factibilium quod non sit à Deo; & posito puncto pergat, *in ipso vita erat, & vita erat lux hominum*, &c. Tamen Patres Latini legunt ad sensum nostræ assertionis, maximè Augustinus expresse dicens. *Pronuntia sic quod factum est, ac deinde infer, in illo vita erat,* Id est coniunge hæc vltima verba cum prioribus, subdit enim. *Quid est hoc facta est terra, sed ipsa terra qua facta est non est vita: Est autem in ipsa sapientia spiritualiter ratio quadam, qua terra facta est: hæc est vita, Ergo quod factum est in illo vita est. Attendite arcam in arte, & arcam in opere: arca in opere non est vita, arca in arte vita est, quia viuit in artificis anima.*

Probatur ratione quam ibi insinuat August. omnes creaturæ sunt in essentia Diuina intellectæ, & veluti relucent in essentia Diuina vt cognita. Sed essentia Diuina vt cognita & repræsentans intellectui Diuino omnes creaturas est vita per essentiam: Ergo omnes creaturæ à Deo factæ, sunt in Deo vita diuina. Vnde

ſicut verum eſt dicere, quod forma domus quæ habet eſſe materiale in ſeipſa, habet tamen eſſe immateriale & ſpirituale in mente artificis; Ita res omnes quæ in ſeipſis non viuunt, in mente diuina habent eſſe & vitam diuinam. Nec de hoc poteſt eſſe difficultas niſi de nomine.

Reflexio.

Multis Chriſtiano nomine nuncupatis objici poteſt illa Apocal. cap. 3. exprobratio: *Nomen habes quod viuas, & mortuus es.* Non uiuit, ſed mortuum eſt, quod à principio intrinſeco non agit. Quot autem inuenies, qui interno charitatis motu, non externi commodi, vel gloriæ intuitu operentur? Grauiter & verè aiebat Philoſophus Moral. epiſt. 1. *Magna vitæ pars elabitur, male agentibus; maxima, nihil agentibus; tota, aliud agentibus.* Cadaueribus ergo non viuentibus conſtat genus humanum, & ferme Chriſtianum: Nam *fides ſine operibus mortua eſt* Iacob 2. Vnde Auguſt. Serm. 141. de temp. *Homo ſi male viuit, non viuit.* Certè ſi non viuit ramus à radice præciſus, quo pacto viuet homo ſejunctus à Deo apud quem eſt *fons vitæ?* Ars artium eſt ars viuendi, nec parua res eſt ſcire viuere. Et vt ait Senec. de breuit. vit. cap. 7. *viuere totâ vitâ diſcendum eſt.* Quod ſi vis adipiſci veram vitam audi Auguſt. tract. penultr. in Ioan. Vbi docet quod ille vere viuit qui Deum amat, aurea verba eius ſunt hæc. *Neſcio quo explicabili modo quiſquis ſeipſum, & non Deum amat, non ſe amat; & quis Deum non ſeipſum amat, ipſe ſe amat: qui enim non poteſt viuere de ſe, meritur*

vtique amando se ; non ergo se amat, qui, ne viuat, se amat : Cum vero ille diligitur de quo viuitur, non se diligendo magis se diligit, qui propterea non se diligit, vt eum diligat de quo viuit. Quid sublimius, vel diuinius?

DISSERTATIO VIII.

De medio cognitionis Diuinæ, vbi de ſcientia media.

QVAMVIS reuera Deus nullo ad cognoſcendas creaturas medio vtatur, qui omnia in ſeipſo videt, & vt ait Bernard. lib. 5. de conſid. *Totus eſt lux, & tenebræ in eo non ſunt vllæ; Totus eſt oculus, & qui minimè aliquando fallitur, quia minimè clauditur; qui extra ſe non quærit lumen, cui admoneatur vt videat; ipſe qui videt, ipſe vnde videt.* Tamen explicandum reſtat qua ratione eſſentia Diuina poſſit eſſe medium cognoſcendarum creaturarum.

CAPVT I.

In quonam medio cognoſcat Deus poſſibilia, & futura?

DEcurſis omnibus ad quæ Diuina ſcientia porrigitur objectis, ſupereſt grandis difficultas de medio in quo illa omnia attingat tam poſſibilia, quam futura, ſiue abſoluta, ſiue conditionata.

SPECVLATIO I.

Deus cognoscit omnia possibilia in essentia sua, tamquam in causa & medio cognito, non in seipsis primò & immediatè inspectis, seu independenter ab essentia diuina prius visa.

VT intelligatur hæc propositio, quæ tanti momenti est, vt illi, dicenda de cognitione futurorum, decretis diuinæ voluntatis, prædestinatione, & gratia annexa sint. Sciendum duplex distingui medium cognoscendi vnum est, quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius, & dicitur medium *in quo*, sic præmissæ ducunt ad notitiam conclusionis, effectus in cognitionem causæ, imago ad cognitionem prototypi: alterum dicitur medium incognitum seu medium *quo*, quia vt ducat in cognitionem alterius non est opus quod cognoscatur, sed quod alterius cognitionem pariat: sic species intellectus nostri efficiunt nos cognoscere obiecta: nullus autem inficiari potest diuinam essentiam esse veluti speciem intellectus diuini in cognitione creaturarum, nam cum obiectum debeat esse intra potentiam vt cognoscatur vel per se vel per suam speciem: aliunde vero repugnet intellectum diuinum speciebus acceptis informari, planum est diuinam essentiam habere rationem speciei & medij *quo* respectu eorum omnium

quæ cognoscit. Difficultas ergo solum restat an essentia diuina habeat rationem medij prius cogniti, ita vt ideo solum Deus creaturas cognoscat quia se cognoscit, & in se videt illas. Contendit, mordicus Vasquez Deum nullas creaturas in seipso cognoscere, sed tantum in seipsis, & in veritate obiectiua. Nihilominus.

Probatur assertio 1. authoritate Patrum Ambrosij tract. in symb. cap. 1. *Licet omnia & cœlestia ac minima quæque prospiciat Deus, nihil tamen extra intelligit, sed singula in se intuetur.* August. l. 83. quæst. q. 46. *Sacrilegium est asserere quod Deus exeat extra se ad aliquid cognoscendum,* quem locum explicans D. Tho. a. 5. ad 1. ait: *Dicendum quod verbum Augustini dicentis quod Deus nihil extra se intuetur, non est sic intelligendum, quasi nihil quod sit intueatur, sed quia id quod est extra seipsum non intuetur nisi in seipso.* Vtitur etiam D. Thom. ad hanc veritatem stabiliendam authoritate D. Dionys. l. 1. cont. gent. c. 49. dicens; *Apparet Deum cognoscere seipsum quasi primo & per se notum, alia vero sicut in essentiâ suâ visâ* (ecce manifestè medium in quo) *Quam quidem veritatem expressè Dionis. tradit in 7. cap. de diuin. nom. dicens: non secundum visionem singulis se immittit sed secundum causæ continentiam scit omnia.* Et infra: *diuina sapientia seipsam cognoscens scit alia. Cui etiam sententiæ attestari videtur scriptura sacra authoritas, nam in Psal. 101. de Deo dicitur, prospexit de excelso sancto suo, quasi de se ipso excelso alia videns.* Et in hac 1. part. q. 14. a. 5. *Deus seipsum videt in seipso per essentiam suam, alia autem à se videt non in seipsis, sed in seipso.* Quod repetit singulis ferè artic. huius quæstionis. Denique hanc verita-

tem confirmat Concilium Valent. sub Lotharingio c. 2. *Deus nouit omnia antequam fiant, & sua omipotentiâ, & incommutabili maiestate.*

Probatur secundò duplici discursu S.Tho.primum prosequitur hic a.6. & 11. & sic formatur: Deus res omnes possibiles continet in se virtualiter & eminentet non solum quoad rationes communes & genericas, sed etiam individuales; alias Deus non esset prima omnium causa: ergo Deus omnes creaturas possibiles in essentia sua vt in causa cognoscit. Probatur consequentia: Deus seipsum omnimodè comprehendit, cum non sit minor virtus intellectiua scientiæ quam sit perfectio & intelligibilitas essentiæ: atqui non potest aliqua causa comprehendi nisi in ea cognoscantur effectus qui in eius virtute continentur, alias non pertingeret intellectus ad omnes modos quibus causa illa est cognoscibilis; sicut non comprehensiuè penetraretur principium, nisi in eo intelligerentur omnes propositiones, quæ deduci ex eo possunt: ergo si Deus sit causa omnium, in seipso vt in causa creaturas omnes intuetur. Et sic eius cognitio habet rationem sapientiæ quæ est cognitio rerum per altissimas causas: quæ sanè notitia rerum in prima veritate vt in causa tantò est Deo dignior & perfectior cognitione rerum in seipsis, quantò virtus increata est medium perfectius veritate ipsa obiectiua rerum & cognoscibilitate propria. Vnde dicit August. quod cognitio creaturæ in seipsa *decoloratior est* quam in Dei sapientia, in qua cognoscitur veluti in arte per quam facta est. Et licet in nobis melius sit rem videre in seipso quam in alio, v.g. hominem in seipso quam in speculo, vt docet D. Thom. hic

a. 10. ad 4. quia scilicet rem melius videmus in seipsa, id tamen de Deo dici non potest, quia res omnes in sua essentia infinita comprehendit claritate.

Confirmatur, & simul multæ tacitæ instantiæ præfocantur: licet in causa incompleta quantumuis comprehensa non possint omnes effectus attingi, v. g. licet Angelus comprehensiuè cognoscat suam virtutem intellectiuam, & intellectum humanum, non tamen cognoscit omnes suas vel humanas cogitationes possibiles; quia scilicet intellectus non est causa completa cognitionum, sed completur speciebus, quas non habet respectu possibilium omnium, & sæpè determinatur ad varios conceptus per voluntatem. Similiter licet Angelus comprehendat naturam Solis, non tamen eius effectus in singulari, v. g. omnes circulationes (alias cognosceret diem iudicij in quo erit vltima) nec productiones rerum possibiles, quia determinatus numerus circulationum ex libera Dei dispositione pendet, productio vero effectuum naturalium ex vario materiæ apparatu: Cæterum in causa completa & adæquata omnes omnino effectus attingi possunt. Sed omnipotentia diuina est virtus completa & perfectissima omnium possibilium secundum omnem prorsus rationem effectiua: ergo in sua virtute cognoscit Deus omnes creaturas possibiles.

Secunda ratio quam ex professo prosequitur sanctus Doctor l. 1. cont. gent. c. 48. rat. 7. in hoc consistit: si Deus cognosceret creaturas immediatè in seipsis, & independenter ab essentiâ suâ prius visâ, operatio intellectualis Dei speciem & perfectionem acciperet ab alio quam à

seipso, quælibet enim potentia perficitur per attingentiam sui obiecti; creaturæ autem in se inspectæ pertinerent ad obiectum formale diuinæ cognitionis, siquidem primariò, immediatè, & independenter ab alio priùs noto attingerentur; nihil enim potest attingi immediatè, & esse solum obiectum secundarium, quod semper supponit primarium, in quo & ratione cuius cognoscitur, obiectum vero immediatum excludit omne prius, cuius cognitio mediet; qua de causa color est obiectum formale & primarium potentiæ visiuæ, non paries; quia color per se & immediatè, paries non nisi mediante colore respicitur. Sed consequens est indignum Deo, quod nimirum exeat Deus extra se, vt mendicèt suam perfectionem à creaturis: Imo *hoc est impossibile*, ait D. Thom. ibidem, quia cum operatio Dei sit eius essentia, quæ est omnino absoluta à creaturis, repugnat quod ab alio distincto à se speciem & perfectionem desumat.

Hic discursus non solum conuincit Deum cognoscere creaturas in sua essentia, sed non nisi in sua essentia, & non in seipsis immediatè illas attingere, per quod reiicitur etiam sententia eorum qui fatentur quidem Deum cognoscere creaturas in seipso, quia ita docent Patres, & aliter sentire est explicare Patres prout volumus, sed insuper addunt Deum cognoscere creaturas immediatè in se ipsis, quia Deus cognoscit eas omnibus modis quibus sunt cognoscibiles, sunt autem creaturæ cognoscibiles & in veritate diuina & in propria. Sed ratio D. Tho. id etiam apertè excludit, quia cognitio semper perficitur ab obiecto immediato, & impossibile est quod Deus mutuetur ab alio perfectionem suæ scien-

tiæ. Quæ ratio sic magis instauratur : nulla cognitio potest in Deo admitti quæ non sit summè perfecta, & quæ non attingat obiectum per rationem & medium perfectissimum : atqui potest dari ratio formalis & medium in quo exactissimè cognoscantur creaturæ à Deo altius & perfectius, quam sit propria earum cognoscibilitas, vt fatentur ipsimet aduersarij, & ideo admittunt Deum cognoscere res in seipsis, & in prima veritate, quæ procul dubio est infinitè altior veritate creata : ergo in sola sua essentia Deus creaturas cognoscit. Vnde qui censet Deum cognoscere res in sua essentia, vt vlterius vult quod eas cognoscat in seipsis, non addit maiorem perfectionem diuinæ scientiæ, quam qui fulgori auri adiungeret rubiginem ferri. Et licet verum sit Deum cognoscere creaturas omnibus modis se tenentibus ex parte obiecti cogniti, nihil enim subterfugit diuinæ scientiæ lumen: non tamen cognoscit illas Deus omnibus modis se tenentibus exparte cognoscentis, alias posset cognoscere discurrendo, vtendo speciebus quod tamen diceret imperfectionem, quam etiam saltem arguitiuè importat cognitio rei in seipsa immediatè, quia hoc infert cognitionem perfici & mensurari ab obiecto alieno.

Obiicies: diuina essentia est omnino absoluta à creaturis ad quas nec dicit relationem, nec cum eis assimilatur: ergo nullatenus potest creaturas manifestare, nec habere rationem medij ducentis in cognitionem illarum. probatur conseq. essentia diuina hoc ipso quod est ens à se & absolutum à creaturis, nullã habet connexionem cum illis, alias omnipotentia Dei penderet à possibilitate creaturarum, & æquè necessarium foret creatu-

ram esse possibilem, ac Deum esse omnipotentem, & existentem, subindeque si musca fieret impossibilis, Deus fieret etiam impossibilis, quod videtur absurdum : atqui vt essentia diuina esset ratio cognoscendi creaturas deberet habere connexionem cum illis : ergo si essentia diuina sit omnino absoluta à creaturis, nullo pacto potest eas repræsentare.

Respondeo hoc argumentum, quod est Vasq. Achilles, probare nostram conclusionem non infirmare: nam si essentia diuina sit absoluta & independens à creaturis, manifestè sequitur Deum non exire extra sē, vt à creaturis scientiæ suæ perfectionem mendicet. Rursum si essentia diuina sit independens à creaturis, creaturæ maximè ab ea dependentes sunt, quantò enim causa est ab effectu magis independens, tantò amplius ab ea pendet effectus : ratio autem cognoscendi effectum per causam, non est dependentia causæ ab effectu, sed è contra subordinatio effectus ad causam, nam quo plus dependet effectus à causa, eò causa perfectiùs illum continet, profundiùs in eum influit, & strictiùs sibi illum connectit : ergo eò maximè asserendum est Deum cognoscere creaturas in sua essentia, quia hæc est ab omni creatura absolutissima.

Ad argumentum ergo dico, quod licet essentia diuina sit absoluta à creaturis, hæ tamen ab illa dependentes sunt; licet essentia diuina non assimiletur creaturis, ipsæ tamen in Dei potentia continentur; vnde in ea possunt cognosci, sicut conclusiones in principiis penetrari. ad probationem conseq. dicendum expressè D. Thomam asserere q. 2. de ver. a. 3. ad 11. *Quod depe-*

riret perfectioni Dei si auferretur ab eo potestas producendi creaturam, quæ potestas sine dubio tolleretur, si creaturæ fierent impossibiles implicat namque potentiam subsistere, dum eius obiectum est impossibile, sicut veritas principij labatur necesse est si conclusio necessaria & vera ex eo deducta fiat falsa. Nec propterea sequitur Deum pendere à creaturis, sicut malè colligeretur principium pendere à conclusionibus: quia nimirum essentia Dei non est connexa cum creaturis possibilibus, per mutuam vtriusque extremi dependentiam, sed per dependentiam in vno scilicet creaturis, & eminentiam in altero scilicet Deo. Adde quod possibilitas creaturarum, non est aliqua entitas extra Deum, sed est tantum denominatio extrinseca petita à diuina omnipotentia: non potest autem tolli denominatio extrinseca nisi destructa forma à qua petitur, sicut denominatio visi desinit, quando cessat visio; creaturam igitur possibilem fieri impossibilem est diuinam omnipotentiam deperire, vel creaturas fieri independentes à Deo; quod vtrum repugnat.

Instabis: maior & firmior veritas non habet connexionem necessariam cum minori alias vtraque esset æqualis firmitatis: sed maior est veritas diuini esse, quam possibilitatis creaturarum; ergo ex destructione possibilitatis creaturæ non sequitur destructio existentiæ Dei.

Respondeo hanc instantiam manifestè confutari, nam veritas principiorum est magis firma veritate conclusionis, cum hæc sit deriuata ab illa, vt expressè probat Philosophus 1. post. Ex illo axiomate, *Propter quod vnumquodque tale & illud magis*, Et tamen ex destructione verita-

tis principij, si consequens necessario inferatur ex antecedente, nam in bona Logica à destructione consequentis sequitur destructio antecedentis. Ergo veritas maior potest esse connexa cum minori, ita vt ex destructione istius sequatur destructio illius, non propter dependentiam maioris à minori, sed propter consequutionem istius ab illa: ex quibus subsumo, atqui ex diuina omnipotentia tanquam ex principio certiori & firmiori sequitur possibilitas creaturarum, vt patet: ergo ex destructione possibilitatis creaturæ sequitur destructio omnipotentiæ creatiuæ, ac proinde omnipotentia est connexa cum possibilitate cuiusuis creaturæ quantumuis minimæ. Nam non minus ex potentia creatiua Dei infertur per bonam consequentiam possibilitas vnius quam omnium; vnde ex impossibilitate vnius fieret Deus impossibilis, non propter æqualitatem veritatis vtriusque, sed propter connexionem & consecutionem vnius ex alio.

Insistes: ex eo quod musca fieret impossibilis non sequitur per locum intrinsecum hominem fieri impossibilem: ergo multo minus Deum esse impossibilem, cum sit magis necessarium Deum esse quam hominem.

Respondeo ex impossibilitate muscæ non sequi formaliter & directè impossibilitatem hominis, quia disparate se habent, nec vnum infert aliud: at vero possibilitas muscæ, & omnipotentia Dei non se habent disparatè sed est connexio inter vtrumque sicut & inter principium & conclusionem, mediatè tamen & indirectè ex impossibilitate muscæ sequeretur impossibilitas hominis, quia sequitur ex ea destructio omnipotentiæ ex qua possibilitas hominis &

& aliorum omnium pendet.

Ex his inferes quàm verè suprà dixerimus beatos cognoscere creaturas in Deo tamquam in medio cognito, neque hinc sequi beatos non videre res secundum propriam naturam, nam vt ait D. Thom. infra q. 58. à. 7. loquens de Angelis beatis: *Non enim videndo verbum cognoscunt solum illud esse rerum quod habent in verbo, sed illud esse quod habent in propria natura.* Est tamen hoc discrimen inter intellectum beatum & diuinum, quod ille videns res in Deo potest eas extra Deum etiam videre, sed non Deus: quia licet intellectus creatus possit perfici, specificari, & mensurari ab obiecto creato, non tamen diuinus.

Reflexio.

Celebre est illud & tritum Philosophorum consilium, *Nosce teipsum.* Hoc mirabile cognitionis diuinæ omnia in seipso cognoscentis priuilegium imitabimur, si numquam à nostri notitia recedamus. Triplicem motum ex Aristotele agnoscunt Physici. *à centro, ad centrum, circa centrum.* à centro terræ mouetur ignis dum sursum ascendit, ad centrum mouetur lapis sursum pendens sublato obice, circa centrum mouentur Cœli vt iugiter terram foueant. Animus noster vt solidè in virtute proficiat semper ad centrum vilitatis suæ moueatur necesse est; quod si aliquando à centro cognitionis sui moueri compellitur, semper circa centrum miseriæ suæ giret, vt non euanescat in cogitationibus suis, & si rebus externis distrahi quandoque contingit, in se reuersus relabatur in centrum, vt quod fo-

ris amisit intus restauret: opportunè & eleganter Bernard. de conside. l. 1. c. 5. *Si totus vis esse omnium laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodo vero plena te excluso? & tu homo es, ergo vt integra sit & plena humanitas, colligat & te intra suum sinum qui omnes recipit.* Et iterum lib. 3. cap. 3. *A te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia te neglecto. Noueris licet omnia mysteria; noueris lata terræ, alta Cœli, profunda maris, si te nescieris eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens. Quidquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulueris ventis obnoxium: non ergo sapiens qui sibi non est. A te proinde incipiat tua consideratio, non solum autem, sed & in te finiatur. Quocumque euagetur ad te reuocaueris eam. Tu primus tibi, tu vltimus Sume exemplum de summo Patre verbum suum & emittente & retinente: verbum tuum consideratio tua; qua si procedit, non recedat; sic progrediatur, vt non egrediatur; sic exeat, vt non deserat.*

SPECVLATIO II.

Deus cognoscit futura contingentia in suo decreto efficaci & absoluto, non in seipsis, seu in veritate ipsorum obiectiua antecedenter ad decretum.

PRobatur 1. authoritate Patrum Hilarij l. 9. de Trin. *Qua Deus facere decreuit in sua voluntate cognouit,* Augustl. de prædest. Sanct. c. 10.

Prædestinatione ea præsciuit quæ fuerat ipse facturus. D. Thom. l. 1. cont. gent. c. 68. per totum, & maxime rat. 3. *Sicut esse Dei est primum & per hoc omnis esse causa: ita suum intelligere est primum, & per hoc omnis esse causa: sicut igitur Deus cognoscendo suum esse, cognoscit esse cuiuslibet rei, ita cognoscendo suum intelligere & velle cognoscit omnem cogitationem & voluntatem.* Quid apertiùs, & expressiùs? Et post multa sic concludit. *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in eius est potestate velle & non velle excludit determinationem virtutis ad vnum, & violentiam causæ exteriùs agentis, non autem excludit influentiam superioris causæ à qua est ei esse & operari, & sic remanet causalitas in causa prima, quæ Deus est, respectu motuum voluntatis, vt sic Deus seipsum cognoscendo huiusmodi cognoscere possit.* Hæc ponderatione non egent,

Probatur secundo ratione, quod vt dilucidè & dearticulatè fiat, duo sunt ostendenda, primò Deum non cognoscere futura in seipsis, seu in propria veritate obiectiua, secundò monstrandum est Deum talia futura absoluta in suo decreto tanquam in medio attingere. Primum sic ostenditur: nihil est determinate futurum ante decretum & prædeffinitionem diuinæ voluntatis determinantis extrahere res è statu meræ possibilitatis, & dare illis existentiam determinato tempore. Ergo Deus non cognoscit futura contingentia in propria ipsorum veritate obiectiua antecedente decretum diuinæ voluntatis. Consequens est necessaria, quomodo enim cognosceretur futurum ante decretum, si ante decretum minimè futurum sit? Antec. verò est D. Aug. l. 26. contr. faust. c. 4. *Ideò nescio quid sit futu-*

rum, quia quod habeat voluntas Dei de hac re me latet: illud me tamen non latet sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet. Et tract. 68. in Ioan. *Deus fecit futura ea prædestinando,* vbi reducit futiritionem rerum in voluntatem Dei. Est etiam apertè D. Thom. 1. p. q. 16. ar. 3. ad 3. *Omne quod est ex eo futurum fuit antequam esset, quia in causa sua erat vt fieret; vnde sublatâ causâ non esset futurum illud fieri: sola autem causa prima est æterna: vnde non sequitur quod ea quæ sunt, semper fuit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit vt essent futura, quæ quidem causa est solus Deus.* Quibus verais S. Doctor non solum præfatum antec. euidenter docet; sed rationem illius indicat, quæ talis est.

Esse futurum nihil est aliud quam esse determinatum in causa ad habendam existentiam in aliqua temporis differentia; esse enim futurum non est denominatio intrinseca quæ competit solum rei existenti, sed extrinseca petita à causa non præcise vt potente producere, sic enim solam denominationem possibilis tribuit; nec vt influente esse, sic enim præbet denominationem existentis: ergo solum à causa vt determinata ad dandum esse in aliqua differentia temporis: vnde & per hoc res futura distinguitur à mere possibili & existente, quod merè Possibibis sit intra causam, existens sit extra causam, futura verò in determinatione causæ. Atqui antecedenter ad diuinum decretum nulla res est determinata in suis causis ad habendam existentiam, cum Deus qui est prima cuusa nondum concipiatur determinatus. Ergo ante determinationem primæ causæ nihil omninoest futurum, nisi velimus futiritionem rerum non dependere à Deo,

Deo, sed esse necessariam. Sed causa prima non est determinata ad rerum futiritionem ante decertum voluntatis suæ: Ergo ante decretum diuinæ voluntatis nihil est determinatè & positiuè futurum, sed indifferens vt sit futurum vel non futurum.

Alterum quod monstrandum restat, est Deum cognoscere futura in ipso decreto, & sic suadetur: Deus nihil potest cognoscere nisi in essentia sua vt in causa & medio prius cognito, ne diuina scientia à creaturis speciem & perfectionem desumat, ab eisque pendeat quantum ad certitudinem & veritatem, vt ostendimus specul. præced. Atqui essentia diuina non est causa futiritionis rerum nisi vt determinata per decretum, cum Deus non sit agens naturale, sed liberum respectu creaturarum, non est vero liberum nisi per decretum: Ergo Deus cognoscit futura in decreto, quo applicatur diuina omnipotentia. Quod sane decretum habet omnes conditiones medij ducentis in cognitionem futurorum: habet enim prioritatem naturæ & causalitatis, cum sit causa rerum: habet etiam connexionem cum euentu futuro cum sit efficax, eiusque energia & vis omnipotentissima à nullo dependeat: igitur in illo diuina scientia futura cognoscit.

Objicies: Quotiescumque D. Thomas agit de scientia futurorum contingentium, & de medio in quo ea cognoscit semper recurrit ad illorum præsentiam in æternitate, vt certo illa attingat, vt videre est in art. 13. huius quæst. Quod tamen nullatenus esset necessarium, si Deus ea certo præsciret in decreto voluntatis suæ.

Respondeo ex locis à nobis adductis satis apparere S. Doctorem recurrere ad decretum diuinum vt probet Deum dignoscere liberos nostræ voluntatis actus, quod si interdum meminit solius præsentiæ rerum in æternitate, hoc ideo est, quia hæc præsentia non excludit, sed supponit decretum, si enim illud non supponeret, futura præsentia æternitati non essent, aliàs omnia possibilia essent præsentia æternitati. Vnde S. Præcep. in 1. d. 38. q. 1. art. 5. Vtrumque ingeniosè coniunxit dicens: *Deus non solum videt ordinem sui ad rem ex cuius potestate res est futura* (Ecce cognitionem futurorum in decreto, neque enim dicit ordinem necessarium ad futura, sed liberum, per decretum) *sed ipsum esse rei intuetur.* Ecce præsentiam in æternitate ex decreto sequtam.

Ad id quod additur, non esse necessarium recursum ad præsentiam in æternitate, si res Deus præsciat in decreto, respondeo quod licet hæc præsentia non sit necessaria, vt Deus certam & infallibilem habeat futurorum notitiam, quippe quæ in decreto ex se efficaci, immutabili, & æterno abunde haberi potest: conducit tamen hæc præsentia vt Deus habeat inuariabilem, & intuitiuam de futuris contingentibus visionem, modo supra dum de æternitate fusiùs explicato.

Objicies 2. In causa vniuersali non potest certo cognosci effectus, quia virtus eius recepta in causa proxima modificatur & determinatur ab illa, & interdum impeditur ex defectu illius, vt docet D. Thom. loco mox citato ex sentent. sed decretum Dei est causa vniuersalis rerum. Ergo in illo non possunt futura contingentia cognosci.

Respondeo, quod licet in causa vniuersali impedibili, non habente infinitam efficaciam, nec attingente omnes modos & formalitates quæ sunt in effectu non possit cognosci effectus nisi conjecturaliter, tamen in causa efficacissima, & omnia quæ in effectu sunt peruadente optime potest cognosci effectus contingens; & tale est diuinum decretum, *cuius omne consilium stabit, & omnis voluntas fiet.* Vt dicitur Isa. 46. *Sic* enim *velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate vt Diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Vt ait Aug. lib. de correp. & grat. cap. 14. S. autem Thomas loco citato intendit solum Deum attemperare suum decretum & motionem naturis rerum quas permouet, causareque nedum substantiam actus, sed etiam modum necessitatis vel libertatis iuxta exigentiam illarum: ac subinde motio Dei determinatur objectiuè, non effectiuè à causis secundis, quatenus pro diuersitate causarum, diuersum adhibet concursum vel per modum naturæ, vel per modum liberi, semper tamen efficacem, vt suo loco dicetur.

Objicies 3. Si Deus cognosceret omnia in essentia & decreto, cognosceret etiam in illo medio peccata. Sed Deus non cognoscit peccata in suo decreto causante eorum futiritionem, alias esset causa & author peccati. Ergo non omnia cognoscit Deus in decreto.

Respondeo, quoad peccata possibilia Deum cognoscere illa sicut & omne malum per bona quibus priuant: vnumquodque enim cognoscibile est, secundum quod est; vnde cum essentia mali & peccati sit priuatio boni, per illud ipsum quo Deus cognoscit bona, cognoscet

etiam mala oppoſita : cum ergo Deus bona omnia per ſuam eſſentiam cognoſcat, fit inde Deum non exire extra ſe ; vt mala etiam poſſibilia cognoſcat. Non tamen proprie debet dici Deum cognoſcere mala per ſuam eſſentiam immediate, quia malum non continetur in ea nec formaliter, nec virtualiter : ſed dici debet, quod cognoſcit malum per bonum oppoſitum, quod bonum Deus in ſe cognoſci.

Quantum vero ad mala futura præſertim mala culpæ dicendum illa cognoſcere in ſuo decreto permiſſiuo, quo Deus habet propoſitum non impediendi peccatum ob iuſtiſſimas cauſas aliquando quidem apertas aliquando vero occultas ; ob quas etiam denegat auxilium efficax, ex qua ſubtractione videt Deus ſequi peccatum, non tamquam ex cauſa peccati, ſed tamquam ex remouente prohibens, ſicut præuideri poteſt corruptio carnium ex remotione ſalis, caſus tecti ex remotione columnæ cui innititur. Quod facile concedes, ſi conſideres hominem ex nihilo productum, & ad deterius nihilum per peccatum originale redactum, ſibi relictum proprio infirmitatis pondere in peccatum tendere. Videt ergo Deus quod dum aliquod opus præceptum exequtioni eſt mandandum, vel ab aliquo, vrgente tentatione, abſtinendum, ſi homo propriæ voluntati relinquatur in imminentem peccati ruinam prolabetur. Iuxta illud Pſalm. 81. *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum*, quid ex illa dimiſſione conſequetur ? *ibunt in adinuentionibus ſuis.* Et illud S. Cæleſtini Papæ in Epiſtol. ad Epiſcop. Galliæ cap. 6. *Neceſſe eſt vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur.*

Reflexio.

Sicut Deus cuncta facienda in ſua voluntate cognoſcit: Sic nobis in omnibus agendis diuina voluntas conſulenda eſt. *Duæ ſunt voluntates* (ait Auguſt. in Pſalm. 31. enarr. 2.) *Sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei torqueatur ad tuam: praua enim eſt tua, regula eſt iſta: ſtet regula, vt quod prauum eſt ad regulam dirigatur:* & iterum præfat. in Pſal. 124. *Qui ſunt recti corde? qui voluntatem ſuam ad voluntatem Dei dirigunt, non voluntatem Dei ad voluntatem ſuam curuare conantur. Vis habere rectum cor? tu fac quod vult Deus, noli Deum velle facere quod vis tu.* Huiuſmodi propriæ voluntatis amatores appoſitè appellat idem ſanctus in Pſal. 146. *Prauicordios, & torticordios*, quia voluntatem Dei prauè diſtorquent ad ſuam. Prima & forte vnica ratio, quare tam pauci in vita ſpiritus proficiunt eſt, quia medium cognitionis, & regula operationis eorum non eſt voluntas Dei, ſed ſemper in circuitu ambulant, à ſe exeunt, vt ad ſe redeant. Ille autem, *qui in circuitu ambulat* (ait Bernard. Serm. 12. in Pſalm. qui habit.) *Proficiſcitur quidem, ſed proficit nihil. Væ homini qui ſequitur hunc circuitum qui numquam à propria voluntate recedit.* Dicamus ſemper cum Paulo act. 9. *Domine quid me vis facere?* Et cum Thoma à Kemp. lib. 3. cap. 18. *Pone me Domine vbi vis, & liberè age mecum: in manu tua ſum, gira, & reuerſa me, en ſeruus tuus ſum ego, paratus ad omnia.*

SPECVLATIO III.

Quibusdam consectariis excluduntur alia media Diuinæ cognitionis respectu futurorum.

EX hactenus statutis sequitur 1. perperam assignari ab authoribus modernioribus alia media in quibus Deus futura cognoscat. Imprimis enim non potest dici cum Molina Deum cognoscere futuros effectus contingentes in suis causis liberis, & contingentibus vt supercomprehensis. Nam vt recte arguit S. Thom. q. 14. art. 13. *In causa contingenti non potest certo cognosci futurum, sed solum coniecturaliter.* Quamtumuis enim Deus comprehendat, & supercomprehendat causam contingentem non potest effectum in illa attingere, nisi eo modo quo est, alias non recte cognosceret: sed effectus non continetur certò in causa contingenti. Ergo in illa etiam supercomprehensa non cognoscitur effectus determinate futurus. Imò potius quia Deus causam contingentem comprehensiuè penetrat, ideo magis eius indifferentiam, & indeterminationem introspicit, subindeque in illa non videt determinationem effectus, sed suspensiuam indifferentiam ad ponendum, vel non ponendum illum.

Sequitur 2. non bene etiam assignari à Suare pro medio cognitionis futurorum decretum vt futurum; tum quia decretum Dei vtpote æter-

nitate mensuratum non potest nisi fingendo concipi vt futurum, quæ fictio longè est à Deo, tum quia vel illud decretum futurum est prædeterminans & ex se efficax, vel indifferens; primum formidat libertas aduersarij; secundum vero nihil iuuat, cum in causa indifferenti ad positionem, vel non positionem effectus, nequeat cognosci determinata futiritio positionis illius. Tuum demum, quia restat indagandum in quonam medio cognoscat Deus decretum suum illud futurum, an in decreto præsenti de habendo futuro? & hoc non, alias superfluè adueniret futurum, cum per præsens res sufficienter determinata & resoluta maneat; an in essentia & voluntate nude sumptis? & hoc etiam dici nequit, siquidem de se indifferentes sunt ad volitionem vel nolitionem.

Sequitur 3. Non posse etiam afferri pro medio cognitionis futurorum illud quod assignat Vasques contendens Deum cognoscere futura in veritate objectiuâ fundatâ in euentu futuro. Nam hæc veritas objectiua anteuertens decretum est merè fictitia, cum nihil possit esse positiuè futurum vel non futurum ante determinationem primæ causæ: nam quandiu nondum intelligitur resolutio primæ libertatis, tandiu res concipitur in statu meræ possibilitatis.

Dices: antequam intelligatur in Deo decretum determinans rerum futiritionem, possunt concipi propositiones contradictoriæ de futuro contingenti, v.g. Petrus conuertetur, Petrus non conuertetur: Atqui propositionum contradictoriarum vna est determinatè vera & altera falsa: ergo obiectum earum est determinatè futurum, vel non futurum ante decretum Dei in sua ve-

ritate obiectiua ; seu ex suppositione quod aliquando erit, vel non erit.

Respondeo iam vsum inualuisse, vt hæc quæstio de propositionibus de futuro contingenti agitetur in philosophia, vnde ab ea tractanda supersedeo. Vno verbo dicam, vim contradictionis propositionum exigere solùm quod si vna sit vera altera sit falsa, non quod hæc in individuo sit vera præ altera. Hoc enim prouenire solùm potest vel ex obiecto propositionis, quando est necessarium ; vel ex determinatione causæ quando obiectum est contingens. Certè si contingens esset futurum ex natura oppositionis propositionum, iam foret necessariò futurum necessitate absoluta fundata in hoc principio necessario, *quodlibet est, vel non est.* Vnde (vt rectè infert ipsemet Aristoteles lib. 1. de interp. c. 8.) tolleretur omnis contingentia rerum, & destrueretur libertas non solum humana sed etiam diuina; humana quidem (cuius tamen adeo adulatrix est opposita sententia) nam eius effectus futiritio non esset in creaturæ arbitrio vtpote determinata ante voluntatis vllam determinationem ; diuina verò, quippè quæ non posset impedire futiritionem quæ obiecto ex causa necessaria conueniret, nempè ex vi contradictionis fundata in principio vero præuiè ad vllam Dei dispositiouem.

Sequitur quartò, Deum non cognoscere futura præsertim libera in operatione voluntatis creatæ exhibita intellectui diuino tanquam exoritura conditionatè sine concursu Dei, vt finxit Theophylus Raynaudus volens Deum explorare quid factura esset volũtas in variis circunstantiis, si se sola absque concursu diuino agere pos-

set. Non enim magis videri potest in voluntate nuda & concursu diuino destituta operatio futura, quam in corpore paralytico vel cruribus capto motus vllus futuris, cum magis repugnet à voluntate independenter à concursu Dei operationem prosilire, quam ab omnium membrorum impote motum elici. Certè videre Deum creaturam ex se posse agere, est videre creaturam non esse creaturam; est videre creaturam operari à se, subindéque esse ens à se, quod est videre creaturam esse Deum. Hæret & horret animus ad tantam nouitatem! quæ an potius ridenda sit quam increpanda nescio, quid enim magis ridendum quam fumum pro re venditare, & quæsitis inanibus verborum campis totam prouidentiæ diuinæ œconomiam super cognitionem exploratricem actionis chymericæ orituræ à creatura si non esset creatura fundare? Vehementer verò obiurganduseſt qui tantam nouitatem primus inuexit tam à veritate disiunctam, tam coniunctam falsitati. Nec in ea aberratione confutanda amplius immorandum est, quæ satis habenti communissimas Theologiæ notiones patet: libenter hîc cum Augustino epist. 56. dixerim: *Pudet me ista refellere, cum eos non puduerit ista sentire. Cum vero ausi sint etiam defendere; non iam eorum, sed ipsius generis humani iam me pudet, cuius aures hæc ferre potuerunt.*

Reflexio.

Sicut nullum aliud medium cognitionis diuinæ assignare possumus præter diuinum decretum ita quidquid respiciant intentio, consilia, motus, & effectus nostri nisi in Dei voluntate, &

propter Dei implendam voluntatem, continuo in tenebris ambulantes caligamus, decipimur, ruimus, & perimus. Ideo iuxta Ecclesiasti. c. 29. *Oculi sapientis in capite eius.* Quia vt ibi exponit Hugo Victor. ad summum bonum prius mentis intentione præcedit, impletque illud Dauidis Psal. 24. *Oculi mei semper ad dominum.* Nec non illud Eccl. 1. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur.* Quem locum sic expendit Bernar. ser. 13. in Cant. *Casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria, nonne riuuli sunt fontis illius? quod si copia aquarum secretis subterraneisque cursibus incessanter æquora repetunt, vt inde rursus ad visus vsusque nostros iugi & infatigabili erumpant obsequio: cur non etiam spiritales riui, vt arua mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude, & sine intermissione, reddantur? Ad locum vnde exeunt flumina gratiarum reuertantur, vt iterum fluant: remittatur in suum principium cœleste profluuium, quo vberius terra refundatur.*

CAPVT II.

Scientia média de medio tollitur.

VT status huius quæstionis clarè innotescat, supponimus Deum futura conditionata certo cognoscere, vt constat ex multis scripturæ locis 1. Reg. 23. Dauidi interroganti, an Ceilitæ ipsum essent Sauli tradituri, respondit Dominus affirmanter, *tradent.* Et 3. Regum 2. dicitur non ingrediemini ad filias gentium, *Certissimè enim*

auertent corda vestra si ingrediamini, quæ prædictio cum tanta asseuerantia prolata apertè certitutidinem illius euentus indigitat. Item Mat. 11. *Va tibi Corroxain, va tibi Betsaida! quia si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ in vobis factæ sunt, olim in Cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Quem locum ponderans Aug. l. de bono pers. c. 9. ait: *Nunquid possumus dicere etiam Tyrios & Sydonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse? cum ipse Dominus atteſtetur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum.*

Quod si aliquando sacræ paginæ circa huiusmodi futura dubiam, vel solum coniecturalem Deo notitiam asserere videantur, vti loco præfato Matth. *Si in Sodomis, factæ fuissent virtutes, fortè mansissent vsque ad hanc diem.* Dicendum est cum B. Hieronim. super c. 26. Hiere. verbum *forsitan*, non posse maiestati Domini conuenire, sed Deum nostro loqui affatu, vt indicaret se liberum hominis seruare arbitrium. Et quamuis non negem posse admitti in Deo cognitionem coniecturalem non ex parte actus, sed ex parte obiecti, cum Deus considerat res per ordinem ad causas creatas, & secundam præcisam dispositionem earum; cum in hoc sensu explicentur à D. Thom. 2.2. q. 172. a. 1. Prophetiæ comminatoriæ, quibus Deus vel Prophetæ minitantur impendere damnum aliquod, putà subuersionem Niniuæ, quæ futura erat iuxta causarum exigentiam, & dispositionem, quæ tamen, Deo impediente, suum effectum sortita non est. Nihilominus cum hoc stat Deum infallibilem, & non solum coniecturalem habere notitiam euentus conditionatè futuri, cum posi-

sit Illud certo, & sine hæsitatione prædicere, atque ad credendum obligare.

Totius igitur difficultatis punctum in hoc positum est, quomodo & in quo medio illa futura conditionata cognoscat, qua in re Patres Societatis, paucis exceptis, sequuti ducem Ludouicum Molinam asserunt Deum cognoscere illa futura per scientiam mediam ante vllum suæ voluntatis decretum. Imò addunt Deum in omnibus suis decretis, etiam in electione sanctorum ad gloriam dirigi huiusmodi scientia, eaque explorare consensum futurum, nec non genium & temperamentum causarum liberarum, & ad quid seipsas determinaturæ sint in talibus, & talibus circunstantiis, & occasionibus: quibus præuisis statuit Deus collocare prædestinatum in illa circunstantiarum serie, in qua videt eum bene vsurum gratiâ oblatâ. Præsertim vero huiusmodi præscientia decretum Diuinæ voluntatis anteuertente vtuntur pro negotio concordiæ libertatis & gratiæ, cuius efficaciam in illa exploratione fundant. v. g. inquiunt, videt Deus quod si Petrus in talibus occasionibus præueniretur auxilio indifferenti conuerteretur; in aliis vero, gratiam oblatam respueret; in illis consentiret inspirationi ex sua innata libertate applicante gratiam & determinante eius indifferentiam; in aliis vero dissentiret, in quibus gratia non esset collata congruè, & opportunè genio, temperamento, & nutibus liberi arbitrij, cuius inclinationes Deus rimatur per scientiam illam, quæ nisi præluceret, Deumque dirigeret in suis decretis, vel funditùs tolleretur libertas humana, vel exponeret se Deus periculo ne sua decreta resisten-

tis libertatis creatæ arbitrio frustrarentur.

Veri autem S. Augustini & D. Thomæ discipuli capitaliter aduersantur huic doctrinæ, quam existimant minùs Deo dignam, & omnium gratiæ, & prædestinationis Mysteriorum, vt eis videtur, destructricem. Vnde fatentur quidem Deum futura conditionata certò cognoscere saltem illa quæ reuelantur in scriptura, & quæ ad ordinem vniuersi spectant, sed totis viribus contendunt Deum futura illa non agnoscere in determinatione causæ creatæ applicantis concursum & gratiam siue absolutè, siuè conditionatè oblatam, sed in suo decreto, & in omnipotenti vi gratiæ suæ, sine quibus voluntas in quauis conditione se determinatura non est. v.g. vltro confitentur Deum præuidere conuersionem Tyriorum, si intonuisset apud illos Saluatoris prædicatio, sed inficiantur Deum hanc conuersionem præuidere in consensu & voluntate Tyriorum determinante pro sua ingenita libertate indifferentiam decreti, & concursus per illud oblati. Sed volunt Deum præscire conuersionem illam in decreto efficaci quo prædeffiniuit illis dare gratiam applicantem & prædeterminantem libertatem, sine qua etiam in illis resonantis prædicationis, vel patratorum miraculorum occasionibus minime pœnitentem egissent. Quod decretum respectu futurorum conditionatorum vocant conditionatum, non ex parte Dei, sed ex parte objecti; quia vt dicemus dum de voluntate Dei (vbi ex professo de illo agemus) est efficax ex parte Dei, suspenditur tamen eius exequtio, donec ponatur conditio.

Imo addunt, quod si Deus non haberet

efficax decretum circa futura conditionata, quo statueret dare concursum prædeterminatiuum, applicantem voluntatem in illis conditionibus, impossibile esset Deum cognoscere illa futura certò, sed tantum conjecturaliter in dispositione causarum posita tali conditione; vel nullo modo ea cognoscere, si nulla detur connexio, sed pura concornitantia inter objectum & conditionem, vt sunt conditionata disparata. Et hic est germanus nonnullorum Thomistarum sensus, qui asseruisse videntur Deum non cognoscere futura contingentia conditionata, nam manifestè loquuntur ex vi couditionis, & determinationis libertatis applicantis decretum, vel concursum Dei. Hic est planus celebris huius controuersiæ status, quam multi tractatores ita Tenebris offundunt, vt non distinguant inter cognitionem futurorum conditionatorum, & medium illius cognitionis, cum tamen de primo nullum nisi leuissimum possit esse dissidium, sed de secundo, pro cuius decisione.

SPECVLATIO I.

Scientia Media, quâ Deus exploret ante decretum suum futurum consensum voluntatis applicantis & determinantis Dei concursum, & quâ Deus dirigatur in suis decretis, videtur sacræ scripturæ repugnare.

PRobatur: ex sacris litteris Deus *omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ*, vt dicitur ad Ephes. 1. sed si daretur scientia media Deus omnia operaretur secundum consilium

voluntatis humanæ, siquidem Deus nihil statueret, nisi prius nutibus, affectibus, & eius inclinationibus studuisset, & attendisset, quid voluntati in his occasionibus placeret, qua arte eam in aliis flectere posset, quasve circunstantias ministrare deberet, vt eam vinceret. Ergo hæc scientia non videtur satis conformis iis quæ de Dei voluntate tradit scriptura.

Probatur iterum ex illo Ephes. 2. *Ipsius factura sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Quo in loco multa sunt ponderatione dignissima. Imprimis si creamur in operibus bonis: ergo ea non supponit Deus futura ante suum decretum, sed bona opera suo decreto futura facit, sicut creatio non supponit subjectum, sed creando facit ex nihilo. Rursus, si Deus præparat opera nostra, vt in illis ambulemus, profecto non supponit nos ambulaturos in eis ante decretum, sed præparando facit vt in illis ambulemus, subindeque opera illa non antecedunt, sed subsequntur Diuinæ præparationem voluntatis, quæ *facit vt in iustificationibus eius ambulemus*, vt dicitur Ezechiel 36. *qua immutantur via nostræ.* Eccli. 33. qua *cor Regis* (quod est omnium liberrimum) *quocumque voluerit inclinat.* Prou. 21. qua *aufert cor lapideum & dat carneum.* Ezech. 11. Iterum si Deus præparat opera nostra, procul dubio actus nostros decernit, prædeffinit, & prædestinat, cum prædestinatio ab Augustino deffiniatur *præparatio beneficiorum, inter quæ beneficia sunt opera bona*, vt ait S. Thom. in expositione illius loci Apostolici, idque apertissime declarat August. lib. de prædest. Sanct. cap. 10. *Fidei & charitatis opera quæ per Dei gra-*

tiam fuerunt prædestinata, rectè prædestinita dicuntur authoritate Apostoli, creati in operibus bonis quæ præparat Deus. Ergo si opera nostra sint effectus diuinæ voluntatis & decreti præparantis & creantis, omnino repugnat scientiam diuinam præuidere posse illa ante suæ propositum voluntatis.

Probatur 3. ex illo 1. Corinth. 4. *Ne supra quam scriptum est vnus contra alterum insletur pro alio, quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ex quo sic discurro: Si Deus videt Petrum in tali serie & ordine rerum ante vllum voluntatis suæ decretum ex sua liberrate determinare gratiam indifferentem, & indifferenter oblatam, videret etiam Petrum in illis occasionibus se discernere à Iuda, qui in iisdem circunstantiis non consensurus est inspirationi & gratiæ, quâ æqualiter præueniri suppono; siquidem discretio Petri consentientis à Iuda resistente non proueniret à Dei decreto (cum videantur futura ante decretum) & si sit decretum, non est nisi indifferens & indifferenter oblatum, sed proueniret à voluntate humana in quam refunditur determinatio. Consequens est expresse contra Apostolum: ergo scientia media non videtur consona Apostolo; cuius veridica doctrina vt subsistat, planè necessum est, Deum non posse præuidere futurum libertatis consensum nisi in decreto statuente dare gratiam efficacem & discernentem, non vero indifferentem & pure sufficientem oblatam omnibus, sed per se inferentem consensum in prædestinatis. Hæc enim sola discernit: nam vt ait Augustt. lib. de prædest.

Sanct. cap. 5. *Gratia quæ bonos discernit à malis, non est communis bonis & malis.*

Objicies : ex illo Matth. 11. supra adducto, *Væ tibi Corrozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, pœnitentiam egissent.* Ex quo sic arguitur : Conuersio Tyriorum & Sydoniorum erat sub conditione prædicationis Christi futura : Sed non erat futura ex vi decreti. Ergo ante decretum. Probatur minor : si conuersio illa non præuidebatur futura nisi in decreto, non potuisset Saluator iuste reprehendere Iudæos præ Tyriis ; Iudæi enim haberent legitimam excusationem, possentque respondere Christi Domini expostulationi, ac quærere, cur nos increpas in comparatione Tyriorum? nam si circa nos haberes decretum illud prædeterminans, & gratiam ex illo manantem conferres, vtique sicut illi conuerteremur ; sed nec illi absque tali decreto conuerterentur. Sed Deus iustissimè Tyrios increpabat. Ergo conuersio Tyriorum non erat futura in decreto.

Respondeo hoc argumentum posse multipliciter confutari. Primò quia illud sibi sæpissime proposuit Augustinus eiusque occasione edidit librum de correctio. Et grat. propter Monachos Adrumetinos dicentes inutilem esse correptionem, si bona opera sint dona Dei. Quin illud idem sibi proposuit Apost. Rom. 9. cum enim dixisset : *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, statim sibi objicit: *Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur, voluntati eius quis resistit?* Quasi diceret, quid conqueritur Deus vel obiurgat peccatores ? nam si vellet misereri, & non indurare (quod facit non impertiens ma-

litiam, sed non tribuens misericordiam) non resisteremus. Ecce plane tactam ab Apostolo difficultatem huius argumenti, cui tamen non respondet per liberi arbitrij *velle & nolle*, vt ait bene Prosper lib. 7. vocat. gent. cap. 29. Sed increpat huiusmodi arguentem, dicens: *O homo tu quis es qui respondeas Deo?*

Secundo refellitur quia hoc argumentum, quo ferè vnico nititur opposita sententia, æque vrget aduersarios. Nam cum Deus ponat reprobum in iis rerum circunstantiis in quibus præuidet ipsum nusquam salutem consequturum, cum tamen potuisset eum collocare in illis in quibus de facto saluatus fuisset, numquid potest deo comparatiuè Iudicanti & increpanti identidem respondere? Domine cur me arguis in comparatione illius prædestinati? nam si me posuisses in circunstantiis oportunis, quas per scientiam mediam præuidebas; si mihi contulisses benignam illam gratiam congruam genio meo accommodatam, in illo rerum ordine in quo præuidebas me eâ recte vsurum, tam benè fuissem fidelis obseruator mandatorum ac ille alter prædestinatus, quem nisi gratiâ congruâ præueniisses peior me fuisset. Sicut ergo non sumus pares in gratiis & fauoribus à te collatis, ita iustum non est vt in comparatione illius increper, vel objurger.

Tertiò manifestius refutatur hæc objectio, & euidenter monstratur ex illo loco Matthæi non posse iuuari oppositam sententiam. Nam si locus ille intelligeretur secundum corticem litteræ, & vt sonat, sequeretur Tyrios & Sydonios fuisse credituros, vel tantæ humilitatis pœnitentiam acturos visis solum illis virtutibus,

quæ patratæ sunt in in Corozain & Bethzaida, quod tamen nullus Catholicus dicet, alias gratia interior non esset necessaria : cum tamen veritas dicat Ioan. 5. *Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit eum, & nisi fuerit ei datum à patre meo.* Vnde August. l. de prædest. sanct. c. 6. *Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt : volunt ergo isti credere, nolunt autem illi, quis hoc ignoret ? quis hoc neget ? sed cum aliis præparatur, aliis non præparatur voluntas à Domino, discernendum est quid veniat de misericordia, quid de iudicio.* Igitur Tyrij non erant conuersuri se ex vi apparatus signorum, nec ex determinatione voluntatis, sed ex præparatione voluntatis suæ à Deo factæ, sine qua nihil prædicatio profuisset, vt cap. 14. l. de ingratis canit Prosper.

Percurrat Apostolus orbem
Praedicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet.
Vt tamen his studiis auditor promoueatur
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola efficit.

Ad argumentum igitur sine dubio fatendum est, quod si Deus dedisset gratiam efficacem Iudæis quam daturus esset Tyriis, procul dubio fuissent conuersi, cum dicat August. l. de dono perseuer. cap. 14. *Nec Tyriis profuit quod potuerint credere, quia prædestinati non erant : Nec istis* (Iudæis) *obfuisset quod non poterant credere, si prædestinati essent, vt Dominus induratis cor lapideum vellet auferre.* & D. Prosper in respons. ad excepr. Gen. dub. 8. *Non solum Tyrios & Sydonios, sed etiam Corrozain potuisse conuerti, si hoc in eis Dominus voluisset operari.* Cum quibus stat vere potuisse Christum Iudæos præ Tyriis in-

crepare, quia ex sua malitia erant magis obdurati, atque adeo maiora ponebant obstacula gratiæ, & prædicationi quam fuissent Tyrij posituri. Ait enim prælaudatus Augustin. l. de dono perseuer. cap. 14. *Non erant sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum, & Sydoniorum.* Ob illam igitur voluntariam excæcationem, & obdurationem maiorem merito increpabantur Corozaitæ, qui consequenter frustra se purgarent ad excusandas excusationes in peccatis.

Quod si vrgeas: Si Deus habuisset decretum dandi gratiam efficacem Corozaitis supposita prædicatione, sicut in eadem circunstantia Tyriis contulisset, Iudæi illi non fuissent magis obdurati, siquidem gratia illa aufert cor lapideum, *& à nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur vt duritia cordis primitus auferatur*, vt loquitur Augustin. l. de prædest. Sanct. cap. 8. ergo aliquid afferre poterant Iudæi quo excusaretur ipsorum occallentis animi durities.

Respondeo perperam illa excusatione se tegere Iudæorum obstinationem, quia vt egregie tradit S. Thom. lib. 3. contr. gent. cap. 159. *Licet non sit in potestate hominis promereri vel aduocare gratiam, est tamen in potestate eius se impedire ne recipiat gratiam, & cum hoc sit in potestate eius merito ei imputatur qui impedimentum ponit. Sicut sole mundum illuminante in culpam imputatur non videre, ei qui oculos claudit, licet videre non possit nisi lumine Solis præueniatur.* Atque adeo obliberam illam Diuino lumini rebellionem, & obstinatum gratiæ Cælestis contemptum iustissimè accusabantur Iudæi, quibus gratiam victricem & duritiem eorum emollientem tri-

buere minime tenebatur, alias non esset gratiâ; sed poterat eâm ex iustitia denegare in pœnam præcedentium peccatorum saltem originalis, vt toties aiunt SS. August. & Thom. vnde inanis est excusatio peccatorum. *Facile quippe est* (ait August.lib.de dono per. cap. 9.) *Vt infidelitatem accusemus Iudæorum de libera voluntate venientem.*

Scio alios Thomistas aliter expedire se ab hac difficultate, dicentes potuisse iuste Christum increpare Iudæos, & vitio eorum imputare impœnitentiam, quia eis auxilia ad conuersionem sufficientia contulerat. Nec tenetur prouisor vniuersalis omnibus conferre auxilia efficacia, tum quia propter honestissimos fines potest relinquere creaturas in sua defectibilitate; tum quia alias nulla fieret specialis gratia electis. Vnde licet isti non possint gloriari præ aliis, alij tamen possunt increpari præ istis, quia habuerunt omnia sufficientia vt possent se conuertere, & ex eorum praua voluntate processit quod non se conuerterint. Sed de hac solutione aliàs, supponit enim multa accuratiùs examinanda.

REFLEXIO.

Non afferamus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus: sed afferamus diuinam stateram de scripturis, & in illa quid sit grauius appendamus. ait August.l.2.contr. Donat.cap.6. ad reprimendam ergo humani arbitrij sibi bonum vsum gratiæ asserentis confidentiam vanam & inanem scrutemur scripturas, & dicamus cum Propheta. *Numquid Deo subjecta erit anima mea?* dignum

sanè & iustum est, *vt sit in omnibus ipse primatum tenens*, vt ait Apost. Coloss. 1. atque adeo vt in quibuscumque circunstantiis non expectet, sed conferat bonæ voluntatis consensum; nec subjiciatur, sed subjiciat repugnantis voluntatis duritiem. Vnde B. Prosper l. cont. Collator. in fin. nos admonet, in omnibus locis, temporibus, circunstantiis; occasionibus, vno verbo, *semper à Deo petere, vt in omnibus cogitationibus, atque actionibus nostris ipse teneat primatum, qui dixit se esse principium.* Certè sicut ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia, ita absque ipso in nihilum peccati redigimur, nisi teneat manum dexteram nostram, & quò eundem sit præcedens dirigat. Huius figuram habemus in filio prodigo, qui statim atque Pater diuisit substantiam, id est dedit ei plenum dominium libertatis suæ, vt exponit Theophilactus, in omne flagitij & infælicitatis præcipitia ruit. Vnde egregiè infert Chrysol. serm. 1. *Beati filij, quorum tota est in Patris charitate substantia.* Nam eo ductore præuio vitabimus omne noxium.

Specvlatio II.

Scientia media videtur è diametro & veluti è fronte opposita D. Augustino, & S. Thomæ, eius discipulo.

PRima pars probatur: D. Augustino fuit proposita scientia media à Deo Prospero, & Hilario Arelatensi in suis ad Augustinum Epi-

tolis : Atqui sibi propositam refutauit S.Pater: ergo ex Augustino rejicienda est scientia media. Ex hoc discursu darè & nitidè mens Augustini apparebit, si singulæ propositiones probentur.

Maior ergo sic suadetur : D. Prosper in sua Epistola sic Massilienſium semipelagianorum mentem exponit. *Penè omnium par inuenitur & vna sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, vt ob hoc alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque præuiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio in qua futurus esset voluntate, & actione præscierit.* Vide, quæso, ipsissimam scientiam mediam, qua Deus præuidet quid volitura vel factura sit libertas creata sub ipso adiutorio gratiæ indifferentis constituta, antequam aliquid decernat, vel aliquem prædestinet. Vnde idem Prosper hanc sibi difficultatem ab Augustino resolui expoſcit : *Vtrum præscientia Dei ita secundum propositum maneat, vt ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita* : & demum quærit, an hæc differentia possit statui inter parvulos & adultos quod, *in his qui nihil operaturi saluantur, quasi solum Dei propositum videatur existere, in his vero qui aliquid boni acturi sunt per præscientiam possit stare propositum; an vero vniformiter præscientia sit subnixa proposito ?* Potuitne apertiùs proponi status quæstionis scientiæ mediæ, quam dum quæritur an Deus cognoscat futura ante vel post propositum voluntatis, quod idem est ac decretum. Ibi etiam affert Prosper motiuum quo ducebantur Massilienses ad huiusmodi præscientiam astruendam, quia alias sequeretur, *remoueri omnem industriam, tolliquæ virtutes, si Diuina*

constitutio humanas præueniat voluntates : & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam necessitatem induci : & per operantem & præoperantem gratiam liberum impediri arbitrium. Ecce formalissima assertorum scientiæ mediæ motiua. Ergo clarissime D. Prosper statum scientiæ mediæ, & motiua quo eius assertores ducuntur ad eam admittendam B. Augustino proposuit.

Idem præstitit Hilarius, narrans in sua Epistola semipelagianos ad suadendam huiusmodi præscientiam anteuertentem propositum & decretum diuinæ voluntatis, veluti ad hominem arguentes, vsos potissimùm authoritate ipsiusmet Augustini qui l. de quæstionibus paganorum quæst. 2. (liber haberur Epist. 49.) dixerat *tunc Christum voluisse hominibus apparere, quando & vbi sciebat esse qui in eum fuerant credituri.* En genuinam scientiæ mediæ notionem, quæ proinde erat vnicum Massilienſium fulcrum. Vnde Faustus Rhegienſis eorum Coriphęus l. de grati. & human. mentis arbitr. sæpe inculcat, quod *nisi præscientia explorauerit, prædestinatio nihil decernit.* Narrat etiam per totum decursum Hilarius Massilienſium motiua non aliunde desumi, quam ex læsione libertatis, & inutilitate correptionis.

Atqui propositam scientiam mediam Augustinus rejecit, seu, vt loquitur D. Thom. 3. part. quæst. 1. art. 5. ad 2. *reprobauit* in libris de prædestinatione sanctorum, & de dono perseuerantiæ, quibus respondet Prospero & Hilario, quæ est minor primi sillogismi, & sic monstratur: ait enim l. de prædest. sanct. cap. 10, *Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit quæ fuerat ipse facturus.* Id est sicut Deus nihil potest præscire futurum

turum nisi ille facturus sit illud, ita nisi prædestinet & decernat se facturum illud. Et c. 9. respondens argumento desumpto ex quæstionibus paganorum, inquit. *Cernitisne me sine præiudicio latentis consilij Dei, aliarumque causarum hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod conuincendæ paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæstionem, sufficere videretur. Quid enim est verius, quam præsciuisse Christum qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri: sed vtrum prædicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est vtrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinauerit Deus credituros? quærere ac differere tunc nondum putaui. Proinde posset etiam dici tunc voluisse apparere Christum, quando sciebat, & vbi sciebat, qui electi fuerant in eo ante mundi constitutionem.*

Vbi S. Præsul ita clarè se explicat, vt ponderatione non egeat, ibi enim loquitur de futuro conditionato sicut loquutus fuerat in quæstione illa contra Paganos; nimirum, quinam essent illi qui reciperent Christum in his vel illis circunstantiis loci & temporis: Deinde asserit Deum præscire quinam in variis circunstantiis sint & non sint credituri. Sed tamen concludit in eis fidem præscire quibus prædestinauerat se donaturum fidem. Igitur manifestè vult præscientiam non dirigere prædestinationem, propositum, & decretum, sed potius præscientiam inniti prædestinationi & decreto.

Rursum lib. de dono perseuer. c. 3. exponens locum illum *væ tibi Corozain*; quod est vnicum fundamentum aduersariorum, & vb. secundum ipsos sit sermo de futuro conditionato. Sic loquitur August. *hos certè de Tyro & Sidone non*

possumus dicere (quod nimirum dixerat de Paganis) *& in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis hæc diuina iudicia pertinere, sine quarum causarum pea iudicio tunc ita respondere me dixi.* ac si planè diceret conuersionem Tyriorum futuram quidem posita prædicatione, sed tamen non esse futuram, nisi quia Deus prædestinauerat vt fidem essent Deo donante sumpturi, quod tamen decretum executioni non mandauit, ob altitudinem inscrutabilem judiciorum suorum. Et iterum in eodem libro c. 17. expressè docet, quod si opera nostra non sunt à Deo prædestinata, *ergo nec donantur à Deo, aut ea se daturum esse nesciuit : quod si donentur, & daturum ea se esse præsciuit, profecto prædestinauit.* Quibus verbis plus quam euidentissimè scientiam mediam de medio sustulit. Cum dicat Deum nescire opera nostra nisi quia ea prædestinat & decernit: prædestinatio vero non est ante decretum, *sed secundum propositum voluntatis Dei*, vt loquitur Paulus.

Igitur S. Augustinus clarè cognouit & reiecit id quod nomine scientiæ mediæ controuertimus. Ita vt Suares veritate ipsa coactus vltro confiteatur semipelagianos vsos fuisse scientiâ mediâ,& Augustinum reprehendisse solum abusum eorum. Sed quidquid sit, abusine fuerint scientiâ mediâ Semipelagiani, nec ne, tamen omnem eius vsum rejcit Augustinus. Cum etiam teste D. Thoma supra citato reprobet illum eundem vsum quem adhibuerat in quæstio præfata Paganorum, quo sane vsu non est melior vsus Molinistarum, illumque sic moderetur, vt velit, ideo solùm Deum conuersionem Paganorum præscuisse, quia eam prædestina-

uerat : quod est scientiam mediam exterminare.

Confirmatur hic discursus ; & clarè ostenditur D. Augustinum in libris illis quibus respondebat Prospero & Hilario omnem scientiæ mediæ vsum rejecisse. Nam l. de bono pers. c. 18. regulam generalem statuit quod, *quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum eandem prædestinationem intelligere oportere, & præscire idem esse ac prædestinare.*. Quæ regula esset omnino falsa, si daretur aliqua præscientia explorans futiritionem rerum independens à decreto, & illud præueniens : item loquens l. de præd. SS. cap. 10. de præmissione facta Abrahamo circa conuersionem gentium sic ait : *Quando prædixit Deus Abrahæ fidem gentium non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit; promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines. Non autem sic credidit Abraham, sed credidit dans gloriam Deo, quoniam quæ promisit potens est & facere, non ait prædicere, non ait præscire, sed ait potens est est facere, ac per hoc facta non aliena sed sua.* Vbi S. Pater planè scientiam mediam eliminauit. Eius etenim assertores dicunt, ideo Deum posse prædicere vel promittere quinam conuertentur nec ne, quia præscit Deus quinam obtemperaturi sint gratiæ omnibus oblatæ. At vero Augustinus docet ideo Deum posse prædicere vel promittere actus nostros, quia potens est illos facere, non de nostra pot state, sed de sua prædestinatione : & iterum cap. 17. expresse docet nulla posse Deum præscire futura nisi in decreto, quo planè omnis vsus scientiæ mediæ interdicitur, sic autem ait : *hæc*

est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ. Nam quid est quod ait Apostolus, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem? quod profecto, si propterea dictum est, quia præsciuit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes; contra istam præscientiam loquitur filius dicens: non vos me elegistis, sed ego elegi vos; electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, qua Deus sua facta præsciuit.

Omitto argumenta petita ex principiis Augustinianæ doctrinæ, quale est illud supra statutum: *Deus non videt res futuras quia futuræ sunt, sed ideo futuræ sunt quia videt eas Deus*, quod principium in Augustino fundatissimum negant vnanimiter assertores scientiæ mediæ, & merito quia illo eam vident interimi, nam cum scientia visionis non sit causa rerum nisi suppositio decreto, si nihil est futurum nisi quia videt Deus esse futurum, profecto nihil videtur futurum ante; sed potest decretum.

Omitto etiam sanctissimum Patrem numquam in concordia libertatis & gratiæ, nec ad prædestinationis hinc inde ebullientes difficultates explanandas recurrisse ad scientiam mediam, quod argumentum licet negativum valdè vrget hîc, tum quia cum Augustinus eam non ignorauerit, sanè ea vsus fuisset si veram credidisset. Tantum vero abest quod confugerit vnquam ad præuisionem circunstantiarum vt gratiam cum libertate componeret, quod etiam in Enchir. c. 97. dicat: *quis tam impiè desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit in bonas non posse conuertere?* non ergo opus habet [illegible] vt volunta-

tem conuertat & libertatem seruet, qui in quibuslibet conuertere libertatem potest: sed hæc omnia missa facio, quia non est necesse per discursum, & argumentorum circuitum scientiam mediam ex Augustino refellere quando ipsissimum controuersiæ statum perspicuè resoluisse Augustinum ostensum est. Præsertim cum ipse scientiæ mediæ institutor vel potius restitutor Molina 1. p. q. 23. ar. 4. & 5. dis. 1. mem. vltimo atteſtetur, quod si sua scientia media data explanataque fuisset *ex Augustini opinione tot fideles non fuissent turbati.* Fatetur ergo suam scientiam ab opinione Augustini recedere: Ergo Thomistarum sententia quæ scientiam mediam rejicit est opinio Augustini; opinio autem Augustini in his materiis est doctrina Ecclesiæ. Non potuissem euidentius istam primam partem confirmare quam ex confessione aduersarij. Nam vt ait Iræn. l. 4. c. 14. *Illa est vera & sine contradictione probatio, quæ etiam ab aduersariis ipsis symbola testificationis profert.* & Hilar. l. 7. de Trinit. *magna vis est veritatis, quæ cum per se intelligi non possit, per ea tamen ipse quæ ei aduersantur elucet, & doctrinæ firmitatem dum attentatur acquirit.*

Secunda pars quæ asserit scientiam mediam fidelissimo Augustini discipulo D. Thomæ repugnare variis etiam posset argumentis comprobari, tum quia numquam meminit illius, sed solius scientiæ simplicis intelligentiæ, quæ merè possibilia cognoscit, & visionis, quæ futura suppositæ voluntate intuetur. Tum quia illa sæpe sæpius versans argumenta quæ accumulant moderni circa concordiam Diuinæ voluntatis cum humana, nusquam ad vllam præ-

scientiam libertatis exploratricem confugit, sed Magistrum suum Augustinum imitatatus recurrit semper ad efficacissimam vim divinæ voluntatis dicens 1. part. quæst. 19. art. 8. *Cum voluntas Divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant quo Deus vult fieri: vult autem quædam fieri necessario, & quædam contingenter.* Et lib. 1. perihe. lect. 14. *Voluntas Divina est intelligenda ut extra ordinem entium existens velut causa quædam profundens* (alij legunt *profundans*, id est intimè peruadens, & profundè ingrediens) *totum ens & differentias eius: sunt autem differentiæ entis possibile & necessarium, & ideo ex ipsa voluntate Divina originantur necessitas & contingentia in rebus.* Tum quia docet nihil esse futurum ante decretum, & scientiam visionis esse causam futitionis rerum, vt euidenter ostendimus superiori capite, quæ cum scientia media cohærere non posse vltro fatentur eius assertores. Sed his omissis aliisque adducendis, dum de Deo Primo motore agemus.

Probatur expresso testimonio petito ex qu. 6. de veritate art. 3. Vbi cum obiecisset contra certitudinem prædestinationis, quod prædestinatio non habet certitudinem absolutam, sed tantum conditionatam ex hypothesi quod voluntas humana consentiat, respondet ad 4. *Dicendum quod causa secunda quam oportet supponere ad inducendum prædestinationis effectum etiam ordini prædestinationis subiacet, & ideo ordo prædestinationis quamuis sit cum suppositione voluntatis humanæ, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem.* Vbi apertè docet prædestinationem non supponere scientiam exploratricem

consensus, quia nimirum ipse consensus prædestinationi & decreto subjacet, & illud subsequitur. Quod si consensus subjacet decreto & prædestinationi, planum est quod antequam Deus habeat prædestinationem & decretum, talis consensus non est futurus, nec subinde potest præuideri talis.

Rursus in eodem loco ait S. Doctor certitudinem prædestinationis non inniti certitudini solius præscientiæ. *Sic enim dicendo* (ait) *non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte præscientiæ euentus, & sic præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quod est contra authoritatem Scripturæ & dicta sanctorum, vnde præter certitudinem præscientiæ, ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem.* Quo in loco D. Thomam sibi aduersari ingenuè fatetur Molina & patet: nam si prædestinatio ex eo non sit certa, quia supponit præscientiam consensus futuri, sed quia ipsamet infert & ordinat consensum futurum, clarum est nihil posse præuideri futurum ante decretum prædestinationis, nec Deum in negotio prædestinationis dirigi scientia madia.

Et in hac 1. part. quæst. 23. art. 5. refutans eos qui posuerunt Deum velle dare gratiam illi quem præsciuit bene vsurum gratia non aliter eos refellit nisi dicendo: *Sed isti videntur distinxisse inter id quod est ex gratia, & id quod est ex libero arbitrio: non est autem distinctum quod est ex libero arbitrio, & prædestinatione; sicut non est distinctum quod est ex causa secunda, & causa prima; Diuina enim prouidentia producit effectus per operationes causarum secundarum, vnde & id*

quod est per liberum arbitrium est ex prædestinatione. Ergo consensus ad actum bonum quem producit liberum arbitrium prædestinati non potest præuideri neque absolute neque sub conditione futurus ante diuinam prædestinationem siue decretum, cum S. Doct. affirmet omnem bonum vsum gratiæ & consensum inspirationi esse effectum prædestinationis; impossibile vero sit præuidere effectum futurum independenter à sua causa. Si hoc non sit refutare scientiam mediam, nihil vmquam D. Thomas refutauit.

Objicies 1. contra 1. partem: D. August. l. de prædest. sanct. cap. 10. docet prædestinationem non posse esse sine præscientia, posse tamen esse præscientiam sine prædestinatione: igitur ex August. non omnia Deus in sua prædestinatione præsciuit. Et lib. 1. ad simpl. quæst. 2. docet Deum sic vocare eum cuius miseretur, quando scit congruere vt vocationem non respuat, qui modus loquendi videtur fauere scientiæ mediæ.

Respondeo in primo testimonio Augustinum manifestè loqui de peccatis, quæ Deus præscit, sed non prædestinat nec decernit, ait enim, *prædestinatione quippe Deus ea præsciuit quæ fuerat ipse facturus: præscire autem potest quæcumque non facit sicut quæcumque peccata.* Ecce Augustinum sui apertum interpretem. Secundo vero testimonio exponendo non solum adhiberi posset regula illa ab Augustino supra tradita: quando apud Dei tractatores agitur de vocatione iustorum præscire idem est ac prædestinare: sed insuper addo congruitatem illam non esse solius voluntatis (aliàs prædestinatio ad gratiam esset ex meritis & non purè gratis, si

vocatio gratiæ non daretur nisi suppositâ congruitate voluntatis, quo nihil est magis ab Augustini totâ doctrinâ abhorrens) sed est congruitas ab ipsa gratia mouente facta, præparata, & aptata, iuxta illud Hebræ 13. *Aptet vos Deus in omni bono, faciens in vobis quod placet coram se.* Id est, *faciat vos velle omne bonum.* Vt exponit D. Thom. lect. 3.

Objicies 2. Contra secundum partem: D. Thom. quæst. 6. de veritate art. 6. & alibi docet præscientiam magis late patere quam prædestinationem & 3. part. quæst. 1. a. 3. ad 4. ait: *Prædestinatio supponit præscientiam futurorum.*

Respond. Præscientiam magis se extendere quam prædestinationem, tum quia Deus non prædestinat vel prædeterminat peccata quæ tamen præscit, & de hac præscientia peccatorum manifeste loquitur 3. p. cit. ibi enim ait, prædestinationem Christi præsupponere præscientiam peccati Originalis. Tum quia prædestinatio stricte sumpta in qua acceptione frequentiùs vsurpatur, intelligitur solum de his quæ pertinent ad salutem æternam, & in hac ratione supponit præscientiam rerum naturalium, quæ tamen supponit decretum prouidentiæ naturalis, sine quo repugnat Deum cognoscere quodcumque futurum contingens.

Reflexio.

Obseruatu dignissimum est quod alias à Theologo reconditæ eruditionis nec minoris pietatis audiuisse me memini D. Augustinum qui ingenij sui incomparabilis dotibus insignem humilitatem adjungebat, tamen nolle sa-

teri se scientiæ mediæ vnquam subscripsisse. Mirabile dictu est, sanctum Præsulem, qui tam humiliter castigandorum operum suorum gratia retractationum libros publicæ lucis fecit, tamen in libro de prædestinatione sanctorum, quem senio confectus subindeque humilitate consummatus edidit, non audere sed veluti erubescere fateri se scientiam mediam admisisse in illa quæstione Paganorum, quam tamen ibi non leuiter indigitarat, sed ait intelligendum esse quidquid ibi scripserat absque præiudicio latentis consilij & decreti Diuini. Non prouenit ex elatione ista excusatio, sed ex profundiori humilitate nascitur. Credebat nimirum Doctorum omnium sapientissimus & iuxta humillimus in mentem Catholici Doctoris venire non posse, vt sibi aliquid tribuat quo glorietur, quo se discernat, quo totum Deo non det. Tanta luce arbitrij infirmitatem, & succurrentis adiutorij Diuini necessitatem penetrabat, vt aliàs se oppositum cogitare potuisse vix ac ne vix quidem crederet. Sicut qui cursim, nec data opera aliquid incidenter contra propriam sententiam absque aduertentia dicit; dum reuocat memoriam, de seipso dubitat num dixerit, & dictum illud glossa temperat. Si erubescit Augustinus indicasse alias scientiam illam, protesteturque se non insinuasse illam absque præjudicio latentis consilij Diuini, prædestinationis, & decreti, quia aliàs totum non daretur Deo, cum tamen in nullo sit gloriandum, quando nihil est nostrum: sic in vita spirituali aliquid altum sapere pudendum est. Firmissime ergo tene & nullatenus dubites; te in quauis circunstantia ab illius decreto pendere, sine quo fa-

cum est nihil. Si aliquid facis tuum, crede iam peristi. Vt mirè expendit Bernard. exponens illud Ezechiel. 28. *Perdidisti sapientiam in decore tuo*, & dicens serm. 74. in Cant. *Nolo decorem qui mihi sapientiam tollat, quæris quis ille tam noxius? tamque perniciosus decor? Tuus. Perdidit eam, cum fecit suam: proprietas in causa est; quod non dedit gloriam Deo, quod non retulit gratiam, pro gratia; sic habere perdere est.* Nam quid tam perditum, quam quod extra Deum exulat?

SPECVLATIO III.

Scientia media inuictis rationibus, tum à priori, tum à posteriori confutari potest.

PRobatur primo à priori: Scientia media est cognitio futurorum contingentium conditionatorum ante decretum Diuinæ voluntatis statuentis efficaciter eorum futiritionem: Atqui non datur imo repugnat huiusmodi cognitio in Deo: ergo non datur scientia media. Maior est status controuersiæ. minor probatur: ante decretũ & prædefinitionem voluntatis Diuinæ determinantis extraheræ res è statu meræ possibilitatis nihil est absolutè vel conditionatè futurum, sed merè possibile: Atqui repugnat aliquid cognosci futurum conditionatè nisi sit futurum. Ergo repugnat cognitio futurorum conditionatorum ante decretum, minor est euidens. Maior probatur. Decretum diuinum est prima causa cuius-

cumque futiritionis, tum quia alias posset aliquid esse futurum independenter à Dei voluntate, nec subderetur eius Dominio, vel liberæ potestati, quo nihil magis horrendum in Theologia Catholica. Tum quia futurum prout distinguitur à mere possibili est illud quod est determinatum in aliqua causa vt sit, si enim in nulla causa determinatum sit vt aliquando habeat esse, in statu meræ possibilitatis remanet: ergo de ratione absolutè futuri est esse determinatum in aliqua causa ad absolutè existendum, & de ratione futuri conditionati pariter est esse determinatum in aliqua causa ad existendum conditione tali vel tali posita: atqui ante decretum Diuinæ voluntatis nulla causa est vel intelligitur determinata ad ponendum aliquid nec absolutè nec sub conditione: Ergo ante decretum Diuinæ voluntatis, nihil est omnino futurum nec absolutè, nec conditionatè.

Confirmatur: Futurum quodcumqne illud sit siue absolutum siue conditionatum, si vere futurum sit, distinguitur à mere possibili. Ergo per aliquod quod sit causa talis furitionis, si enim nulla assignetur causa talis futiritionis profecto remanebit in statu meræ possibilitatis. Sed causa talis futiritionis alia esse non potest quam diuinum decretum decernens dare futiritionem tali enti possibili: alias res posset transire de statu possibilitatis ad statum futiritionis alicuius independenter à Diuina voluntate, daretur que aliquis status, verè futurus, & Deo vt talis cognitus, à Deo non proueniens, & vt sic loquar, primam causam non recognoscens, quod Catholicus refugit sensus: ergo nullum potest dari futurum conditionatum

ante positivum Dei decretum statuens eius futi-
ritionem, subindeque cognosci nequit ante
illud & aliter dicere est, *futura quæ non sint fu-
tura, confingere.* Vt ait Prosper ad August.

Confirmatur & vrgetur amplius: Si aliquid
est conditionatè futurum ante decretum, vel es-
set futurum ex meritis & natura obiecti, &
hoc dici nequit, quia agimus de obiecto libero
& contingenti, quod proinde ex se non magis
exigit esse quam non esse. Vel esset futurum ex
vi conditionis; & hoc etiam esse non potest, quia
vel conditio est disparata, vt, *Si percussisses septies
terram, percussisses Syriam vsque ad consumptio-
nem*, vbi percussio terræ septena non infert in
fallibiliter percussionem Syriæ: vel est condi-
tio comparata & conducens, vt si fiat prædi-
catio, erit conuersio: & tunc etiam conditio
non habet connexionem infallibilem cum euen-
tu, alias sola prædicatio externa sufficeret ad
conuersionem, quod Ecclesia damnauit in Pe-
lagio. Vel esset futurum ex oblatione Diuini
concursus à decreto Diuino indifferenti pro-
cedentis, quatenus Deus est paratus concurrere
cum Petro & dare illi auxilia indifferentia ad
talem conuersionem efficiendam, & hoc etiam
asseri nequit, quia concursus ille aduersa-
riorum, sicut & decretum ex quo profluit, nec
non auxilia quæ ministrat cum sint mere in-
differentia, non habent nisi nexum indiffe-
rentem, ac fallibilem, non infallibilem cum
conuersione. Ergo nisi recurramus ad Diuinum
Decretum efficaciter statuens talem futirionem
nihil poterit assignari per quod tale obiectum
sit potius futurum quam non futurum. Dicere
enim cum aduersariis ideo esse futurum, quia

erit, est manifesta petitio principij, nam hoc est de quo quæritur, vnde habeat objectum illud quod erit antequam sit, potius quam non erit? cum nihil sit assignabile prætet Diuinum decretum ex quo possit oriri quod sit potius quam non sit determinata futiritio etiam posita conditione. Huic argumento plane insolubili & euidenti, vix virisimilis solutio afferri queit.

Probatur 2. Alia ratione à priori: constat ex dictis art. præced. Deum nihil posse cognoscere nisi in essentia sua vt in causa, quæ est aperta doctrina Patrum, & quia alias cognitio diuina non haberet ex proprio objecto scilicet Diuina essentia omnem possibilem perfectionem, quod est euidenter falsum, siquidem Diuina intellectio eo ipso quod est infinita & perfecta Dei comprehensio est infinite perfecta in ratione cognitionis, sicut & objectum est infinite perfectum in ratione objecti scilicet Diuina essentia, ex qua subinde non egreditur, vt suam intelligibilem perfectionem acquirat. Ex hoc autem principio certo & Deo dignissimo subsumo. Atqui essentia Diuina non est causa cuiuscumque futuri antecedenter ad decretum suæ voluntatis, seu non potest determinatam vllam futiritionem nec absolutam nec conditionatam repræsentare intellectui Diuino, nisi prout est determinata per decretum. Ergo Deus nullum futurum siue absolutum siue conditionatum potest cognoscere antecedenter ad decretum. Probatur minor 1. Si essentia Diuina repræsentaret intellectui Diuino futiritionem alicuius objecti ante omne decretum voluntatis, illud futurum esset simpliciter, absolutè, & antecedenter ne-

cessarium, sicut necessario ab essentia repræsentaretur, necessaria quippe est illa repræsentantio quæ antecedit omne exercitium libertatis, etiam Diuinæ: Diuina vero libertas non exercetur nisi per decretum. 2. essentia diuina non repræsentat necessariò futura contingentia conditionata ante decretum, puta conuersionem Petri, cum de se ante decretum indifferenter repræsentet conuersionem & non conuersionem. 3. Non alia ratione possibilitas rerum est necessaria nisi quia necessario relucet in essentia Diuina etiam independenter à Diuina voluntate. Ergo si conuersio Tyriorum repręsentetur vt determinate futura ante omne decretum Diuinæ libertatis, conuersio illa non erit minus antecedenter necessaria. Nec potest afferri vmbra disparitatis, quæ non sit petitio principij.

Probatur tertiò à posteriori ex grauissimis inconuenientibus, ex assertione scientiæ mediæ continuò sequtis. Primum est quia scientia media videtur à Deo tollere rationem causæ primæ. Tunc auferetur à Deo ratio causæ primæ, quando aliquid creatum subterfugit Dei causalitatem. Atqui admissa scientia media aliquid creatum subterfugit Diuinam causalitatem, ergo. Maior est certa apud aduersarios, qui in hoc ponunt rationem causæ primæ, non quod prius natura agat vel moueat causam secundum, sed in hoc quod ad omnia se extendat, & quod nihil possit causa secunda efficere sine illa. Minor vero probatur: Ideo admittitur scientia media vt videat Deus quomodo voluntas creata determinet concursum Dei indifferenter oblatum: ergo videt quod hæc determinatio concursus Diuini, quod hæc reductio, hic vsus, &

applicatio Diuinæ gratiæ nou descendit à suo decreto, sed ex determinatione voluntatis, ac proinde videt illam determinationem non esse à se, siquidem illam expectat à creatura, & ideo explorat vt videat in quam partem flexura se sit voluntas: Vnde quamuis aduersarij admittant gratiam præuenientem, tamen hæc est indifferens, & expectat determinationem, voluntatis. Plane de illis dici potest quod ait Prosper epist. ad August. *Nec considerant se gratiam Dei quam comitem, non prauiam volunt esse humanorum meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum sua phantasiam non negant esse præuentas.* Hoc argumentum fusius & ex professo prosequor infra, dum ago de decretis prædeterminantibus contra pura indifferentia.

Secundum inconueniens: Scientia media, vt videtur, aufert omnem libertatem Diuinam, quia cum scientia media exploret & expectet consensum & determinationem voluntatis creatæ, antequam Diuina quidquam decernat vel definiat, procul dubio enecat in Deo rationem primi liberi, de cuius ratione est quod sit primum eligens, & primum determinans. Quod magis sic vrgeo: quando Deus præuidet antecedenter ad omne suum decretum captiuitatem Dauidis, si maneat in vrbe Ceila, vel potest Deus captiuitatem illam impedire, vel non potest per suum decretum: si potest, ergo illa scientia non attinget futura conditionata necessariò, & naturaliter, sed liberè, siquidem versatur circa objectum, cuius futitritionem auferre potest subsequens decretum; scientia autem media iuxta omnes eius defensores est naturalis, non libera:

si non potest, tollitur & enecatur diuina libertas, quæ non potest disponere de rebus pro suo libito, subindéque aliquid erit liberum voluntati creatæ, quod erit necessarium diuinæ. Tanti est apud Neotericos iura libertatis humanæ defendere per scientiam mediam, cum dispendio diuinæ.

Tertium inconueniens: scientia media euertit supremum dominium Dei in nostras voluntates: cum enim per eam prius exploret Deus quid voluntas humana sit variis in circunstantiis appetitura, ne se exponat periculo definiendi aliquid in cassum, & quod impediatur à causa secunda, fit inde Deum non posse conferre bonum efficax siue ad inchoandum bonum, siue ad flectendum cor durum, siue ad perseuerandum, nisi explorato prius consensu, præuisaque illa circunstantia opportuna, in qua voluntas se sinet allici. Atqui hæc doctrina, in qua tota medulla scientiæ mediæ continetur, non stat cum supremo Dei Dominio, quod ei in nostras voluntates tam disertè asserit scriptura, vt dicat posse Deum cor Regis omnium libertimum *quocumque voluerit inclinare*, Vt inculcet Augustinus, Deum habere humanorum cordium, quocumque voluerit inclinandorum *omnipotentissimam potestatem*; & quòd *magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas*; & quod eas *vti voluerit, quoties voluerit, quando voluerit potest in bonum conuertere.* Vt supra retulimus, quod verum non esset, si indigeret Deus opportunæ occasionis tempestatem obseruare, & veluti occupari, vt oblatam sedulo captet. Sicut falso diceretur, ducem aliquem esse omnipotentem expugnatorem vrbium, & in omni circunstantia

posse vincere, qui opus haberet tempora captare, in hostilem exercitum exploratores submittere, excubitores in stationibus collocare, vigilias excubiasque circumire, stratagemate belliciisque artibus hostes intercipere, militares copias cogere, in campestria educere, in acies ordinatas struere, hostes obsidione cingere, eorum arces machinis tormentisque quatere, & post hæc exitum expectare. Quis similiter credat Deum omnipotentem Dominum voluntatis, si debeat prius per scientiam mediam tempora capessere, opportunitates venari, nutibus voluntatis studere, propensionibus inuigilare, meditari res quibus flectat, industrias ne exasperet, cogitationes congruas quibus alliciat, officia quibus demereatur, & vrbana prensatione conciliet. Vno verbo scientia media facit quidem Deum politicum, sed non omnipotentem. Vnde non mirum si à viris politicis tam constanter hæc scientia propugnetur. *Nam quidquid cognoscitur ad modum cognoscentis cognoscitur. & Qualis vnusquisque est, talis & finis videtur ei*: vt ait Philosophus.

Quantum inconueniens: admissa scientia medi sternitur via, & ministratur clypeus Pelagianæ hæresi, quibus Doctorum catholicorum tela eludant. Attende Lector, non intendo affirmare scientiam mediam coincidere cum errore semipelagionorum, cum sacrosanctâ Sede Apostolicâ imperatum & cautum sit materias istas citra omnem iniuriam pertractare, sed contendo, quòd admissa scientia media, hæresis semepelagiana, (quam ipsimet Patres soc ietatis cum Ecclesia detestari profitentur) vix ac ne vix quidem potest impugnari. Asserebant enim Semipelagiani dari

in nobis initia fidei & bonæ voluntatis ex viribus naturæ (an ita tamen vt non reiecerint gratiam indifferentem etiam internam ad illa initia? non diſputo modo; & ab hac quæſtione omnino præſcindo) ex quo inferebant prædeſtinationem non ſolum ad gloriam, ſed etiam ad gratiam ſupponere præuiſionem meritorum voluntatis gratiam promerentium. Atqui ſcientia media miniſtrat ſcutum tali errori, imo & arma offenſiua ei porrigit: nam cum Deus per ſcientiam illam ante decretum ſuæ voluntatis videat Petrum conſenſurum Deo vocanti ad fidem in talibus circunſtantiis ex innata ſua libertate gratiam applicante, tunc bonus ille vſus Petri offertur & obiicitur conſpectui diuino, quæ ſanè docilitas Petri non poteſt non placere Deo, cur ergo ab illa non mouebitur Deus vt gratiam illi conferat, quem videt gratiæ tam tractabiliter & ſponte obſequuturum? Vndenam ſemipelagianos conuincemus Deum non apprehendere anſam illam docilitatis Petri? nam ſi bona eſt argumentatio Proſperi contra collatorem huiuſmodi anſæ fabricatorem. *Nec enim nullius meriti haberi poteſt petentis fides, quærentis pietas, pulſantis inſtantia.* Cur ſimiliter dicere non licebit? nullius meriti eſſe non poteſt conſenſus præuiſus, bonus vſus gratiæ oblatæ, determinatio concurſus indifferentis: quænam diſparitas?

Multa alia inconuenientia contra ſcientiam mediam accumulant noſtri authores, quæ apud illos legere poteris. Vnum addam quod in illis non inuenies, quodque ſcopo Theologiæ meæ ſpeculationem pietate condire ſatagentem deſeruiet, & eſt tale. Scientia media, vt videtur, præcipuarum virtutum chriſtianarum funda-

menta labefactat. Si enim scientia media exploret consensum voluntatis gratiam purè indifferentem applicantis, & auxiliis diuinis vtentis, in primis ruit spes, quæ vt canit Ecclesia *in sola spe gratiæ cœlestis innititur*, eáque freta nihil quamlibet ardum & difficile non aggreditur, omnia potens in eo qui ipsam confortat. At spes assertorum scientiæ mediæ vltimatè in propriis viribus fulcitur, siquidem vsum gratiæ, & determinationem indifferentiæ illius à Deo non expectant, sed à se; siquidem illum non confert Deus sed expectat à nobis, & supponit à se præuisum antequam aliquid decreto suo disponat.

Concuti etiam videtur humilitatis fundamentum; si enim decretum Dei non causat vsum gratiæ in conuersione Tyriorum, manifestum est Tyrios præ Iudæis posse gloriari & inflari, seque ab illis discernere, quod humilitati Pauli quam aduersetur satis supra ponderauimus. Et declarat Prosper ad Aug. *Non mediocris virulentia fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur: si aliunde Deo placetur nisi ex eo quod ipse donauerit.* Patet autem secundum authores scientiæ mediæ Deum gratiæ vsum non donare, sed explorare.

Idem patet de sacro timore, qui est initium veræ sapientiæ. Si enim gratia indifferens semper datur, expectans consensum non inferens, poterunt sibi impij blandiri differendam esse conuersionem, nec periculum esse in mora, siquidem bonus vsus gratiæ in manu nostra est, & gratia semper ad ostium. Nam iuxta principia scientiæ mediæ gratia quidem non potest in quacumque circunstantia arbitrium meum flectere, sed ego possum gratiam, quæ

nunquam deest, in quocumque loco & tempore determinare expectantem, & ea bene vti. Quare licet impij possent timere spectatis periculis vitæ vel mortis corporalis, non tamen ex parte gratiæ aliquid timere possunt, quippe quæ semper datur indifferens, & datur expectans vsum, non causans quando ipsa vult; quod quàm sit alienum à timore, quem Paulus incutit fidelibus, patet ex illis verbis Philipp. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Vt quid timorem & tremorem ingeneras, ô Apostole legis amoris? *Deus enim* (respondet) *operatur in nobis velle & perficere*, non provt, vel quando prævidit, non quando occasiones explorauit, sed *pro bona voluntate.* Hinc S. Leo serm. 8. Epiph. *Hæc sanctis causa est tremendi ac metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Et sic passim exponit August.

Necessitas etiam orationis, quæ vitæ spiritalis & verè Christianæ anima est, admissa scientia media planè corruit. Nam positis duobus principiis scientiæ mediæ, nempe Deum gratiam indifferentem omnibus semper & vbique offerre & conferre, & gratiam illam non inferre, nec prædeterminare bonum vsum sui, sed à libertate expectari, & à scientia media ante vllam determinationem Diuinæ voluntatis explorari & præsciri; vana prorsus, & vt loquitur Augustinus *irrisoria* erit omnis nostra oratio. Nam amabò quid petunt à Deo assertores scientiæ mediæ, quando postulant gratiam Dei ad bene sancteque viuendum? nam vel petunt gratiam & auxilium, & hoc absurdum est, cum gratia

secundum illos in omni instanti præsto sit, & obduratissimis quibuscumque conferatur. Vel petunt vsum gratiæ, applicationem, reductionem, & determinationem illius, & hoc non, siquidem pro aris & focis contendunt determinationem illam à gratia non prosilire, sed à nobis expectari. *Irrisoria petitio est* (ait Doctor gratiæ) *cum ab eo petitur quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate.* Certè si auxilium Dei fieri efficax est in nostra potestate, & non præuiderit Deus futurum efficax nisi ex determinatione voluntatis, frustra petitur. Sed petenti respondebit Deus: Fac tu gratiam efficacem, & habebis quidquid optas.

In fine huius materiei & occasione sacrarum virtutum quibus acquirendis obesse scientiam mediam vidimus, participem te faciam, Lector, eruditæ obseruationis, quam sæpe sæpius mente reuolui, eamque probarunt viri acerrimi iudicij & iuxtà profundæ eruditionis; ex eaque magis percipies, cur gratiæ per se efficacis defensores sint rigidioris disciplinæ tenaciores. Quia nil mirum post accuratum examen fatentur aduertisse se laxissimam illam modernorum Casuistarum sub specie probabilitatis licentiam è fontibus scientiæ mediæ promanare, nec esse mirum, quorumdam Ethicam & Theologiam moralem dissipare legem Christi, quorum Theologia speculatiua gratiam Saluatoris euacuat.

Sed quæ connexio, inquies, quæ cohærentia? Ecce illam. Videntes recentes Probabilistæ vires hominis lapsi esse ita fractas & debiles, vt nemo, nisi sensus expers, propriæ infirmitatis

pondus non experiatur. Aliunde vero non admittes gratiam inuincibilem & victricem, quæ rumpat moras, difficultates euincat, *Nec causis anceps suspendatur vllis*, vt loquitur D. Prosper cap. 15. de ingrat. sed talem doceant gratiam quæ consensum à scientia media exploratum expectet; ideo conantur legem non gratiæ virtuti, sed consensus præuisi infirmitati attemperare; & officiorum nostrorum rationes non arctis Euangelij sanctionibus, vel omnipotentissimi adiutorij ex efficaci decreto deriuati spe, sed naturæ corruptæ regula plane Lesbya & obliqua metiuntur. Hinc frequenter leges apud Laxones illos à sede Apostolica ingemiscente Alexandro septimo, & variis diplomatibus intrinsecum dolorem effundente reprobatos, non aliam resolutionum suarum rationem adhiberi, quam infirmitatem humanam. v.g. non dubitant scribere, iuuenem non teneri ad consortium occasionis proximæ deserendum, si inde tædiosam vitam reformidet: quia, inquiunt, Præcepta non obligant cum tanto onere, alias graue nimis iugum imponeretur filiis Adam. Hinc tanta ad vitam commodius agendam lenocinia adinueniunt. Hinc inuito communi sensu, & repugnante pietate varios contractus friuolis quibusdam argutiis nituntur vsurâ & simoniâ purgare cum apertissima diuinæ legis irrisione. Hinc omnino omnia Patrum, canonum, & summorum Pontificum decreta eludunt, vt omnibus quantumuis morosis se accommodent, vt spinas pœnitentiæ euellant, vt angustam Cæli viam dilatent, vt tollant peccata mundi, vel potius peccatis mundum impleant.

At vero fideles S. Augustini & D. Thomæ discipuli suæ infirmitatis conscij, & solius gratiæ firmitati subnixi tenent se ad legem, non legem ad se detorquent; quia mandatorum obseruantiæ spem non in propriis viribus ponunt, sed in eo à quo bona cuncta procedunt. Vnde legem Christi non emolliunt, sed incessanter petunt victricem gratiæ delectationem, qua sibi morientes vni Deo viuant, eique indivulse adhæreant, qui omnipotenti virtute legem quantumuis carni duram spiritui reddit amabilem: *In eo* enim *quod amatur non laboratur; aut si laboratur, & labor amatur.* Vt ait August.

Quid mirum si Molinianæ scientiæ seu mediæ discipuli dimidient & ad nihilum ferme redigant normas, statuta, & constitutiones Romanæ Ecclesiæ (quæ ab his corruptelis semper abhorruit, semper abhorret, semper abhorrebit, nam vt diuinè scripsit Stephanus Papa ad Ecclesiam Africanam: *Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam prophana facilitate dimittere, & neruos seuerit atis euersa fidei majestate dissoluere.*) Quid mirum si simulachra virtutum venditent, amoris Dei super omnia necessitatem repudient, vsuris, symoniis, vindictis, calumniis, imò homicidiis colores prætexant, & sacrum pœnitentiæ rigorem eneruent? Ad huiusmodi officia tam Antichristiana non est opus decreto de se efficaci gratiam victricem inferente. Næ ad illa exploranda non est opus decreto, ad quæ operanda sufficit natura sibi relicta. Consequenter planè qui sic ædificant parietem resolutæ moralis, scientiâ media omnibus sola auxilia indifferentia proponente, *leniunt eum*, vt verbis Ezech. 13. vtar: id est, vt exponit Greg.

Recusa

Peccata perpetrantibus adulantur, vt quod perversè ædificant quasi nitidum reddant.

Objicies primò : Patres, docent scientiam Dei respectu futurorum præsertim conditionatorum esse quid valde mirabile, & humani ingenij facultatem transilire. Sed hoc verum non esset posita nostra doctrina, neque enim grandis difficultatis est, quod Deus cognoscat suæ voluntatis decreta, & in illis videat effectus futuros : ergo signum est præscire illos Deum per scientiam mediam ante decretum.

Respondeo miram & singularem excellentiam asseri à nostra sententia scientiæ diuinæ nempe cognitionem rerum in essentia sua per decretum determinata, in qua omnino antecellit modo cognitionis nostræ quæ pendet & hauritur à rebus, vnde singulare est diuinæ essentiæ vt sit causa rerum adiuncta voluntate, ita fortiter ex vna parte decernente, vt ex vi illius sequeretur effectus posita conditione, & ex alia parte ita suauiter disponente vt non lædatur liberum arbitrium. hanc altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei post Paulum mirantur sancti, & iure mirantur cum id videatur propugnatoribus scientiæ mediæ impossibile, & inintelligibile, quamuis in veritate, supposita fide sit Deo dignus & consentaneus cognoscendi modus.

Obiicies secundo: sicut effectui qui est correspondet causa quæ est, ita effectui qui esset non debet assignari causa quæ sit, sed quæ esset : Atqui futurum conditionatum non erit sed esset: ergo futura illa non pendent à decreto actuali quod sit, sed quod esset : ac proinde Deus non cognoscit futura illa in decreto.

Respondeo hoc argumentum quod aliqui ma-

gnificant esse merum sophisma. Et certe si valeret hic cauillus, sequeretur Deum non habere actu decretum absolutum circa futura absoluta. Nam sicut effectui qui est correspondet causa quæ est, ita effectui qui erit correspondet causa quæ erit. Sed futura non sunt, sed erunt. Ergo non pendent à decreto quod sit, sed quod erit. vides, manifestam fallaciam. Sicut ergo ideo requiritur præsens decretum vt verum sit dicere futura quæ erunt præsentia esse determinatè futura: ita vt de præsenti sit verum quod conditionatè futura essent determinatè futura posita conditione potius quam non futura, requiritur, actuale decretum statuens talem futiritionem, & connectens illam cum conditione cum qua non habent connexionē, vnde in forma facillime responderi potest effectui qui esset non debet assignari causa quæ sit sed quæ esset, si verum sit de præsenti quod illud esset nego. Si verum nō sit, transeat. & similiter minorem, futurum conditionatum non erit, sed esset & de præsenti verum est dicere quod esset conc. & non est verum nego minorem & consequentiam, imo oppositâ consequentiâ inferendum est. Ergo vt verum sit dicere quod futurum illud esset posita illa conditione fallibili requiritur decretum quod sit causa talis futiritionis, & fundamentum talis veritatis. Vel aliter diluitur hæc fallacia: effectui qui esset debet assignari causa quæ esset id est quæ ipsum exequeretur concedo, id est quæ ipsum decerneret, & non decernat nego. Nam vt verum sit dicere quod esset debet esset causa decernens quod esset. Sicut si diceres effectui qui erit debet assignari causa quæ erit. Sed futura non sunt, sed erunt. ergo non habent pro causa

decretum quod sit, sed quod erit, distinguerem maiorem effectui qui erit debet assignari causa quæ erit, id est quæ exequetur conc. id est quæ decernet nego, nam debuit decreuisse, quod erit.

Obiicies 3. Deus cognoscit futura conditionata: Atqui non cognoscit ea per scientiam simplicis intelligentiæ quæ cum sit naturalis & necessaria fertur solùm ad merè possibilia: nec per scientiam visionis quæ cum sit intuitiua fertur solum ad res præsentes in æternitate qualia non sunt futura conditionata quæ numquam existẽt. Ergo solum cognoscuntur per scientiam mediam, sicut & illa futura conditionata sunt veluti media inter futura absoluta & mere possibilia.

Respondeo posse dici illa futura attingi per scientiam visionis quæ fertur non solum ad futura in æternitate præsentes sed etiam ad Dei decreta libera, quæ cum sint Deo præsentia, in ipsis Deus futura conditionata intuetur. Potest etiam dici futura illa cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ: nam sicut datur in Deo scientia visionis naturalis & necessaria scilicet visio essentiæ diuinæ; & alia libera, scilicet intuitus creaturarum in speculo æternitatis: Ita datur scientia simpiicis intelligentiæ & naturalis quæ fertur ad merè possibilia, & libera quæ versatur circa conditionatè futura: quando autem D. T. aliíq; Theologi aiunt scientiam simplicis intelligentiæ esse merè naturalem, hoc ideo est quia præcipuè occupatur circa merè possibilia quæ naturaliter nouit. Elige ex his solutionibus quæ magis arriserit.

Reflexio.

Sicut scientia media, vt visum est, non tam benè virtutum Christianarum studio fauet, ac

veridica D. Augustini de decretis omnipotentis Dei voluntatis, & cognitione rerum futurarum in ipsis non modo non est dura, sed totius virtutis, omnis solidæ pietatis, & suauissimæ consolationis fundamentum est inconcussum. *Hoc nobis* (ait Doctor gratiæ de dono perseuer. c. 13.) *Expedit & credere & dicere; hoc est pium; hoc verum; vt sit humilis & submissa confessio, & totum detur Deo.* Hæc sententia generat spem. Nam hæc vnica consolatio pias animas sustentat, vt quantumuis graue sit propriæ infirmitatis pondus, confidunt eum qui præuenit in benedictionibus dulcedinis, coronaturum in misericordia & miserationibus. Hac anchora freti Patri misericordiarum & Deo totius consolationis fidem suam, spem, charitatémque committunt. *Tutiores viuimus* (repetit idem Pater. l. de prædest. ss. c. 11.) *Si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Et iterum: *Miror homines infirmitati sua se velle committere, magis quam firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquis, de meipso voluntas Dei. Quid ergo tuáne tibi voluntas de teipso certa est, nec times? Qui stat, videat ne cadat. Cum igitur vtraque incerta sit, cur non homo firmiori quam infirmiori fidem suam, spem charitatémque committit?* Quantum vero ad ciendos humilitatis, sacri timoris; orationis feruidæ motus conducat doctrina Augustini nemo non videt? Denique charitatis virtutum Reginæ flammas excitat, dum considerat cum S. Cœlestino primo Epist. ad Epic. Gall. c. 12. quod *tanta est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est æterna præmia sit donaturus.*

DISSERTATIO IX.

De perfectionibus ad voluntatem diuinam pertinentibus.

PARI in Deo voluntatem testantur scripturarum omnes nedum paginæ sed & litteræ, quæ nihil aliud sunt quam interpretes diuinæ voluntatis. Nec potest negari admisso semel intellectu diuino, quem necessario voluntas comitatur. Nam sicut ad omnem formam naturalem sequitur inclinatio ad bonum conueniens, putà ad formam ignis inclinatio ad locum sursum, ad formam lapidis propensio ad locum deorsum: ita ad formam intelligibilem sequitur inclinatio ad bonum rationi conueniens, quæ in agentibus intellectualibus voluntas appellatur. Cum ergo in Deo sit perfectissimus intellectus, voluntatem in ipso confiteri necessum est. Quare restat inquirendum de quidditate & perfectione, libertate, efficacia, aliisque diuinæ voluntatis affectibus.

CAPVT I.

Natura voluntatis, & suauitas amoris Dei.

NOn possumus melius explicare quid sit diuina voluntas quam exponendo eius actualitatem quæ est ita pura, vt sit suum velle & sua actio; & obiectum quod respicit; & tum amoris quo erga nos tam benigne proceedet.

SPECVLATIO I.

Voluntas diuina est ita actualis, vt sit sua actio absque distinctione virtuali; ita pura & sancta, vt nullum aliud obiectum respicere possit, nisi diuinam bonitatem.

PRior pars ex dictis de simplicitate Dei probata relinquitur: voluntas quippe in Deo constituenda est per modum actus puri: Ergo includit in suo formali conceptu vltimam perfectionem suæ lineæ scilicet volitionem, aliàs voluntas diuina esset potentialis, quod sanè non mediocrem redoleret imperfectionem, quod enim est perfectibile, & consummabile per ali-

quid vlterius intra propriam lineam, non est in illo ordine purus & vltimus actus.

Dices: in Deo admittitur conceptus naturæ de cuius ratione est, esse principium & actum primum respectu operationis: ergo non repugnat in Deo conceptus actus primi respectu operationis, nec est inconueniens distinguere voluntatem à volitione, sicut virtualiter distinguimus iustitiam à misericordia.

Respondeo quod licet possit admitti in Deo cũ fundamento vnã perfectionem sequi ex alia veluti radice quando vna perfectio se habet ad aliam non sicut perfectibile ad suum perfectiuum, sed sicut perfectio ad aliam veluti comperfectionem sibi quidem connexam, sed ad diuersam lineã pertinentem, quia tunc nulla admittitur potentialitas vel imperfectio, sed putarum perfectionum cumulus Deo dignus. sic natura diuina est vltimo completa in ordine entitatiuo, vnde quidquid ad illum ordinem spectat sine distinctione virtuali formaliter importat; ea vero quæ ad ordinem operatiuum spectant, qualis est intellectus, voluntas, cęterarumque perfectionum ornatus non nisi implicitè includit. Similiter iustitiam à misericordia cum fundamento virtualiter distinguimus, quia vna se habet ad aliam vt quid purum, & in suo ordine cumulatum; at vero si voluntas à volitione distingueretur, profecto conciperetur cum fundamento voluntas potentialis, vtpotè expectans vltimum suæ lineæ complementum, quod longe est à Deo.

Instabis: non magis dedecet admittere in voluntate diuina rationem potentiæ respectu suæ volitionis, quam repugnet admittere in Deo rationem potentiæ respectu creaturarum, quam

tamen S. Thom. infra q. 25. admittit: saltem nil vetat admittere in Deo potentiam virtualem respectu volitionis, cum diuina voluntas virtualiter voluntatis creatæ virtutem præcontineat.

Respondeo esse grandem differentiam inter potentiam Dei respectu creaturarum, & potentiam voluntatis respectu volitionis, quia prima non se habet ad creaturas sicut perfectibile ad perfectiuum, sed potius sicut perfectum communicans & diffundens suam perfectionem rebus imperfectis; patet autem quod communicare perfectionem non est defectus, sed potius perfectionis plenitudo; at vero secunda, seu potentia voluntatis suum actum respicit tamquam exteriorem perfectionem, quam proinde ab ipso dependicat, quod diuinâ eminentiâ indignum esse quis non videt? Id vero quod additur de potentia virtuali magna æquiuocatione laborat, nam per illam potentiam virtualem vel intelligis Deum continere eminenter virtutes causarum & potentiarum creatarum, & hoc non est ad rem, nec de hoc est quæstio, nam etiam hac ratione equus & lapis sunt in Deo eminenter: vel intelligis esse in Deo rationem potentiæ & actus primi virtualiter distinctam ab actu, & hoc est quod inficiamur, cum in Deo non sit limitatio & defectus.

Posterior pars de objecto Diuinæ voluntatis suadetur ex doctrina D. Thom. art. 2. illud est objectum formale tam motiuum quam terminativum alicuius facultatis quod per se ab illa attingitur, cætera vero ratione illius, per hoc enim distinguitur objectum formale à materiali: sic objectum formale visus est color, quia nihil à potentia visiua respicitur, nisi secundum

quod habet rationem colorati. Atqui sola Diuina bonitas per se primo attingitur à voluntate Dei, bona vero creata non nisi ratione illius, tum quia *omnia propter semetipsum operatus est Dominus*, vt dicitur Prouerb. 16. tum quia aliàs voluntas Diuina à creaturis perficeretur & specificaretur tum quia sola bonitas diuina ratione suæ puritatis & immaterialitatis habet omnimodam commensurationem cum voluntate Diuina; non vero bonitas in communi quæ solum in potentia continet rationem confusam boni. Ergo sola bonitas increata est obiectum Diuinæ voluntatis; non quod Deus non velit alia à se, sed quia alia à se non vult nisi ratione suæ bonitatis. Sicut intellectus Diuinus alia quidem cognoscit, sed ea non intelligit nisi in veritate suæ essentiæ. Vnde Bern. l. de amore Dei c. 4. *Hoc est amare tuum quod tu amas te amantes à dulcedine bonitatis tuæ. Non enim afficeris ad nos vel à nobis, cum nos amas, sed es quod es qui semper idipsum es, nos autem à te, ad te, & in te afficimur, cum te amamus.*

Vnde hæc est notabilis differentia inter voluntatem Diuinam & creatam, quod ista trahitur ab obiecto in quod veluti transformatur, ideo dicitur quod *anima magis est vbi amat, quam vbi animat*. Vnde effectus huius amoris est extasis, qua amans raptus à bonitate obiecti exit extra se, vt ibi viuat vbi amat, ibique sit cor vbi est & thesaurus. At vero voluntas Diuina quia non habet amorem affectiuum, sed effectiuum trahit & conuertit ad se obiectum amatum, quia (vt magis infra explicabimus) amor Diuinus nihil in amato præsupponit, sed facit, & infert dum diligit, obiectumque suæ dilectio-

nis producit, quod sibi conformat, assimilat & conjungit, iuxta illud quod Augustinus audiuit, *Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.* Et illud D. Bonauent. in 3. d. 32. quæst. 1. *Amor diuinus non est amor inclinans ad alterum, sed potius alia inclinans & trahens ad seipsum.* Et Bern. in solilo. n. 12. *Numquam accidente vel incidente amoris affectu amas quos amas. Et aliquo afficeris qui omnes & omnia facis. Absit, absurdum est, procul est à fide, alienum ab omnium creatore. Quomodo ergo nos amas, si non amore nos amas? Sed amor tuus bonitas tua est: amas nos in quantum nos efficis tui amatores. Nos affectu, tu effectu unum nos in te efficiens.* Vnde fit quod etiam tunc cum voluntas diuina se extendit ad creatutas, bonitate sua sola permouetur, v.g. cum alienæ miseriæ opitulatur per misericordiam, vel ius alienum seruat per iustitiam, solâ dumtaxat bonitate prout est ratio miserendi, vel iuris seruandi impellitur, nec extra illud motiuum exit. Aliàs amor Dei esset affectiuus non effectiuus contra Patres.

Obiicies: Deus vnam creaturam ordinat ad aliam tanquam ad finem, vt cum res corporales in hominis vtilitatem refert: ergo mouetur à creaturis, siquidem propter illas aliquid facit; sicut etiam propter merita dat gloriam, propter demerita infligit pœnam, nam merita mouent præmiantem, vt remaneret; demerita vero Iudicem, vt vlciscatur.

Respondeo quod sicut in deo intelligere causam creatam non est ratio quod intelligat effectus, quamuis intelligat effectum in causa; ita velle finem creatum non est ei causa volendi ea quæ sunt ad finem, sed tamen vult ea quæ sunt ad finem ordinare in finem, seu vt medullitùs &

compendiosè ait D. Th. q. 19. a 5. *Vult Deus hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.* Itaque vult corporalia esse propter hominem, merita etiam sternere viam ad gloriam, & ad supplicia demerita; sed sua bonitate motus est; vt, & corporalia ad hominem dirigeret, & iustitias nostras remuneraret, & iustitiam suam in plectendis impiis demonstraret. Vide de his plura infra lib. 4. de Deo primo principio.

Dices: si Deus nihil, nisi propter seipsum vult, sequitur ipsum non amare creaturas rationales amore amicitiæ, quæ fertur ad amicum propter ipsum, sed tantum amore concupiscentiæ, qui prosequitur alia propter se. Consequens est contra D. Thomam 2.2. q. 23. a. 1. Expressè admittentem amicitiam inter Deum & iustum charitate ornatum, secundum illud *iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Est etiam contra rationem, parum enim Deo adstricti deuictique teneremur, si non alia ratione sua beneficia largiretur, quam propter se, non propter nos, quod dissonat illi quod canit Ecclesia *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Ergo motiuum vnicum diuinæ voluntatis non est sua sola bonitas.

Respondeo amorem amicitiæ quo Deus iustos prosequitur, non exigere vt sanctos propter ipsos vltimatè diligat; alias hæc amicitia esset obliqua, & deficiens à recta ratione, quæ si non patitur creaturam esse vltimum finem hominis, quantò minus Dei? imò in hoc resplendet immensa & liberalis Dei erga sanctos amicitia, quod licet nihil in ipsis sit quod diuinam voluntatē mouere possit, eos tamen amare, & apponere eis cor suum non dedignatur, sed semper iux-

ta regulas honestatis & sanctitatis, ordinando scilicet illos ad bonum diuinum. Nec propterea minus debent eius bonitati, quia in aliis posset Deus gloriam suam manifestare, non enim tenetur eam nostris vtilitatibus coniungere; quod igitur gloriam suam à nostris emolumentis non secernat, indicium est amicitiæ singularis, vnde Ecclesia quotidie canit, *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Cur non potius adorat tantæ gloriæ maiestatem, quam ei gratias impense agat? Quia nimirum gloriam suam misericors Deus à nostris commodis nusquam disiungit. Vnde appositè Bernar. epist. 23. *Deus cum sit mirabilis in maiestate sua, etiam in sanctis suis gloriosus apparere dignatur, ne solus habeat gloriam. Ipse nempe licet sibi sufficiens ad omnem magnificentiam, quærit tamen gloriam & in sanctis, non vt augeat sibi, sed vt suis communicet.* Et potest totum hoc explicari exemplo Regis qui eligens Ephœbum ad suas vestiarias tesseras gestandas, vltimò quidem Regalis maiestatis gloriam quærit; quod tamen per illum, & non per alium gloriam suam celebret, singulare est præcipuæ dilectionis argumentum.

Adde ad totam hanc præclaram materiam illustrandam, quod illud solum amatur amore concupiscentiæ quod diligitur vt vtile sibi, talis quippe amor non quærit nisi quæ sua sunt: Deus autem non amat creaturas rationales vt vtiles sibi, siquidem bonorum nostrorum non indiget. Vnde Bernar. ser. 3. pentec. *Omnia propter semetipsum fecit Deus, omnia propter suos, aliter tamen propter se, aliter propter suos. Omnia fecit propter semetipsũ gratuita scilicet bonitate, omnia propter electos suos, pro eorum scilicet vtilitate.* Quamobrem

diligit quidem Deus creaturas rationales vt ordinatas ad ſuam bonitatem, alias peruersè eas diligeret, ſed minimè vt vtiles ſuæ bonitati: cum eis per totam æternitatem ſine vllo ſuo detrimento caruerit; vnde nullum ex eis in tempore emolumentum reportat: ac proinde habitudo creaturarum ad diuinam bonitatem tamquam finem non eſt per modum medij vtilis conducentis, & deſeruientis diuinæ bonitati; ſed per modum participantis, ad fontem totius eſſe; receptiui, ad diffuſiuum; & indigentis, ad plenitudinem omnis boni. Quod verbis Angelo dignis explicat Angelicus noſter præceptor l. 3. contra gent. c. 18. *Deus qui eſt primum agens omnium rerum, non ſic agit, quaſi ſua actione aliquid acquirat, ſed quaſi ſua actione aliquid largiatur: qui non eſt in potentia, vt aliquid acquirere poſſit, ſolum in actu perfecto, ex quo poteſt elargiri.* Certè ſi Auguſt. tomo 3. exceptarum n. 39. dixit: *Nihil Deus iubet quod ſibi proſit, ſed illi cui iubet, ideo verus eſt dominus.* Dicam ego, ideò verus eſt amicus.

REFLEXIO.

In Deo eſt puriſſima voluntas, quia ſibi indefinenter coniuncta ſolam ſupremæ bonitatis gloriam, etiam dum ad alia protenditur, intendit. Igitur quidquid agimus impurum eſt & ſordeſcens, ſi non ad Deum tota intentione refertur. Diſcernit Aquila inter legitimos ſpurioſque pullos ex ſolis intuitu, & quos aduertit intrepida & irretorta oculorum acie Solis radiantis ſplendores ferre, non ſubmouere pupillas, non obtutus auertere, ſed luminis fontem ſuſtinere,

illos agnoscit esse germanos. Sic ex solius Dei bonitatis intuitu pensantur opera iusta: à quo si tantisper recedunt pro nihilo reputantur. Vt egregiè Bernar. serm. 20. in cant. *Propter temetipsum Deus fecisti omnia, & qui esse vult sibi non tibi, nihil esse incipit inter omnia.* Heu nos miseros! bonis operibus Deum promereri, cor eius vulnerare, dona aduocare, gloriæ pondus immensum comparare possumus, & illa vento & fumo deuouemus. Næ mali mercatores sumus. Certè boni operis pretium non agnoscimus, dum mundo facta nostra consecramus: vt perbelle dicebat insignis Angliæ Cancellarius & Martyr Thomas Morus: *Benè & laudabiliter facta compensare mundus hic nec ingratus solet, nec gratus potest.*

SPECVLATIO II.

In Deo est formaliter amor tam suæ bonitatis, quam creaturarum præsentium & futurarum, sed non merè possibilium.

PRimam partem docent scriptura & Patres 1. Ioan. 4. *Deus charitas est*, quæ verba sic egregiè ponderat Bernar. serm. 83. in cant. *Legi quia Deus charitas est, non quia honor est, vel dignitas, legi. Non quia honorem non vult Deus, qui ait, si ego pater vbi est honor meus? Verum id pater. Sed si sponsum exhibent, puto quia mutabit vocem,*

& dicet : si ego sponsus, vbi est amor meus.

Probatur ratione D.Thom.q.20. a 1. In Deo est voluntas. Ergo & amor. probo conseq.amor est motus voluntatis in bonum : sed voluntas Dei fertur ad bonum quod est essentia sua,& ita necessario fertur, vt non possit suspendere motum illum, quia cum intellectus diuinus videat Deitatem esse totius bonitatis fontem essentialem, ab ea voluntatem rapi necesse est. Tunc enim solum voluntas ad amandum aliquid non necessitatur, quando ipsi offertur bonum aliquod particulare, extra quod potest esse aliud maius bonum, vel in quo apparere potest aliqua ratio mali; quando vero clarè & intuitiuè proponitur bonum vniuersalissimum, infinitum, vno verbo omne bonum totam voluntatis capacitatem nedum implens, sed inundans, tunc voluntas siue creata, siue diuina ad tale obiectum amandum necessitatur, quia si posset illud bonum vel repudiare, vel actu non amare posset ferri extra omne bonum, & propositam beatitudinem fugere, quod repugnat. Ergo voluntas Dei bonitatem diuinam amat, & necessario amat. Et ex illo amore continuo producit spiritum sanctum, qui procedit ex amore necessario essentiæ, & attributorum Dei quorum quodlibet necessariò amatur, non solum quia essentiam diuinam virtualiter & transcendentaliter includit, sed quia necessariò cum eadem essentia connectitur, neque enim potest essentia esse necessario volita,quin amentur ea sine quibus subsistere nequit.

Dices : de ratione amoris est ferri in bonum abstrahens à præsenti & absenti, seu vt loquitur D. Thomas, *in bonum, siue sit habitum : siue non*

habitum: sed diuina voluntas, dum fertur in propriam bonitatem, respicit bonum præsens. Ergo non datur in Deo propriè amor sed gaudium, delectatio, & complacentia suæ bonitatis.

Respondeo quod licet amor abstrahat à præsentia & absentia, non est tamen contra rationem amoris versari circa obiectum præsens, cum potius experientia & fruitio boni amati sit fomentum & incentiuum amoris. Vnde D.T. 1. con.gent.c.91. ait: *Amor est alicuius rei non minus cum habetur, sed magis; quia bonum aliquod fit nobis affinius cum habetur. Vnde & motus ad finem in rebus naturalibus ex propinquitate finis intenditur.* Et rursum: *videtur propria ratio amoris consistere in hoc quod affectus vnius tendat in alterum, sicut in vnum cum ipso aliquo modo, propter quod à Dyonisio dicitur quod amor est vnitiua virtus, quantò ergo id, vnde amans est vnum cum amato est maius, tantò est intensior amor; magis enim amamus quos nobis vnit generationis origo, aut conuersationis vsus, quam eos quos nobis solum vnit humanæ naturæ societas: & rursus, quantò id ex quo est vnio est magis intimum vel vnitum amanti, tantò amor fit firmior. Id autem vnde omnia Deo vniuntur scilicet Dei bonitas est maximum & intimum Deo, cum ipse sit sua bonitas. Est igitur in Deo amor non solum verus, sed etiam perfectissimus, & firmissimus.* Vides quomodo præsentia non obsit, sed prosit amori. Itaque amor diuinus fertur in suam bonitatem præsentem, non sub ratione præsentiæ, vt magis dum de gaudio Dei dicetur, sed solo intuitu bonitatis, quam amat non amore concupiscentiæ, quia hic bonum quærit, quod non habet, nec amore amicitiæ

ſtrictæ qui fertur ad alterum, ſed amore ſuauiſſimæ vnionis & identitatis, quamuis & inter perſonas diuinas quodam pacto amicitia admitti queat, quia licet in illis non ſit diſtinctus amor, ſunt tamen diſcreti amantes & redamantes.

Secunda pars de amore creaturarum habetur in ſcriptura Sap. 11. *Diligis omnia quæ ſunt. Domine qui amas animas.* Ioan. 5. *Sic Deus dilexit mundum.* 1. Ioan. 4. *Prior dilexit nos.* Et ſuadetur ratione D. Th. a. 2. Amare eſt velle bonum, præſertim amare Dei, nam hoc intereſt inter amorem diuinum & creatum quod iſte non eſt cauſa bonitatis rerum, ſed eam ſupponit, & ab ea cauſatur: amor vero diuinus eſt *infundens & creans bonitatem in rebus*, ait Diuus Thom. Quo præclaro principio ſæpius vtitur D. Bernard. ad diſcernendum vtrum Deus nos amet & dicit ſignum eſſe nos amari à Deo ſi ipſum amemus quia amor Dei vtpote efficax homines ſui amantes efficit. *Iam ſe ô bone pater* (ait l. 5. de conſ. c. 4.) *Vermis viliſſimus & odio digniſſimus ſempiterno, tamen confidit amori: Quoniam ſe ſentit amare: imo quia ſe amari præſentit, non redamare confunditur.* Nec minus egregiè ſerm. 69. in cant. *Ex propriis, quæ ſunt penes Deum agnoſcit, nec dubitat ſe amari quæ amat. Ita eſt, amor Dei amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio intentam animam facit, ſollicitudo, ſollicitam: igitur qualem te præbueris Deo talis oportet appareat tibi Deus, cum ſancto ſanctus erit, & cum innocente innocens erit. Quidni & æquè cum amante amans & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & cum ſollicito ſollicitus? denique ait, ego diligentes me diligo.* Atqui Deus vult bonum omnibus

existentibus & futuris, quibus ab æternoesse & consequentia adesse conferre decreuit, & in tempore largitur. Ergo & existentia, & futura propriè amat.

Dices : si Deus diligit alia à se, vel ea amat æqualiter vel inæqualiter. non æqualiter, cum illis tam inæqualia bona distribuat : non etiam inæqualiter, nam cum amor Dei sit infinitus & immutabilis non potest magis & minus amare. sed quidquid amat, amore prosequitur infinito. Ergo alia à se non amat.

Respondeo, quod licet Deus omnia æqualiter amet, amore affectiuo, & eadem intensione charitatis, non tamen eodem amore effectiuo, quia quibusdam, nimirum melioribus, maiora bona concedit. Sic Deus plus amauit Christum quam totam creaturarum vniuersitatem, quia ei sublimius bonum communicauit, scilicet esse personale diuini verbi, & illos sanctos magis diligit, qui plus habent de gratia & charitate. Vide D. Thom. ar. 3. & 4.

Tertia pars, quæ negat Deum amare possibilia, ex iam dictis sequitur, nam amare est velle bonum, & amare Dei est creare & infundere bonitatem in rebus : Atqui Deus merè possibilibus non vult bonum, cum nolit illis dare existentiam, quæ est basis & fundamentum omnis boni : Ergo Deus merè possibilia non amat. Vnde subtilitet obseruauit S. Doctor l. 1. cont. gent. c. 91. Quod cum aliæ operationes animæ sint circa vnum solum obiectum, solus amor ad duo obiecta ferri solet, per hoc enim quod intelligimus vel gaudemus, vnum aliquod obiectum respicimus : *Amor verò aliquid alicui vult, hoc enim amare dicimur, cui aliquod bonum volumus.* Vnde

& ea quæ concupiscimus simpliciter quidem & propriè desiderare dicimur, non autem amare, sed potius nos ipsos, quibus ea concupiscimus; & ex hoc, ipsa per accidens non propriè dicimur amare. Igitur ex D. Thoma ea solum Deus amat, quibus bonum vult, vnde dicit Dyon. c. 4. de Diu. nom. Quod amor diuinus non permittit Deum esse sine germine: sed merè possibilibus Deus nullum bonum vult. Ergo non potest dici quod illa amet in seipsis spectata, sed tantum vt sunt in Deo ipsa creatrix essentia.

Confirmatur radicitus: vt creaturæ possibiles amentur à Deo alterutrum necesse est, vel quod ipsæ moueant voluntatem Dei ad sui amorem, vel quod voluntas Dei communicet eis aliquod bonum quod diligat; amor enim vel efficitur ab obiecto dilecto, vel efficit obiectum dilectionis suæ. Atqui Dei amor nec mouetur à bonitate rerum possibilium, nec illis quidquam communicare intendit. Ergo merè possibilia Deus non amat. Secunda pars minoris est euidens, cum merè possibilia relinquat diuina voluntas in statu nihili, neque enim habent denominationem possibilis à diuina voluntate, sed ab omnipotentia diuina. Prima verò pars minoris probatur: tum quia, vt antea vidimus, motiuum diuinæ voluntatis non est aliud quam propria bonitas, quia aliàs voluntas Dei perficeretur à bonitate creata, nec in suæ perfectionis fundo plenissimo inueniret omnis boni satietatem. Tum quia iam in Deo admittendus esset amor affectionis, qui mouetur, & perficitur ab obiecto creato, quod de Deo dici non posse ex dictis patet. Tum quia vel illæ creaturæ possibiles mouent diuinam voluntatem liberè vel necessariò: non necessariò,

cum sint creaturæ finitæ, & limitatæ, à quibus nec ipsa voluntas humana necessitari potest, quantò minus diuina? Non liberè, quia possibilitas cum sit necessaria, & inuariabiliter connexa cum omnipotentia Dei, si Deus possibilia amat, ea necessariò & inuariabiliter amat; nec in illâ possibilitate potest apparere aliqua ratio mali quam odio habeat, vel si sit, profectò eam non amat. Ergo Deus merè possibilia non amat, sicut nec mala possibilia odit: alias homo iustus ratione peccati possibilis posset esse objectum diuinæ displicentiæ.

Obiicies: diuina voluntas vtpote infinita & vniuersalissima ad omnia se extendit cum quibus connexa est diuina potentia, saltem in illis non potest non complacere, licet futura non sint, sic, vt infra dicemus, voluntas Dei fertur ad salutem reproborum, quæ vtique futura non est, sed merè possibilis. Ergo Deus amat possibilia. Vnde D. T. l. 3. cont. gent. c. 84. *Deus non vult nisi ea quæ sunt, vel possunt esse bona, res autem possibiles possunt esse bona.*

Respondeo, in tantum Deum complacere sibi in rebus possibilibus, inquantum amat suam omnipotentiam, quæ valet se extendere ad quodcumque non repugnat, non quod eius voluntas circa res ipsas possibiles immediatè occupetur, quia si circa eas versaretur diuinus amor, eis bonitatem & existentiam effunderet. Connexio verò necessaria quæ est inter omnipotentiam & creaturas possibiles, non est ita accipienda vt ablatio creaturarum sit ratio ablationis Dei, sed signum eius, sicut remota luce solis remouetur sol, non quod remoueatur sol ex remotione lucis, sed quia absentia lucis significat solem esse

remotum. Vnde fit quod licet amans aliquid, amet necessario connexa cum illo, si sint connexa tamquam ratio à priori, non tamen si sint tantum signum ablationis rei amatæ, quæ sol proinde voluntati placet.

Voluntas autem antecedens fertur ad reproborum salutem non vt merè possibilem, sed vt quodammodo futuram, non quidem futitritione consummata & obtenta, sed inchoata per gratias & auxilia sufficientia omnibus oblata, quæ sunt semina salutis, quibus si impij responderent, eam consequerentur: & sic intelligendus venit D. Thomas loco cit. cont. gentes loquitur enim de possibilibus non potentiâ meræ possibilitatis, sed potentia futiritionis, seu quæ sunt in potentia suæ causæ determinatæ vt aliquando sint bonæ. Nam Deus solum bonum amat, quia nihil voluntati placere potest nisi bonitas, præsertim voluntati, cui omnia pro meritis placent.

Dices: Amor sequitur cognitionem. Sed Deus cognoscit bonitatem cuius possibilia sunt capacia. Ergo Deus amat possibilia.

Respondeo, hoc interesse discrimen inter intellectum & voluntatem, quod intellectus fertur ad res prout sunt in cognitione sua, vnde potest versari circa res possibiles, quæ licet non habeant esse in se, illud tamen habent in intellectu cognoscente: At voluntas fertur in res prout sunt existentes, vt illas assequatur, si sit voluntas creata; vel vt illis impertiatur, si sit Diuina. Quare licet Deus cognoscat bonitatem possibilem rerum eam tamen non amat, quia non est bonitas actu, sed potentia; est bonitas speculatiuè considerata, sed non practicè

mouens voluntatem; est denique bonitas integritatis possibilis, sed non actualis conuenientiæ cum voluntate, quæ non fertur ad aliquid si proponatur cognitione speculatiua, nisi adsit practica & affectiua respiciens exercitium.

Reflexio.

Præclarè pro more obseruauit D. Bernard. inter attributa Diuina amorem esse præcipuè imitabilem. Quia si Deus nos puniat, si misereatur nostri, si creet, conseruet, adiuuet, beneficia impendat, eadem ei rependere nequaquam possumus: sed quando amat, licet vtique redamare. Melliflui Doctoris verba sunt hæc Serm. 83. in Cant. *Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori vel de simili mutuam rependere vicem. Si mihi irascatur Deus, num ei similiter reirascar? non vtique, sed pauebo, sed contremiscam, sed veniam deprecabor. Si me arguat; non redarguetur à me; sed ex me potius iustificabitur. Nec si me iudicabit, iudicabo ego sum, sed adorabo. Saluans me non quærit à me ipse saluari: Nec vicissim eget ab aliquo liberari, qui liberat omnes. Si dominatur, me oportet seruire: si imperat me oportet parere; & non vicissim à Domino vel seruitium exigere, vel obsequium. Nunc iam videas de amore quam aliter sit: Nam cum amat Deus non aliud vult quam amari; quippe non ad aliud amat nisi vt ametur, sciens ipso amore beatos; qui se amauerint.* Fælix echo! dulce commercium Dei amantis & hominis redamantis! sed quid iustius! vt enim ait August. lib. de Catheciſan. rudib. cap. 4. *Nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit*

rependere. Audians ili (ſcilicet) Theologi quorum eò progreſſa eſt audacia, vt Dei amorem negent ad ſalutem neceſſarium, totam Chriſtianam Religionem euertentes; Incarnationis conſilium deſtruentes: non enim alio fine venit Chriſtus, non alio prædicauit, non alio mortuus eſt, non alio miſit Spiritum ſanctum, quam vt ſacrum hunc ignem mitteret in terram volens vt accendatur.

SPECVLATIO III.

Amor Dei omnium omnino ſalutem ſincerè vult.

ANtequam ſuadeatur hæc plena ſolatij ſpeculatio, præmitto voluntatem Dei diuidi in antecedentem & conſequentem. Non eſt autem accipienda hæc diſtinctio ex parte Diuinæ voluntatis, in qua nulla eſt diuerſitas, ſed ex parte rerum volitarum, quæ diuerſimodè conſideratæ, voluntatem Diuinam differenter denominant. Et ita in ſcriptura voluntas Dei pluraliter nominatur Pſalm. 110. *Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius*, quia nimirum voluntas Dei variis modis pro diuerſitate objectorum accipitur. Hanc autem diuiſionem variè explicant præſertim aſſertores ſcientiæ mediæ; ſed vere à D. Thoma & diſcipulis eius antecedens appellatur ea quæ verſatur circa objectum ſecundum ſe, & non veſtitum omnibus circunſtantiis, quibuſcum exequtioni mandari ſolet: conſequens vero reſpicit obje-

ctum omnibus suis circunstantiis inuolutum. Sic iudex antecedenter vult hominem viuere, quia absolute hominem viuere bonum est, & occidi malum; & tamen voluntate consequenti vult & præcipit hominem illum homicidam, & in periculum multitudinis viuentem occidi. Sic Mercator vult merces suas seruare incolumes, quas tamen imminente tempestate in mare projicit. Similiter Deus absolute vult reprobum saluari, quem tamen attentis variis causis sinit in peccatum labi, & propter peccata damnari. Iam.

Probatur speculatio ex scriptura Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus & Deus, & non vt conuertetur à viis suis & viuat?* 2.Petr. 3. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Idque iuramento interposito confirmat Ezech. 33. *Viuo ego dicit Dominus: nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Denique expressum est illud Apostoli testimonium 1. Timoth. 2, *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quem locum commentans S. Thom. lect. 1. formaliter docet Deum velle salutem omnium, non solum voluntate signi, quatenus omnibus proposuit præcepta, consilia, & remedia, sed etiam voluntate beneplaciti, & idem tradit quæst. 23. de verit. art. 1. & in 1. dist. 47. quæst. 1. art. 2. vbi disertè asserit quod voluntas quæ de Deo proprie dicitur, est voluntas beneplaciti, *quæ per antecedentem & consequentem diuiditur.*

Nostram assertionem non solum docet Apostolus, sed eam triplici argmento inuictè probat, dum subjungit post verba relata, *quia vnus*

est

eſt Deus omnium, vnus eſt mediator Dei & hominum, qui dedit ſemetipſum pro omnibus. Vis primæ rationis in hoc conſiſtit: Admittimus vnum omnium Deum, qui omnes æque condidit, omniumque curam & prouidentiam gerit. Vnde Rom. 3. *An Iudæorum Deus tantum, nonne & gentium?* & 10, *Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci, nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum.* Et Sapient. 6. *Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus.* Succinit Auguſt. lib. 2. conf. c. 11. *O tu bone omnipotens, qui ſic curas vnumquemque noſtrum, tamquam ſolum cures, & ſic omnes tanquam ſingulos.* Quod mutatis verbis repetit Greg. lib. 25. Moral. cap. 29. *Sic Deus intendit ſingulis, ac ſi vacet à cunctis; & ſic omnibus ſimul intendit, ac ſi vacet à ſingulis.* Sed illa prouidentia, cura, & amor patris non ſe extenderet ad omnes, niſi vellet omnium ſalutem, eos enim in præcipua neceſſitate deſtitutos deſereret. Ergo ſicut omnium eſt Deus & prouiſor, ita & ſingulorum ſalutem vult.

Secunda ratio Apoſtoli ſic formatur: Chriſtus eſt mediator non ſolum quorumdam hominum, ſed omnium prorſus. Sed non eſſet mediator omnium niſi vellet omnes ſaluos facere. Ergo vult omnes ſaluos facere. Probatur min. in tantum Chriſtus dicitur mediator, quia eſt medius, ſequeſter, & reconciliator hominum ad Deum, iuxta illud Epheſ. 1. *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, faciens pacem.* Et Coloſſ. 1. *in ipſo complacuit reconciliare omnia.* Quatenus ſe vadem & fideiuſſorem pro omnibus obtulit: quod ſane ſyncerè non præſtitiſſet, niſi ſalutem omnium vellet: fruſtra enim me-

dius pacificationis; arbiter interponeretur, qui pro reis veniam non postularet, nec aliquam pœnam deprecaretur, nec gratiam ad salutem suo patrocinio impetraret.

Tertia ratio Apostolica fortius adhuc probat intentum hoc modo: *Christus dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, seu pro omnibus mortuus est: Ergo omnium salutem vult Deus. Consequentia tenet, mors enim Christi ordinata est ad salutem eorum pro quibus oblata est, vnde si pro omnium salute immolatus est Christus, profecto omnium salutem vult Deus. Antecedens vero est Apostoli tum loco citat. tum Rom. 8. *Proprio filio non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum.* Tum 1. Cor. 15. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Qui locus est luce meridiana clarior, nam sicut certum est omnes mortuos esse in Adam, ita & Christum pro omnibus mortuum esse fatendum est, cum inde probet Apostolus omnes esse mortuos, quia Christus pro omnibus mortuus est.

Idem antecedens docetur à Patribus August. lib. 2. de simb. ad Cathec. c. 8. vbi inducit Christum crucifixoribus, vtique reprobis, dicentem: *Videte vulnera quæ inflixistis; agnoscite id latus quod pupugistis, quoniam & per vos & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Ambros. Serm. 8. in Psalm. 118. *Christus Redemptor Mysticus sol iustitiæ, omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, omnibus resurrexit.* Epiphan. 1. de hæresibus hær. 55. *Pro toto mundo se obtulit ipse victima, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare.* Et certe si Christus non esset mortuus pro omnibus spei nostræ fundamentum corrue-

ret, quæ in ſola Chriſti Saluatoris pro omnibus paſſione innititur, quo principio vel falſo, vel dubio omnem ſpem noſtram nutare neceſſum eſt. Nutante vero ſpe langueſcit & charitas, quæ ex conſideratione Paſſionis Chriſti pro omnibus oblatæ præcipuè accenditur. Vnde Bern. Serm. 20. in Cant. *Opus redemptionis noſtræ omnino amorem noſtrum facile vindicat totum ſibi: hoc noſtram deuotionem & blandius allicit, & iuſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius.* Nemo autem inflammatur amore ex conſideratione incerti beneficij, & de quo non ſibi conſtat.

Objicies: Ipſe Chriſtus Dominus ſatis clarè innuit ſe non pro omnibus mortuum eſſe, cum dicat Ioan. 17. *Non pro mundo rogo,* & de ſanguine ſuo Matth. 16. *Qui pro multis effundetur.* Idem docet Concil. Valentinum Galliæ Tertium cap. 4. *Chriſtus*, inquit, *Non eſt mortuus pro his qui in impietate mortui ſunt.* Quid autem frequentius in Auguſt. quam quod *nullus perit ex his pro quibus Chriſtus mortuus eſt*, & quod Chriſtus, *non perdit quod emit ſanguine ſuo?* Denique fauet D. T. 3. p. q. 21. a. 4. ad 2. dicens: *Chriſtus non orauit pro omnibus crucifixoribus, nec etiam pro omnibus qui erant crediturí in eum, ſed ſolum pro his qui erant prædeſtinati, vt per ipſum vitam conſequerentur æternam*

Reſpondeo Chriſtum non oraſſe pro reprobis voluntate abſoluta & conſequente, ſeu inferente efficaciter ſalutem. Nam cæteroquin Chriſtus etiam in ipſa cruce orauit pro crucifixoribus dicens: *Pater ignoſce illis*, quæ ſane oratio, vtpote in articulo mortis prolata, quo tempore non ſolent homines loqui metaphoricè,

sed clarè, signum erat sinceræ voluntatis salutis eorum. Ex quibus patet responsio ad locum Ioannis & ad authoritatem S. Thomæ. Locus vero Matth. nec non Augustini similiter exponendi sunt, quia sanguis Christi solùm pro multis est efficaciter fusus, & ita docet sacrum Trident. Concil. sess. 6. cap. 2. & 3. his verbis: *Hunc* (scilicet Christum Iesum) *proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius recipiunt beneficium, sed ij dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur.* Concilium vero Valentinum vult dumtaxat Christum non esse mortuum, vt impij suppliciis æternis addicti ab eis eximerentur beneficio Saluatoris, non tamen negat Deum ante eorum mortem voluisse salutem eorum, eisque sufficientia ad illam obtulisse propter meritum mortis Christi venturi.

Dices: D. August. multis in locis ita exponit locum illum Apostoli, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, vt dicat ita intelligendum esse primò, non quod Deus velit omnes saluari, sed quia nullus saluatur, quem Deus non velit saluum fieri. Eo modo loquendi quo dicitur Ludimagistrum docere omnes adolescentes, non quod omnes instruat, sed quia nullus eruditur nisi ab ipso. Sic etiam de beatissima Virgine canit Ecclesia cunctas hæreses sola interemisti, non quod omnes extinxerit, sed quia nulla nisi eius precibus & intercessione destructa est. Sic explicat August. in Ench. cap. 102. & l. de prædest. sanct. cap. 8. Secundò vt fiat distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum,

& ſit ſenſus; Deus ex omnibus ſtatibus hominum vult aliquos ſaluos fieri, ex gentibus, & Iudæis; ex Regibus, & ſubditis; ex maſculis, & fæminis. Sicut cum dicitur omne animal fuit in arca Noë, non eſt ſenſus ibi omnia animalium indiuidua extitiſſe, ſed aliquot ex quacumque ſpecie. Ita etiam cit. Auguſt. Tertiò vt tradit lib. de correp. & grat. cap. 13. Deus vult omnes ſaluos fieri, id eſt facit ſanctos id velle. Sicut cum Rom. 8. dicitur, *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, idem eſt ac poſtulare nos facit: & cum Geneſ. 22. dicitur, *nunc cognoui quod timeas Deminum*, ſenſus eſt, cognoſcere feci.

Reſpondeo has tanti Patris expoſitiones eſſe orthodoxas & ſumma, vt par eſt, veneratione excipiendas, ſicut & eas ſuſcipit D. Thom. hic, & in commentario illius loci Apoſtoli. Sed non contradicunt interpretationi quam ex eodem D. Thom. poſt Damaſcenum attulimus, quia diuerſo ſenſu procedunt. Damaſcenus enim loquitur de voluntate antecedenti; Auguſtinus vero de conſequenti, ſecundum quam certum eſt Deum eos ſolos velle ſaluos fieri qui ſaluantur. Nec voluntatem illam antecedentem reſpuit Auguſt. cum ad articulos ſibi falsò impoſitos luculenter dicat: *Sinceriſſime credendum atque profitendum eſt Deum velle vt omnes homines ſalui fiant, ſiquidem Apoſtolus ſollicite præcipit, vt Deo pro omnibus ſupplicetur.* Si autem locus Apoſtoli intelligeretur de voluntate metaphorica qua ratione eſſet ſecundum Auguſtinum, *ſyncerisſime credendum & profitendum* Deum velle ſalutem omnium?

Vrgebis: Semipelagiani recurrebant olim ad

voluntatem Dei antecedentem, & vtebantur testimonio illo Pauli à nobis adducto, tamquam præcipuo suæ hæreseos fulcro, vt videre est in Epistolis Prosperi, & Hilarij ad Augustin.

Respondeo Semipelagianos explicuisse voluntatem antecedentem modo toto cælo diuerso, ab eo quo vtuntur discipuli S. Thomæ. Illi enim dicebant esse quamdam generalem & conditionatam voluntatem Dei, liberi arbitrij humani præuisum & exploratum consensum expectantem, quæ proinde ex eodem creaturæ consensu fiebat consequens & efficax: vnde nec admittebant Deum specialiori dilectione prosequi electos quam reprobos, sed æquè illis velle salutem quantum ex parte Dei est. Nos vero ab his omnibus abhorremus, & in tantum dicimus voluntatem Dei antecedentem esse inefficacem; inquantum respicit objectum secundum se & absque omnibus circunstantiis: & ideo dumtaxat suum vltimatum effectum non sortiri, quia ipsa voluntas aliter disponit, nec frustrari à suo effectu ex impotentia sua, vel impedimento creaturæ, sed quia Deus ipse non vult, qui omnia quæcumque vult facit in cælo & in terra. *Quod vtique non esset verum* (ait Aug. in Ench. c. 95.) *Si aliqua voluit Deus facere & non fecit, & quod est indignius, ideo non fecit, quia ne fieret quod volebat omnipotens voluntas hominis impediuit.* Non etiam dicitur conditionata, quia supponit exploratum consensum, sed quia non fertur ad salutem nisi ea conditione quod supremi prouisoris sapientia iudicet hic & nunc ita conuenire fini gubernationis suæ. Quomodo autem explicatio voluntatis antecedentis tradita ab assertoribus scientiæ mediæ differat ab

expositione Massilienſium, ipſi viderint.

Inſiſtes: hæc voluntas antecedens & inefficax planè videtur inutilis, imo & parùm ſyncera; poſito enim quod Deus antecedenter ad præuiſa demerita reprobet & excludat à ſalute vt beneficio indebito, quæ eſt frequens Thomiſtarum aſſertio, quomodo cum hoc ſtat voluntas ſyncera ſaluandi reprobum? Si enim eſſet in manu Mercatoris fugere aut ſedare tempeſtatem ne mercimonia perirer, quis crederet eum ſincerè eius conſeruationi inuigilare, ſi ingruentem & iamjam opprimentem tempeſtatem non componeret? Deus autem poteſt media efficacia conferre reprobo, quæ non modo non confert, ſed etiam decernit poſitiuè non conferre, qua ergo ratione ſyncere vult eorum ſalutem? Ergo dicendum eſt vel talem voluntatem non eſſe in Deo, vel non niſi metaphoricè accipiendam eſſe, ſicut de voluntate ſigni communiter dicitur.

Reſpondeo voluntatem antecedentem qualem admiſimus, nec cenſendam otioſam, cum per eam Deus oſtendat viſcera miſericordiæ ſuæ, quæ omnibus etiam reprobis auxilia ſufficientia ad ſalutem offert: nec imperfectam, quia non ſuſpenditur eius executio ex aliquo obice retardante vel impediente Dei voluntatem (vt aliqui non ſatis de Deo digne Philoſophantur) ſed ex decreto ipſius volentis, qui variis de cauſis quandoque occultis, interdum vero patentibus non vult, vt ipſa ſuum ſortiatur effectum, ne impediatur maius bonum, videlicet ordo Diuinæ prouidentiæ, vniuerſi pulchritudo, attributorum manifeſtatio, decor iuſtitiæ, ſplendor miſericordiæ; nec denique

parum synceram, sicut non desinit syncera esse Iudicis voluntas hominis saluandi, quantumuis efficaciter iubeat suspendi homicidam. Vnde exemplum mercatoris non est omnino simile: & ratio differentiæ est, quia Mercator est persona particularis, cuius est intendere suum particulare bonum & lucrum, vnde si impendente tempestate non facit quidquid potest ad mercium conseruationem, conuincitur nolle sincerè merces seruare: At vero Deus est prouisor vniuersalis, cuius est prospicere commune bonum vniuersi; vnde cum syncera voluntate salutis alicuius absolutè consideratæ potest efficaciter permittere, vt cadat in peccatum propter rationes latentis consilij sui, quod est abyssus multa, adoranda potius quam inuestiganda.

Persistes adhuc: voluntas beneplaciti Diuini semper impletur: nam de ea scriptum est Isa. 46. *Omnis voluntas mea fiet*; sed voluntas antecedens non semper impletur, neque enim salutem quam Deus omnibus vult, omnes consequuntur. Ergo voluntas antecedens non est voluntas beneplaciti, sed signi, subindeque non est formaliter in Deo.

Respondeo, quod cum scriptura & Patres docent voluntatem Dei semper impleri loquuntur de voluntate consequenti. Quamuis admitti possit in aliquo vero sensu voluntatem antecedentem impleri, quia per voluntatem illam ordinat Deus hominem in salutem, & hoc impletur: nam per auxilia omnibus oblata omnes in salutem diriguntur, licet eam ex culpa non consequantur. Prædictorum occasione

De altera diuisione diuinæ voluntatis pauca dicenda sunt. Voluntas beneplaciti est illa quæ

formaliter & proprie in Deo reperitur. Voluntas vero signi est cum Deus externo aliquo signo voluntatem suam significat. Et eius quinque signa affert S.Thom. quæst.19.art.12. quæ sunt *præceptum, prohibitio, consilium, operatio & promissio*, & comprehenduntur hoc communi versiculo *præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet.* Obserua autem cum D. Thom. in disputatis quæst.23. de volunt. Dei art.3. ad 9. quod aliquando voluntas signi non coincidit cum voluntate beneplaciti, sicut permissio peccati, quod nec Deus facit nec fieri vult: Aliquando semper coincidit vt operatio, nihil enim Deus operatur quod non velit: aliquando interdum coincidit, interdum decidit, vt præceptum, prohibitio, & consilium, multa enim præcipit & consulit Deus quæ non fiunt, & multa prohibet, quæ fiunt.

Quinque prædictis signis sextum annumerandum censet Estius, quod vocat *præparationem*, quando scilicet Deus vult præparare aliquid ad aliud quod tamen non fit, sic qui minatur, vel promittit aliquid dicitur velle illud, qui stringit gladium dicitur velle occidere, & sic ait posse intelligi illud Luc.24. *Finxit se longiùs ire*, vt sit sensus Christum progressum aliquantulum tamquam si discessurus esset, & longius iturus, & Exodi 4. dicitur Deum voluisse occidere hominem, quia hæc dixit aut fecit quæ sunt ad huiusmodi effectus præparationes, qua doctrina explicari queunt multa difficilia scripturæ testimonia. Sed quamuis hæc obseruatio sit erudita, dici tamen potest præparationem illam posse reduci ad operationem quæ est vnum ex quinque signis: nam qui præparat

aliquid, operatur id quo significat suam voluntatem saltem antecedentem.

Reflexio.

Quam multis opponere posset modo Christus quod olim Iudæis obiiciebat Matth. 2. *Ierusalem Ierusalem quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis & noluisti?* Cum enim Deus velit omnes saluos facere, vix tamen inuenitur, qui saluari sincerè velit. Christus passus fons patens est, & nemo haurit; clamitat in plateis, & per externas prædicatorum forinsecus sonantes voces, & per internos inspirationum afflatus, *si quis sitit veniat ad me*, & nullus accedit: pro omnibus se obtulit *non in templo* (vt S. Leo serm. 7. de passione rectè ponderat) *nec intra septa ciuitatis, sed extra; vt veterum victimarum cessante mysterio, noua hostia nouo imponeretur altari, & crux Christi non templi esset ara sed mundi.* Et tamen non inuenitur qui in se adimplere velit quæ desunt passioni Christi in carne sua, vel dignos faciat pœnitentiæ fructus. Denique vult omnes saluos facere, & pauci admodum salui fiunt. Vnde hoc? quia reuera saluari nolunt, sed vellent: vellent, inquam, si non esset obligatio restituendi alieni, dimittendæ alienæ, pœnitentiæ agendæ, exercendæ pietatis. *Vult & non vult piger* ait Sapiens Prou. 19. vult, quia arridet fœlicitas, inuitat præmium, minæ deterrent. Sed in veritate non vult, qui media, sine quibus finis non obtinetur, minimè eligit. Vult simplici volitione & complacentiâ (sic vocatur à Theologis 1.2.) non intentione quæ imperat media, quæ rumpit moras,

quæ tarda molimina nescit. Vnde multi sunt (vt eruditè, nec minus piè aduertit Ioan. à S. Thoma tom. 2. disp. 9. a 1. n. 6.) qui valdè Deum diligere, & de eo delectari videntur, & vehementer falluntur, quia nihil habent nisi simplicem amorem, bonum quidem, sed nondum perfectum, nondum robustum, quia nondum duplicatum attingentia finis & mediorum: & quia solo delectationis gustu innititur, eo desinente (vt sæpè per tentationes cessat) corruit totus ille prætensus feruor. Vera dilectio non multum in huiusmodi velleitatibus, vel consolationum saporibus occupatur, sed vnicè circa custodiam cordis, tollenda passionum vitiorumque impedimenta, eaque quæ Deus præscribit implenda versatur. Hic est amor ex toto corde, & qui non solum dicit Domine, Domine, sed facit voluntatem Patris, qui denique ducit ad cœlum, sicut velleitatibus plenus est infernus.

CAPVT II.

De variis diuinæ voluntatis affectibus, & de moribus diuinis.

IN confesso est apud omnes Theologos in Deo admittendas esse virtutes affectiuas distinctas virtualiter à voluntate, quæ ad hoc vt sit infinita & actus purus sufficit vt vltimum actum suæ lineæ, id est volitionem sibi absque distinctione virtuali idemtificet, sufficit namque ad infinitatem cuiusuis attributi diuini, vt ex-

plicitè importet quidquid pertinet directè & per se ad propriam seriem, alia verò implicitè & per modum transcendentis includat. Præsertim quando assignantur diuersa obiecta, vel diuersæ rationes formales eiusdem objecti, propter quas cum fundamento attributa distinguimus, vt contingit in præsenti, nam voluntas respicit bonitatem diuinam prout est in se, & secundum totam suam amplitudinem; misericordia respicit eandem bonitatem veluti magis contractam, vt est ratio miserendi, seu pellendi miseriam, & sic de aliis. Nam diuina bonitas vtpote eminentissima & eminentissimo modo æquiualens omni bonitati creatæ potest esse ratio miserendi, & puniendi, & fidelitatem seruandi, & sic specificare secundum nostrum concipiendi modum in obiecto fundatum diuersas virtutes affectiuas: vt autem de his perspicuè agamus tria considerabimus, primò quænam passiones secundum rationem formalem possint dici de Deo. Secundò quomodo admittendæ sunt virtutes iustitiæ annexæ. Tertiò quomodo misericordia, & ei affines.

SPECVLATIO I.

Illæ, quas in nobis experimur affectiones, Deo formaliter attribuuntur quæ nullam dicunt vel inuoluunt imperfectionem.

VT methodicè hanc ſpeculationem explicemus, de præcipuis affectibus inquirendum eſt ſigillatim, ſolo excepto amore de quo ſatis ſuperque capite ſuperiori dictum eſt.

Quæres 1. an detur in Deo gaudium & delectatio?

Reſpondeo affirmatiuè, iuxta illud Pſal. 15. *Delectationes in dextera eius vſque in finem.* Et ratio eſt: quia gaudium & delectatio eſt quies voluntatis in obiecto volito: diuina autem voluntas in propria bonitate maximè quieſcit, vtpotè omnem ſufficientiam in ſe inueniens: igitur in ſe maximè gaudet & ſuauiſſimè delectatur. Præterea delectatio eſt quædam operationis perfectio, vnde ait Philoſo. 10. Ethic. quod perficit operationem ſicut pulchritudo iuuentutem: ſed Deus perfectiſſimam operationem habet in intelligendo: igitur cum noſtrum intelligere propter ſuam operationem ſit adeo delectabile, quanto magis diuinum?

Confirmatur ex D. Tho. 1. cont.gent. c. 90. Vnumquodque naturaliter in ſuo ſimili gaudet, niſi fortè per accidens, ſi eſſet impeditiuum propriæ vtilitatis, ſicut figuli adinuicem corrixan-

tur, eo quod vnus impedit lucrum alterius: omne autem bonum est diuinæ bonitatis similitudo, neque ex bono aliorum aliquid Deo deperit, sed magis diuina bonitas refulget : igitur Deus de omni bono non solum proprio, sed etiam alieno gaudet.

Quæres secundò an gaudium diuinæ voluntatis differat virtualiter ab amore?

Respondeo affirmatiuè, quia amor fertur ad diuinam bonitatem sub præcisa & formali ratione bonitatis, gaudium vero & delectatio sub ratione boni coniuncti, vniti, & possessi per realem fruitionem : ergo verisimilius est has dotes virtualiter distingui, quia licet penes diuersa objecta materialia non distinguantur diuinæ perfectiones, hacque de causa non distinguatur scientia simplicis intelligentiæ à scientia visionis; benè tamen quando differentia oritur ex objecto primario, scilicet bonitate diuina diuersa ratione spectata: Nec enim alia ratione distinguitur virtualiter Iustitia à misericordia. Sic in proposito : namamor respicit bonum, quà bonum; gaudium verò, quà possessum : vnde si per impossibile voluntas Dei esset separata à sua bonitate, voluntas bonitatem amaret, quamuis de ea minimè gauderet. Et radix horum est, quod sicut bonum absolutè spectatum, quod est objectum amoris, est prius seipso vt determinato per rationem præsentis: Ita affectus amoris, versans circa bonum vt tale, est prior illo qui versatur circa bonum vt præsens. Et huius signum est quia nõ delectamur de aliquo nisi quia illud amamus, & ideo gaudium percipimus, quia diligimus: ergo gaudium ab amore originatur in nobis quidem realiter, sed in Deo virtualiter.

Quæres tertiò vtrum in Deo sit zelus?

Respondeo affirmatiuè iuxta illud Exod. 24. *Ego sum dominus Deus tuus fortis, Zelotes.* & 34. *Dominus Zelotes nomen eius, Deus est amulator.* Psal. 78. *accendatur velut ignis zelus tuus.* Et D. Dio. l. 4. de diuin. nomi. ait Deum appellari *Zelotem propter multum amorem, quem habet ad existentia.*

Ratio desumitur ex D. Thom. 1. 2. q. 28. a. 4. zelus in sua ratione nihil importat quam intensum amorem excludentem & fortiter repellentem omne sibi contrarium & repugnans: sed in Deo est perfectissimus amor suæ gloriæ, propter quam omnia operatur, & quam etiam in his quibus obscurari videtur illustrem reddit, de his enim quæ faciunt homines contra voluntatem Dei facit ipse quæ vult, vt infra ostendemus latiùs dum de prouidentia Dei: ergo in Deo est perfectissimus zelus.

Et quamuis zelus prout est in nobis sæpè sæpiùs imperfectione aliqua admixta nonnihil sordescat, quia non raro in hominibus nascitur vel ex falsis suspicionibus, vel ex inuidia: vnde Thom. à kemp. *Passione mouemur, & zelum putamus*; tamen ab his omnibus alienissimus est zelus diuinus: quia licet Deus velit solus amari tanquam vltimus finis, præcipit tamen amari proximum, imò illud asserit esse præcipuum dilectionis Dei argumentum. *In hoc cognoscent omnes* (ait veritas, Ioan. 13.) *Quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Deus etiam falsis suspicionibus minimè obnoxius est, quia spirituum ponderator est, & dum homines vident ea quæ parent, ipse intuetur cor: vnde præclarissimè Augustin. *Videte eum quanta securitate ameris,*

cui displicere falsis suspicionibus non timetis.

Confirmatur ex triplici conditione quam D. Bernard. serm. 20. in cant. exigit ad verum zelum dicens: *Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia: sit feruidus, sit circunspectus, sit inuictus; nec teporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit.* Sed hæc triplex conditio excellentissimè zelo diuino conuenit, cum Deus habeat charitatem & feruorem infinitum, imo sit ipsa charitas, & feruor per essentiam, vnde dicitur Deut. 4. *Deus ignis consumens est.* Eius etiam sapientiæ non est numerus; nec apud illum est transmutatio vel vicissitudinis obumbratio: ergo in Deo est feruidissimus, prudentissimus, & constantissimus zelus.

Quæres quartò vtrum in Deo sit formaliter odium?

Respondeo negatiuè, quia odium fertur ad malum quodammodo sub ratione mali; nam licet malum non possit esse motiuum voluntatis, quæ semper tendit ad bonum vel verum, vel apparens; tamen malum potest esse obiectum terminatiuum voluntatis, quatenus voluntas sub ratione boni sibi conuenientis, vult illud quod est noxium & disconueniens inimico. Atqui diuina voluntas non fertur nisi ad bonitatem suam intrinsecam tanquam obiectum suum adæquatum tam motiuum, quam terminatiuum: vnde cum Deus vult infligere pœnam peccatori, non illam intendit, vt illum plectat, sicut nos odio habendo aliquem volumus illi malum, vt malum illi est; sed pœnam vult quatenus in ea resplendet suæ decor iustitiæ, & ordo vniuersi, quod sanè bonum est. Ergo in Deo non est odium propriè dictum, iuxta illud Sap. 11. *Ni-*

hil odisti eorum quæ feciſti.

Id egregiè confirmat S.Th. 1. cont.gent. c. 96. quia illud quod naturaliter inuenitur in omnibus principiis creatis, in primo agente neceſſe eſt inueniri, præſertim ſi nullam inuoluat imperfectionem, ſed puram perfectionem; in Deo quippe ſunt omnes perfectiones creaturæ. Vnde pulchrè Auguſtinus. *Qui fecit magna, maior eſt; qui fecit pulchra, pulchrior eſt; qui fecit bona, optimus eſt.* Sed omnia agentia ſuo modo effectus ſuos amant, ſicut parentes filios; poëtæ poëmata; artifices ſua opera; & hoc puram perfectionem redolet. Igitur multò magis Deus nullam rem odit, cum ipſe ſit omnium cauſa. Ex quo obiter inferes quam iuſtum ſit à nobis Deum redamari qui nos non poteſt odiſſe, & non amare non poteſt; & cum qua fiducia ad Deum accedere debeamus, qui nos odio habere non poteſt. *Non poſſum vereri vultum* (ait Doctor melliſluus ſerm. 84. in cant.) *Cuius ſentio affectum. Nunquid iraſcetur quæſitus, qui etiam contemptus diſſimulauit? quin imò non repellet requirentem, qui & contemnentem requirit. Quidni animer ad quærendum expertus clementiam?*

Dices: de Deo dicitur Pſal. 5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, virum ſanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Et Zachar. 8. *Vnuſquiſque malum ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendax ne diligatis, omnia enim hæc ſunt quæ odi, dicit Dominus.*

Reſpondeo hæc & alia loca intelligi tripliciter, primò quatenus Deus amando bonum remouet id quod eſt contrarium bono, ſicut nos ea odio habemus quæ eſſe nolumus. Secundò qua-

tenus Deus vult aliquod maius bonum, quod esse non potest sine priuatione minoris boni. Sic in quantum vult bonum iustitiæ, vel ordinis vniuersi, quod esse non potest sine punitione & corruptione aliquorum, dicitur illa odisse quorum corruptionem vel punitionem vult. Denique intelligi possunt de odio abominationis, quo Deus prosequitur peccatum, vtpote aduersum suæ bonitati: sed creaturam odio habere nequit bonitas per essentiam.

Quæres 5. Quid dicendum de ira & desiderio? Respondeo neutrum ex his affectibus esse in Deo. Non iram, quæ, vt ait D. Thom. lib. cit. c. 89. *Longe est à Deo secundum rationem suæ speciei*, quia est appetitus vindictæ propter tristitiam ex iniuria illata conceptam: in Deo autem nulla esse potest tristitia, vt postea dicemus. Nec placet quod ait Suarez oppositum sentiens de ratione iræ esse solum appetitum nocendi alteri sub ratione iustitiæ vindicatiuæ; sequeretur enim ex hoc omnem actum iustitiæ vindicatiuæ ad iram pertinere, sicque iudicem qui sedato tranquilloque animo punit homicidam ex motiuo iustitiæ vindicatiuæ, ipsum ex ira plectere, quod tamen communi modo loquendi & sentiendi repugnat. Scriptura autem, quæ interdum iram Deo asserit, intelligenda est de effectu, non de affectu iræ. Vnde Chrysolog. ser. 45. *Deus nec subiacet passioni, nec ira accenditur, nec furore turbatur, sed ira Dei est delinquentium pœna, furor Dei est supplicium peccatorum.*

Quoad desiderium verò idem suadetur: nam desiderium fertur circa bonum non habitum, vel quod non est in nostra potestate, de bonis enim habitis solum gaudemus, & fruendo delectamur,

nec illud cenſemur deſiderare, quod cum ſit in noſtra poteſtate non habemus, ſi enim verè illud deſideraremus, profecto & haberemus. Ergo Deus non habet propriè dictum deſiderium, nec reſpectu ſuæ bonitatis, quam eſſentialiter poſſidet; ſed nec etiam per ordinem ad bona extrinſeca etiam à libero noſtro arbitrio pendentia, quia ea omnia habet in ſua poteſtate, cum teſte Auguſtino habeat *humanorum cordium quocumque inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, & magis in poteſtate ſua voluntates hominum, quam ipſi ſuas*: igitur non eſt in Deo propriè dictum deſiderium, quod eſt appetitus boni non habiti nec actu nec virtute, ſeu poteſtate. Attribuitur tamen quandoque Deo, quatenus ſe habet admodum deſiderantis, dum per auxilia ſufficientia nos ſollicitat ad ſalutem.

Ex his euidentiùs ſequitur remouendos eſſe à Deo affectus ſpei, timoris, & triſtitiæ. Spes quippe reſpicit bonum futurum, arduum, & difficile acquiſitu: timor vero reſpicit malum quod imminet: triſtitia autem affligitur de malo præſenti. Atqui Deo nihil eſt difficile, qui voluntate omnia creauit: Deo etiam nullum malum accidere poteſt, cum ſit ſummum bonum & plenitudo bonitatis. Ex quo ſtatim conſequitur repugnare etiam Deo inuidiam, quæ triſtatur de bono alterius, cuius bonum accipit tamquam ſibi malum. Sed Deus amat omne bonum cum illud producat; nec poteſt apprehendere id quod eſt bonum vt malum ſibi, cum eius ſcientia ſit ſine errore.

Denique obſeruanda eſt regula quam tradit D. Thomas q. 20. a 1. ad 2. *Dicendum quod in paſſionibus appetitus ſenſitiui eſt conſiderare aliquid*

materiale scilicet corpoream transmutationem, & aliquid quasi formale, scilicet quod est ex parte appetitus: sicut in ira materiale est accensio sanguinis circa cor, formale appetitus vindictæ. Sed rursus ex parte huius quod est formale in quibusdam horum designatur aliqua imperfectio, sicut in desiderio, quod est boni non habiti, & in tristitia quæ est mali habiti: & eadem ratio est de ira, quæ tristitiam supponit. Quædam verò nullam imperfectionem designant, vt amor & gaudium. Cum igitur nihil horum Deo conueniat secundum illud quod est materiale in eis: illa quæ imperfectionem important, etiam formaliter Deo conuenire non possunt nisi metaphoricè propter similitudinem effectus. Quæ autem imperfectionem non important de Deo propriè dicuntur. Vbi compendiosè totam nostram speculationem comprehendit S. Doctor.

Reflexio.

5 Deus omnibus iis affectibus præditus est, quibus nullus passionis sensus permiscetur. Similiter vt mores diuinos imitemur, conandum nobis est, & omni studio cauendum ne quidquam passionis impetu agamus. Hæc totius Ethicæ summa: *nihil ex passione, cuncta ratione tractanda.* Hac arte tenemus medium, hac perdimus modum: numquam aut raro peccabis, si cuncta agenda deliberatione præuenias. Ita rectè tradit D. Ber. l. 3. de consider. c. 3. *Spiritualis homo ille qui omnia diiudicat, vt ipse à nemine diiudicetur omne opus suum trina consideratione præueniet. Primum quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an expediat. Nam etsi constet in christiana vtique philosophia non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet & licet, non continuo tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit.*

SPECVLATIO II.

In Deo est summa & perfecta iustitia, non quidem commutatiua, sed distributa, & vindicatiua, seu punitiua.

PRima pars constat, nihil enim in sacris litteris frequentiùs inculcatum, quam agnoscendam esse in Deo perfectam iustitiam. Ps. 118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum,* & iterum *iustitia tua, iustitia in æternum,* & alibi millies. Atque hoc attributum vnum ex micantissimis esse testantur Patres, Chrysol. serm. 9. *Qui potest celare radios solis, iustitiæ poterit occultare fulgorem. Iustitia lux rerum consiliis non velatur obscuris. Iustitia cum sibi facto claret, omnes illustrat exemplo.* in Deo autem non solum est iustitia, sed etiam vt ait August. ser. 34 de verb. Domi. *Fons iustitiæ est.* Et ratio est, quia iustitia est virtus vnicuique quod suum est tribuens: Deus autem vnicuique quod suum est tribuit (quidquid sit an creaturæ habeant ius necne, de quo statim) quia omnia in numero, pondere, & mensura produxit; summa sapientia ac prouidentia regit; estque summa lex & regula totius bonitatis, & debitæ ordinationis. Sed iam explicandum restat quænam iustitiæ ratio in Deo reperiatur.

Secunda pars quæ negat reperiri inter Deum & creaturas iustitiam commutatiuam explicatur & probatur; iustitia commutatiua consistit in

mutua datione & acceptione, ex qua contrahitur debitum in accipiente qui tenetur compensare debitum seruando proportionẽ seu æqualitatem arithmeticam secundum computationem numeri ad numerum, qualis est inter vendentem & ementem, vt si venditor dat pannum pretij cẽtum nummorum, emptor stricto iure tenetur dare centum nummos, ne incurrat iniustitiæ labem. Atqui nulla creatura potest aliquid Deo dare, quod Deus stricto iure compensare teneatur: Ergo non datur iustitia commutatiua inter Deum & creaturas. Maior est definitio iustitiæ commutatiuæ. Minor probatur: creatura non potest dare aliquid quod Deus compensare teneatur, si in veritate nihil Deo dare possit: sed reuera creatura nihil Deo dare potest: Ergo Deus nihil compensare tenetur. Probo minorem: dare aliquid alteri est constituere illud sub dominio eius cui datur, eique tribuere aliquid quod ad ipsum non pertinebat: Atqui omnia sunt sub dominio Dei etiam antequam illi offerantur multò meliùs quam sub dominio creaturæ; imò ipsum dare & offerre est in nobis ex auxilio & influxu Dei: Ergo creatura nihil vmquam propriè dat Deo. Vnde dicitur ad Rom. 11. *Quis prior dedit ei, & retribueretur ei?* Iob. 4. *Quis dedit mihi & reddam ei?* & 1. Paral. 29. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Et præclarè August. lib. 1. confess. cap. 4. *Quis habet quicquam non tuum? reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens.*

Confirmatur: quidquid à creatura Deo offertur illi innumeris titulis debitum est, scilicet titulo Creatoris, Conseruatoris, Adiutoris, su-

premi Domini, vltimi finis : Ergo per ea quæ offeruntur non obligatur Deus ad compenſationem ex ſtricta iuſtitia, ſed ſolum ex ſua liberalitate; non ex debito, ſed ex charitate : omne quippe debitum importat dependentiam & ſubjectionem in eo qui debet, quod ſanè longè eſt à Deo. Certe ſi ſecundum Philoſophum 8. Eth. cap. 16. non datur ſtricta iuſtitia inter Patrem & Filium, nec inter Dominum & ſeruum; quia filius non poteſt in beneficiis æquale compenſare Patri, à quo accepit eſſe, nutrimentum, & diſciplinam; & quia totum quod eſt ſerui, Domini eſt; quanto minus inter Deum & hominem ſtricta iuſtitia commutatiua inuenietur? cum homo nihil offerre valeat, quod ad Deum non pertineat, nec ſuis operibus immenſa Dei benficia tantiſper adæquare. Vnde Bern. lib. de diligen. Deo cap. 3. *Si totum me debeo pro me facto, quid reddam iam & pro refecto? nec enim tam facile refectus, quam factus. In primo opere me mihi dedit : in ſecundo ſe, & vbi ſe dedit me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo, quid Deo tribuam pro ſe? Nam ſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego apud Deum, qui prior dilexit nos, tantus & tantum; tantilles, & tales?* Quid Diuinius?

Denique huic noſtræ ſentiæ fauet tota Scriptura & Patres, qui perpetuo docent humilitatis & Charitatis Chriſtianæ ſummam eſſe, multa pro Deo facere, & tamen arbitrari nihil ſibi ex iuſtitia niſi pœnas deberi. Vnde aiebat Veritas Luc. 17. *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus, quæ debuimus facere fecimus.* Vnde viri ſancti quantumcumque ardua conarentur, vel dura paterentur,

hæc tamen pro nihilo reputabant, secundum illud Cant. 8. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Hanc vitæ spiritalis & Christianæ fundamentalem regulam Diuinè tradit D. Thom. opusc. de diligend. Deo. *Operari magna, & reputare pauca: operari diu, & reputare breui, hoc vere signum est amoris præcipui.* Et certe huius veritatis luce magis conuincetur animus, si attendat, quod ipsa opera nostra bona sunt Dei dona, cumque pœnitentiam nostram, & lachrymas nostras in conspectu suo veluti rationali ponit, noua nos onerat gratia. Nam vt air Bernard. serm. 15. in Psalm. qui habitat. *Onerat, cum exonerat Deus; onerat beneficiis cum exonerat peccatis.*

Objicies: Deus promisit se daturum mercedem bonis operibus ex conuentione & pacto oneroso laborandi in vinea sua. Ergo ex iustitia obligatur ad retributionem. Vnde Scriptura & Patres sæpius dicunt Deum futurum iniustum, nisi daret præmium sanctè viuentibus. Ad Hæbr. 6. *Non iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri boni.* & August. lib. 4. cont. Iul. cap. 3. *Deus ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius regnum verus non admittatur iustus.*

Respondeo quod, vt optimè ait D. Thom. quæst. 21. art. 1. ad 3. licet Deus vnicuique det quod ei debetur secundum rationem suæ naturæ & conditionis, *non tamen ipse est debitor, quia ipse ad alia non ordinatur, sed potius alia in ipsum, & ideo iustitia quandoque dicitur in Deo condecentia suæ bonitatis, quandoque retributio pro meritis, & vtrumque modum tangit Anselmus: cum punis malos iustum est, quia illorum meritis conuenit:*

Cum

Cum vero parcis malis iustum est, quia bonitati tuæ condecens est. Vnde quæcumque promissio accedat, Deus non fit nobis debitor, sed sibi ipsi, inquantum debitum est vt sua ordinatio, & conuentio impleatur. Si autem Deus non remuneraret bona opera, non esset iniustus nobis, sed sibi, nobis autem infidelis, quia frangeret fidem, nec staret promissis. Sicut licet Deus per Propheras promisisset filium suum, non tamen ex iustitia, sed ex amore & gratia apparuit benignitas saluatoris nostri. Vnde August. lib. 5. confess. cap. 9. *Dignaris eis quibus omnia debita dimittis, etiam promissionibus tuis debitor fieri.* Et idem repetit serm. 16. de verbis Apost. *Tenemus Deum debitorem, debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo.* Vnde infert sanctos posse Deo dicere: *Fecimus quod iussisti, redde quod promisisti.* & Anselm. in Prosol. cap. 10. *Iustus es Domine, non quia nobis reddis debitum, sed quia facis quod decet te summum bonum.*

Tertia pars speculationis quæ asserit in Deo admittendam esse iustitiam distributiuam, qua Deus iuxta rerum dignitatem, & pro meritorum inæqualitate sua dona dispensat, expresse asseritur à D. Thom. hic post D. Dionys. capite 8. de Diuin. nomini. Et probatur: Iustitia distributiua est virtus qua dispensator & prouisor rerum dat vnicuique iuxta propriam cuiusque dignitatem, vnde & dicitur quod seruat proportionem geometricam & respectiuam; vt si Paterfamilias dat vestes toti familiæ, non tamen eadem, sed parvulis, paruas, grandæuis grandiores prudenter largitur. Si Dominus dat seruo pro stipendio diei

numinum, operanti per duos dies duos nummos retribuet: Atqui hæc iustitiæ ratio admittenda est in Deo, imò & de ea exponi debent omnia Scripturæ testimonia, quæ Deum erga homines iustitiam exercere testantur, vt cum dicitur 1. Timoth. 4. *Superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Matth. 25. *Dedit vni quinque talenta, alij duo, alij vnum secundum propriam mensuram*, id est meritum & dignitatem, & ad Ephes. 6. dicitur quod *personarum acceptio non est apud Deum*, quia in bonorum suorum dispensatione Deus causas discernit, non personas. Vnde vt obseruat D. Thom. opusc. 62. in veteri lege non potentes & nobiles, sed humiles constituit iudices super populum sicut Moysen & Iosue: & Dauid minimum inter fratres de pascuis ouium in Regem sublimauit. In primitiua etiam Ecclesia non diuites vel sapientes, sed piscatores ignobiles constituit Principes super omnem terram. Nec vlli confert gratiam propter potentiam, nobilitatem, fortitudinem, aut pulchritudinem corporalem, sed vt dicit Petrus actor. 10. *in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Vt sicut in hoc mundo non solos opulentos, vel stirpe claros ad cælum vocat, sed pauperes, cæcos, claudos, debiles, & infirmos compellit intrare, & secreta quæ abscondit sapientibus, reuelat paruulis: ita in postremo iudicio personas Regum & principum non accipiet, sed recipiet vnusquisque prout gessit siue bonum, siue malum. Ergo in Deo est iustitia distributiua.

Probatur etiam ratione: Iustitia distributiua

explicata nullam dicit imperfectionem, sed puram perfectionem : pertinet enim ad supremum prouisorem dispensare bona inferioribus iuxta eorum merita. Neque hæc recta & *modulata* distributio (sic vocatur à Tertul. cont. Marcio.) prouenit ex debito vel obligatione, sed ex rectæ rationis lege & conuenientia, qua Deus iudicat omnia cum harmonia & consonantia esse distribuenda. Vnde licet Deum in distribuendo proportionem seruare iustum sit, tamen ab ea distributione penitus abstinere absque iniustitia potest. v. g. supposito quod pactum iniuerit de mercede bonis operibus retribuenda, iustum sit vt præmium ex operum inæqualitate metiatur, tamen absolute poterat Deus à tali conuentione absque iniustitia abstinere ; & opera illa à creaturis suis supremus Dominus absque mercedis pacto exigere.

Nec etiam per huiusmodi dispensationem amittit Deus rerum distributarum dominium, cum omnia sibi essentialiter subdantur. Præsertim quia creaturis rationalibus bona non tam donat, quam commodat, nec quicquam alienat, sed omnia veluti in feudum ac emphiteusim tradit ea lege, vt omnia in Deum referant, à quo acceperunt. Ergo iustitia distributiua ab omni imperfectionis labe munda est, sed in infinita Dei sapientia fundatur, quæ exigit, vt singula pro meritorum diuersitate dispenset. Qua de causa *veritas* dicitur Psal. 84. *misericordia & veritas obuiauerunt sibi* : quia nimirum eum in rebus ordinem constituit, quem diuinæ sapientiæ ratio in numero, pondere, & mensura præscripsit.

Obijcies : de ratione iustitiæ qualiscumque,

est reddere debitum, quod iustè exigitur: iustitia enim in communi est constans & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens; ius autem vnius non potest esse sine debito alterius: sed in Deo non potest esse debitum: ergo nec iustitia distributiua strictè sumpta.

Respondeo debitum iustitiæ distributiuæ non esse in Deo ex iuræ creaturæ, quo Deus obligetur, sed ex naturali rectitudine & ex lege sapientiæ (quæ in Deo est ipsemet Deus) qua tenetur prudens distributor præmia pro meritorum ratione dispensare. *Debitum est Deo* (ait D. Thom. hic ad 3.) *Vt impleatur in rebus id quod eius sapientia & voluntas habet, & quod suam bonitatem manifestat, & secundum hoc iustitia Dei respicit decentiam eius, secundum quam reddit sibi quod sibi debetur.*

Instabis: Si hoc ita sit, Deus erit sibi debitor: sed hoc tollit formalem rationem iustitiæ strictæ, quæ est ad alterum: ergo in Deo non est iustitia stricta, etiam distributiua.

Respondeo quod licet Deus nulli sit debitor nisi sibi, tamen quia dum sibi satisfacit, simul etiam bona aliis distribuit, quamuis non nisi ratione sui, hinc fit iustitiam Dei reuera diffundi ad alterum. Sicut Deus vere alia à se amat, licet non amet nisi propter se. In summa: Deus est debitor sibi, vt principio, motiuo, & fundamento dandi; sed non vt termino circa quem exercetur iustitia, quæ in creaturas quidem protenditur, sed debitum in creaturis non fundatur.

Rigor Diuinæ Iuſtitiæ.

VLtima pars quæ aſſerit admittendam eſſe in Deo iuſtitiam vindicatiuam & punitiuam, nullam patitur difficultatem, nec tam indiget probatione, quam timore. Cum enim hæc iuſtitia nihil aliud importet quam voluntatis affectum ſumendi vindictam de peccato, nec vllam inducat obligationem, vel aliam imperfectionem, procul dubio formaliter eſt in Deo. Imò illam ſibi ſoli reſeruat Deus. Rom. 12. *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

Probatur etiam à poſteriori ex variis eius effectibus quorum mundus vniuerſus plenus eſt. Nam primò ſplenduit in cælo, cum Angelorum princeps, creaturarum omnium nobiliſſima, præcipuum diuinæ ſimilitudinis ſignaculum, ex Angelo Cacodæmon; ex limpido Diuinitatis ſpeculo, princeps tenebrarum harum; & qui antea lucifer, iam (vt ait Bernard. ſerm. de S. Ben. & l. de gradi. humil.) *Tenebrifer, & veſperus, mortifer, & noctifer* factus eſt, & tamquam fulgur cadens de cælo impetu furoris Dei, qui omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſe dejicit, nec plenitudini ſapientiæ, nec perfectioni decoris pepercit. Huius ſi non terret culpa, terreat vindicta, *& ſta in te, ne cadas à te, ſi ambulas in magnis & mirabilibus ſuper te.* Vt ait prælaudatus Doctor Melliſluus.

Secundò apparuit hæc iuſtitia in paradiſo terreſtri. Vbi videre eſt Adamum Terræ dominum, cæli ciuem, domeſticum Domini, fratrem beatorum ſpirituum, cæleſtium virtutum cohære-

dem ob esum pomi (quem sane excusaret huius temporis probabilistarum laxitas) repentina & tristi mutatione comparatum iumentis, & simi-lem illis factum. Nec ipse solum paradiso absque dilatione disturbatus, gratuitis spoliatus, in naturalibus vulneratus; sed insuper tota eius progenies post tot sæculorum pœnitentiam, post ipsius Redemptoris sanguinem fusum, iniquitatem illam portat etiam in infantibus prius reis, quam natis; prius peccatoribus, quam peccati cognitoribus, imo prius mortuis, quam viuis, sicut & protoparens prius fuit interemptor quam Pater. Vnde Bernard. tract. de gradibus humilit. *Nascimur, morimur: ideoque nascimur moriturí, quia prius morimur nascituri. Propterea graue iugum super omnes filios Adam.* Quam terribilis Deus in consiliis suis super filios hominum!

Tertiò: Manifesta est hæc iustitia in statu naturæ & legis, vt patet ex diluuio totum orbem absumente Genes. 7. Ex subuersione quinque ciuitatum. Genes. 19. quas Deus, vt ait Gregorius, *igne iudicij ad te iudicium præuenit.* Ex internecione totius exercitus Hebræorum de Ægypto egressi num. 14. Ex nece centum octoginta quinque millium Assiriorum, quos vna nocte Angelus demessuit 4. Reg. 19. Ex septuaginta millibus virorum intra sex horas ob superbiam Dauidis contra legem populum numerantis, pestilentia extinctorum. Sed quid opus est referre innumeras clades populi Israëlitici, quas in libris historialibus veteris testamenti passim deprehendes? quid memorem datam & Abyron in contradictione Core, quos, *aperiens terra os suum deuorauit? Num.* 16. Quid Na-

dam & Abiud ob prætermissam ceremoniam occisos; Osan, ob tactam arcam interemptum? Et alia passim obuia, quæ considerans Ierem. c. 4. exclamat. O *mucro domini vsquequo non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare & sile.*

Quartò diuinæ iustitiæ rigor ostensus fuit in monte Caluariæ, vbi Christus ob assumptam peccati vmbram, vel, vt pulchrè dixit quidam, *ob peccatum amoris*, quo voluit esse vas & fideiussor noster tam diris supplicijs addictus est. Quid autem fiet de veris peccatoribus? *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet.* Vt ait veritas Luc. 23. id est si Christo omnium virtutum charismatibus opimo tot tormenta illata sunt, de peccatore omni humore gratiæ destituto, & arefacto quid fiet? Ex quo infer quam miserè fallantur, qui ideo in peccatis perseuerant quia pro eis satisfecit Christus: cum potiùs ex tam rigida Christi satisfactione ad implendum ea quæ desunt passioni eius inuitari necesse sit. Vnde Bernar. ser. 1. in Epiphan. *Sicut benignitas apparuit vltra omnem spem, vltra omnem æstimationem: similem expectare possumus iudicij districtionem. Noli ergo contemnere Dei misericordiam, si non sentire vis iustitiam, sed iram, sed indignationem, sed æmulationem, sed furorem. Vt enim scires quanta districtio succedit, tanta illa mansuetudo præuenit. Ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem vltionis attende. Immensus est enim Deus, & infinitus in iustitia, sicut in misericordia. Multus ad ignoscendum, multus ad vlciscendum.* Si Deus in opere misericordiæ suæ præcipuæ tam seuerus fuit, qualis erit in opere districtæ iustitiæ suæ? Nam vt dixit S. Thomas à Villano. serm. 3. nati.: *Seuerior mihi Domine parcendo,*

quam vlciscendo videris, & me plus hominis pia redemptio terret, quam Angeli dura perditio.

Quintò in tota terra, in qua Princeps mundi huius aliàs à Christo eiectus tyrannidem recuperauit. Nam oriens ferè sub cœlo totus, Affrica ferme vniuersa, & magna Europæ pars vel Turcarum feritate, vel hæreticorum ac Schismaticorum prauitate deuastantur, assimilanturque montibus Gelboë quibus imprecatus est Dauid 2. Reg. 1. *Montes Gelboe nec ros nec pluuia veniant super vos.* Nam certum est illos omnes in æternum perire, quia sicut extra arcam omnes submersi sunt; extra domum Raab omnes habitatores Iericho interfecti, ita extra Ecclesiam nullus saluatur. Quis autem hîc præ altitudine iustorum iudiciorum Dei attonitus non expauescat?

Sextò, in ipsam Ecclesiam catholicam iustiam non mediocrem exercet Deus, quia videmus nauem Petri tot vehementibus fluctibus agitatam nedum ad exercitium, sed & in pœnam peccatorum filiorum Ecclesiæ, in quibus ferme omnibus vix reperitur sanitas, quid enim aliud videmus nisi inimicos crucis Christi quorũ Deus venter est? & de catholicissimis ciuitatibus dici potest quod de Ierusalem scribitur Ier. 5. *Circumite vias Ierusalem, & aspicite & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quarentem fidem, & propitius ero ei.* Certè exceptis paucis quos nisi Deus relinqueret vt semen, quasi Sodoma essemus, vix differt ciuitas catholica à Mahometica, vt ait P. Granatensis, nisi penes sonitum campanarũ, quorum vsum Turcæ reprobant. Ex quo sic formatur ratio: omnium pœnarum à di-

uina iuſtitia inflictarum grauiſſima eſt permiſſio peccatorum quando apponitur iniquitas ſuper iniquitatem, traduntturque homines in reprobum ſenſum: ſicut enim inſanabilis & deſperati morbi argumentum eſt, cum ægrotus ſuo permittitur arbitrio; ita iuſtitiæ diuinæ rigor maximus, eſt conniuere atque indulgere peccantibus: Atqui totus mundus ſicut aquam peccatum bibit: ergo totus mundus etiam catholicus theatrum eſt diuinæ iuſtitiæ.

Denique ſæuit iuſtitia diuina ſub terra in purgatorio ad tempus. Sed præcipuè in inferno *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Nam ibi reperitur diuinæ viſionis priuatio, virtutis ad omne bonum agendum ablatio, omnium corporis animæque potentiarum inordinatio, membrorum omnium per ignem cruciatus, omnis conſolationis denegatio, & (quod horribile dictu eſt) malorum illorum æterna ſine vlla intermiſſione duratio. Ibi miſera anima ad fœlicitatem ſemper anhelat, ſemper fruſtratur, ſemper torquetur ab inconuerſibili, inflexibili, & indeclinabili æquitate Iudicis immutabilis & omnipotentis. Conatur anima exire de loco & centro tormentorum, & quò magis nititur, ampliùs obruitur; quo nihil infœlicius: vt eleganter quidem, ſed terribiliter deſcribit Bernar. l. 5. de conſiderat. c. 12. *Quid iniquis voluntatibus tam contrarium & aduerſum, quam ſemper conari, impingere ſemper, & fruſtra? Va vniuerſo, quod obuium forte offenderit cedere neſcia rectitudo: quid tam pœnale quam ſemper velle quod numquam erit, & ſemper nolle quod numquam non erit? Quid tam damnatum quam voluntas addicta huic neceſſitati volendi no-*

lendique, vt ad vtrumlibet iam non nisi peruersè, ita non nisi miserè moueatur? In æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult in æternum nihilominus sustinebit. Quid hoc facit? rectus Dominus Deus noster. Nihil neruosius dici potest.

Reflexio.

Domine memorabor iustitiæ tuæ solius. Psal. 70. Memorabor iustitiæ commutatiuæ, vt sciam quod nihil mihi debes: memorabor iustitiæ distributiuæ, vt ad bona opera alacrius inflammer: memorabor iustitiæ vindicatiuæ, vt configam timore carnes meas, & à iudiciis tuis timeam. Absit vt eos audiam qui licentiam delinquendi ex misericordia assumentes, iustitiam lacessunt. Absit vt incentiuum amandi fit incentiuum peccandi, vt ait Tertul. l. de pœnit. c. 7. *Absit vt ita aliquis interpretur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum; & ex redundantia clementiæ cœlestis, libidinem faciat humanæ temeritatis.* Et mellite Doctor mellifluus l. de gradibus humili. *Quæ maior iniquitas, quam confisus de multa eius dulcedine, quæ speras eum nolle vindicare cum possit, mala pro bonis, odium pro dilectione retribuas? Certè si talis est qualem putas, tanto nequius agis, si non amas. Et si ille patitur aliquid fieri contra se; potius quam ipse faciat aliquid contra te, quanta malitia est, vt vel tu non parcas illi, qui sibi non parcit, parcendo tibi?* Audiam potius Ecclesiasticum dicentem c. 5. *Ne dicas miseratio domini magna est, multitudinis peccatorum miserebitur; misericordia enim & ira ab illo cito proximant.* O intolerabilem humani generis cæcitatem! Maior

pars mundi perit, & Deus misericors est, nunquid misericordiam perdet, si tu cum illis pereas, cum quibus præsumis? qui Angelis, & proprio filio non pepercit vltionum Deus, in te etiam liberè aget. Non prodest clementia diuina misericordia abutentibus, quæ vindictam differt, vt acerbius vlciscatur. *Neque enim quidquid differtur, auferetur; aut condemnationem euasit, qui indulgentiam non quæsiuit.* ait S. Leo serm. 12. quadrag.

SPECVLATIO III.

In Deo est suauissima & infinita misericordia, aliaque virtutes ei affines.

HAnc veritatẽ tota scriptura insonat Psalm. 118. *Misericordia Domini plena est terra* Psalm. 144. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Et iterum; *Misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur.* Vbi, vt notat Ambros. orat. de obitu Theod. *bis misericordiam posuit, semel iustitiam; in medio iustitia est, gemino septo inclusa misericordia.* Vnde & ab Apost. 2. Cor. 1. vocatur Deus *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* Et quidem, vt ait Bern. serm. 5. nati. *Rectè non Pater iudiciorum vel vltionum dicitur, sed pater misericordiarum, eo quod miserendi causam & originem sumat ex proprio, iudicandi vero, vel vlciscendi magis ex nostro.* Vnde in Scriptura misericordia visceribus comparatur Luc. 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri.* Iustia verò ap-

pellatur pallium, cingulum, indumentum. Isai 56. *Opertus est quasi pallio zeli, erit iustitia cingulum lumborum eius, induet pro thorace iustitiam.* nimirum quia sicut viscera sunt intrinseca naturæ, vnde & intestina vocantur, pallium vero est quid extrinsecum: sic misericordia est diuinæ naturæ intima; iustitia vero est veluti externa, quia non exercetur, nisi occasione ab extrinseco accepta, scilicet à peccatis nostris.

Probatur ratione D. Thom. misericordia potest considerari vel secundum passionis affectum, iuxta quem misericors dicitur, quasi miserum habens cor, & affectum tristitia concepta ex aliena miseria, tamquam ex propria: vel potest attendi secundum effectum, qui est repellere miseriam alterius. Atqui licet in Deo non sit tristis ille & affectiuus miseriæ alienæ sensus, ipsi tamen maximè conuenit repellere miseriam ab aliis, & diffundere omnibus bonitatem, quâ excluditur defectus & miseria eorum. Ergo effectiua misericordia in Deo inuenitur.

Probatur 2. à posteriori discurrendo circa illa in quibus mirè relucet hoc attributum. Primò splendet hæc perfectio in omnibus Dei operibus, quia, vt discurrit S. Thom. a. 4. in quolibet Dei opere misericordia & iustitia locum habet, iuxta illud Psal. 24. *Omnes viæ domini misericordia, & veritas.* Cum enim quidquid Deus agit sit conueniens diuinæ sapientiæ & bonitati, fit inde quod in omni opere apparet iustitia vnicuique tribuens quod natura illius exigit. Sed omne quod Deus dat supponit gratuitam Dei voluntatem. V. C. creauit Deus corporalia ad obsequium corporis humani; corpus humanum ornauit membris, vt anima deseruiret; ani-

mam contulit; vt hominem constitueret; sed hominem esse voluit ex mera abundantia bonitatis suæ: vnde patet misericordiam Dei esse primam radicem operum Dei, & ideò appellatur à Bernardo primordialis causa omnium, *causa causalissima causarum omnium.* Serm. 1. super salu. Regin.

Secundò collucet diuinæ misericordiæ suauitas in iustis & sanctis, quos etiam in hac vita ineffabilibus onerat beneficiis, & pro bonis operibus centuplum reddit. Hos Deus singulari prouidentia regit, *oculi* enim *Domini super iustos* Psal. 33: & qui eos tangit, tangit pupillam oculorum eius, vt dicitur Zach. 2. & omni iusto ait Isai 49. *Nunquid obliuiscitur potest mulier infantem suum, vt non miseratur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Quid tenerius? Quid amabilius? duodecim priuilegia iustis omnibus à misericordia diuina impertita leges apud Granatensem in secunda parte libri primi ducis peccatorum. Idem etiam fusè satis prosequitur D. Bernard. serm. 2. & 3. de septē panibus, cuius succum eliquabo. Prima & omnium maxima misericordia eos liberat à peccatis, in quæ caderent nisi omnipotentis pietas conseruaret, occasionis subtractatione, resistendi data virtute, affectionis sanitate; vnde fateri tenentur quod nisi Dominus adiuuisset ipsos paulo minus cecidisset in omne peccatum anima sua. Nam, vt ait Aug. hom. 23. inter 50. *Nullum est peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo; si desit rector à quo factus est homo.* Secunda misericordia, quia interdum peccantes dissimulat, & ad pœnitentiam expectat, tardans vltionem, prolongans pietatem, indul-

gentiam cogitatis, vt commendet patientiam suam, vt impleat electionem suam, vt confirmet charitatem suam. Tertia est conuersio ad pœnitentiam, qua visitat cor & immutat, vt amara fiant, quæ malè dulcia prius erant; & vt concussum cor suorum aduertat vulnera peccatorum, & vulnerum sentiat dolorem. Quarta est indulgentia, qua pœnitentem misericorditer suscipit, tam liberaliter omnem donans iniuriam, vt iam non damnet vlciscendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando: ita vt in veris pœnitentibus, vbi abundauit delictum, soleat & gratia superabundare. Quinta est perseuerantiæ donum, qua continendi deinceps, & emendatiùs viuendi præstat virtutem, ne propter recidiuum sit nouissimus error peior priore: nam manifestum diuinæ virtutis signum est susceptum semel peccati iugum à ceruice executere, nec iterum subiici inter tot pugnas tum carnis concupiscentis aduersus spiritum, & dormientis in sinu nostro; tum sæculi quod circumcingit & obsidet nos vndique; tum diaboli eo periculosiùs quo inuisibiliùs insidiantis. Sexta, est gratia promerendi bona æternæ vitæ, qua munus sanctæ conuersationis indulget, inspiratque odium præteritorum malorum, contemptum præsentium bonorum, & desiderium futurorum. Septima misericordia, est spes obtinendi, qua donat homini indigno & peccatori de diuina toties experta bonitate spem consequendæ salutis, vt nec penuria meritorum, nec consideratio vilitatis, nec æstimatio & pretium cœlestis beatitudinis ab altitudine spei deiicere possit. His septem misericordiis ita perfunditur sanctorum animus, sic his beneficiis obruitur, vt

onus aliud sentire non possit. *Quam bonus Israël Deus his qui recto sunt corde!* Psal. 72.

Tertiò coruscat misericordia diuina in peccatoribus, quos tanta patientia, & longanimitate suffert, nec subitò vindicat iniurias sibi factas cum tamen posset. Eccl. 5. *Altissimus patiens redditor est.* 2. quia eos inuitat ad pœnitentiam, cum non mereantur nisi vindictam, Ierer. 3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiã.* 3. Velut orat & obsecrat peccatores ad pœnitẽtiam. 2. Cor. 5. *Pro Christo legatione fungimur tamquã Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Vnde egregiè Chrysol. 108. *Mira pietas! qua vt largiatur exorat, rogat Deus, qui non tam dominus vult esse quam Pater.* 4. eorum excessus ignorare videtur, vt eos ad se alliciat. Sap. 11. *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* 5. si eum punire nos peccata nostra compellunt, vindictam cum dolore, & veluti extorquente iustitia exercet. Genes. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecus delebo hominem quem formaui.* 6. reuertentem cum excessu pietatis recipit. Luc. 15. *Cum adhuc longè esset vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Quæ expendit Chrysol. ser. 3. *Mouetur misericordia qui loco non potest dimoueri. Et osculatus est eum, sic pater iudicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula non flagella, delicta non videt vis amoris.* 7. redeuntem in sinceritate cordis onerat donis Luc. 15. *Cito proferte stolam, & induite illum, & date annulum aureum in manu eius, & calceamẽta in pedibus eius.* Vbi Chrysol. *Paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat honorem.* Et Ambros. in c. 1. Luc. *Deus non solum ablata*

restituit, sed insperata concedit. Denique totam cœlestem curiam in conuersione peccatoris exultare facit. Luc. 15. *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Quæ ponderans D. Tho. opus 63. c 7. ait. *Notabile, quod omnes Angelos conuocat ad congratulandum non homini, sed sibi, quasi homo, Dei Deus esset, & tota salus diuina in ipsius inuentione dependeret; & quasi sine ipso beatus esse non posset.* O clementiam omni miraculo maiorem!

Quartò coruscat diuina misericordia in operibus naturæ, gratiæ, gloriæ, & vnionis hypostaticæ. In operibus quidem naturæ: nam omnia nobis prouidit non solum ad vsum & necessitatem, sed etiam ad delicias. Psal. *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate*, & 118. *Misericordia Domini plena est terra.* In operibus gratiæ, quam tam effusè largitur, vt ad eam perenniter profundendam septem sacramenta veluti totidem fontes iugiter manantes instituerit. Eccl. 16. *Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius conuertentibus ad se.* In opere gloriæ, in quo Deus manifestat seipsum omne bonum. Psal. 102. *Qui coronat te in misericordia,* & Psal. 35. *Domine in cœlo misericordia tua.* Denique in opere vnionis hypostaticæ, quo Deus sic dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret vnde Bernar. ser. 1. Natiuit. *Apparuerat ante potentia in creatione, apparebat sapientia in rerum gubernatione, sed benignitas misericordia nunc maximè apparuit in humilitate.* Et ser. 1. Epiph. *Quanti te fecit ex his, quæ pro te factus est, agnosce, vt appareat tibi benignitas eius ex humanitate. Quanto enim minorem se fecit in humanitate, tantò maiorem ex-*

bibuit in bonitate, & quantò pro me vilior, tantò mihi charior est. Quantum verò appareat misericordia diuina in passione Christi & in sacramento Eucharistiæ patebit suis locis: & verè vsurpari potest illud Augustini: *Cum Deus sit omnipotens, plus dare non potuit; cum sit sapientissimus, plus dare nescinit; cum sit ditissimus plus dare non habuit.*

Quintò irradiat diuina misericordia in ipsa inflictione pœnarum, tum quia non punit, nisi vt det locum pœnitentiæ. Vnde Aug. in Psal. 21. *Intellige homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem.* Et ideò vindictam differt, minatur prædicatione, & inspiratione terret. Psalm. 59. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui.* Tum quia punit electos misericorditer, vt in alia vita purgati appareant. Bernar. serm. de verb. Habacuc. *Ipsa indignatio non aliunde quàm de misericordia est, quos enim amat, arguit, & castigat, & flagellat omnem filium quem recipit, visitans in virga iniquitates eius, & in verberibus peccata ipsius, misericordiam autem suam non dispergit ab eo.* Et ideo prudentissime Iob. cap. 6. aiebat: *Hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat.* Vbi Gregor. *Ac si apertius diceret, qui ideo hîc quibusdam parcit, vt eos in perpetuum feriat, ideo hic me feriat, vt non parcendo in perpetuum parcat.* Et ibidem, id est l. 7. moral. c. 17. expendens illud psal. 37. *Ego in flagella paratus sum*, ait: *quia sancti viri corruptionis suæ vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant, vt aperto vulnere virus peccati exeat.* Tritum est illud Augustini. *Hîc*

ure, hic seca, hic numquam parcas, modo in æternum parcas.

Denique claret Diuina misericordia non solum in rebus factis, sed etiam in modo faciendi. Nam 1. effundit se liberaliter, cum nullum expectet commodũ ex largitione donorum suorũ. Imò vt recte obseruat D. Th. 1. cont. Gent. c. 96. solus Deus est perfectè liberalis, nam omne aliud agens ex sua actione aliquod bonum appetit, vel acquirit: Deo autem communicanti sua bona nihil bonitatis accrescit. Et iterum, quia vt ait S. Doctor 2. 2. q. 137. a. 2. Ad liberalem pertinet emissiuum esse, vnde liberalitas alio nomine largitas nominatur, quia quod largum est non est retentiuum, sed emissiuum: Deus autem bona sua non parce, sed effusissimè emittit: Nam, quod magnum est, omnibus beneficia donat; quod maius est, donat indignis; quod maximum est, donat ingratis; quod maximo maius, donat inuitis; quod Diuinum est, post dona sua dat seipsum, dat Filium suum, dat oculum cordis sui, qui est Spiritus sanctus: ire vlterius non potest Diuina misericordia, nisi aliquid quæramus, post omnia. 2. dat magnificè: nam, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 134. ad magnificum pertinet magna producere, & cum ampla animi propensione: hoc autem summe conuenit Deo, vt patet in rerum productione, distinctione, ornatu. Psal. 91. *Quam magnificata sunt opera tua domine!* 3. dat cito, vt patet dum latroni petenti. Luc. 23. *Memento Domine dum veneris in regnum tuum*, respondit, hodie mecum eris in Paradiso. 4. dat sæpe non rogatus, præueniens in benedictionibus dulcedinis, & vt dicitur Sap. 6. *Præoccupat eos qui se concupiscunt, vt illis se prior*

ostendat. 5. dat abundanter, & non improperat. Vnde Philo quærens, cur Deus permittat imbres in mare decidere, respondet id Deum velle, *vt ostendat diuitiarum suarum nimietatem.* Ex his habes quomodo asserendæ sint Deo virtutes misericordiæ affines vt patientia, clementia, liberalitas, magnificentia, vt patet consideranti.

Reflexio.

Notas facite in populis adinuentiones eius, Isa. 12. Quem tam saxeum ad pœnitentiam non emollient Diuinæ misericordiæ adinuentiones, quibus à sæculo & vsque in sæculum vtitur Deus, vt peccatorem demulceat, & promereatur? Quis formidabit accedere cum fiducia ad thronum misericordiæ Dei, qui filiorum conuersionem de corde puro & optimo, suam fælicitatem arbitratur. Certe si vt filij prodigi abscessimus: si substantiam patris totam luxuriosè viuendo dispersimus: si quicquam vsquam commisimus facinoris & delicti: si ad impietatis præruptum totum, totam venimus ad ruinam, surgamus aliquando, & ad talem patrem tantæ misericordiæ stimulis inuitati redeamus: Nam ille idem est qui prodigum reuertentem & pœnitentem, cum vidit, *misericordia motus est, & accurrit, & cecidit super collum eius, & osculatus est illum*, vbi Chrysolog. *Rogo quis hic desperationis locus? quæ hic excusationis occasio? hic simulatio quæ timoris? nisi forte timetur occursus; terret osculum; turbat amplexus? his auditis adhuc moramur? adhuc non redimus ad patrem?* sed caue quæso, lector, ne misericordiâ Diuinâ ad peccandum mouearis, sed potius ad pœnitendum. Misericordiam & iudi-

cium simul canta cum Propheta. *Quia*, ait Bern. ser. 6. in cant. *misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem.* Scio quidem misericordiam superexaltare iudicium, sed ea lege, vt sine dilatione conuertamur, in hoc solum sensu *misericordia* (ait idem Bernar. ser. 1. Epiph.) *Priora sibi vendicat, vt si voluerimus, districtio inuenire non possit in quem sæuiat.* Alias erras, & vehementer erras.

DISSERTATIO X.

De libertate & efficacia Diuinæ voluntatis. Vbi explicatur concordia actus liberi Dei cum necessario, & prædefinitionis cum creata libertate.

ISta quæstio, vbi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Inquit Doctor ille quem nobis in gratiæ doctrina ducem & normam pontifices & Ecclesia tota præstituit l. de grat. Christi c. 47. & l. 4. cont. Iul. c. 8. Certe non solum experimentum sed præsertim amor libertatis, quæ est omnium propensionum maxima, illud omne refugit, quo sibi plenum auferri dominium reformidat. Tam arcta est beatitudinis & libertatis societas, vt non defuerint qui beatitudinem in libera, provt libet, viuendi facultate constituerent. Vnde sicut in omnibus moliminibus suis beatitudinem, ita & libertatem, vel saltem libertatis vmbram creaturæ rationales exquirunt. Hinc sicut à miseria, ita à seruitute abhorret genus humanum. Hinc præscientiam futurorum, quam credebat liber-

tatis inimicam, Tullius inficiatatus est,& *vt homines faceret liberos,fecit sacrilegos.* Hinc Pelagiani & Semipelagiani gratiam Christi vel sustulerunt omnino,vel euacuauerũt. Hinc assertores scientiæ mediæ, Diuinæ voluntatis efficaciam dimidiant & ferè ad nihilum redigunt,summum Dei in voluntates imperium diffitentur, & fictitias discordias inter supremum gratiæ in voluntatem Dominatum, & indivulsam à voluntate dissentiendi gratiæ potentiam comminiscuntur. Hi omnes libertatis amore moti sunt. Sed absit, vt libertatem extra fontem inueniant. Absit,vt perficiat libertatem, quod, vt videtur, destruit pietatem,primæ causæ iurium conuellit æquitatem,veritatem euertit.

Vt autem efficaciùs procedamus,ab altissimis radicibus exordiendum est, nimirum à libertate Diuina. Cum enim Aduersarij nobis opportunè importunè obiiciant se non posse intelligere concordiam decreti prædeterminantis cum libertate creata; respondeant quæso, an intelligant concordiam actus liberi Dei cum necessario? Ab hoc ergo nodo immensùm indissolubiliori initium ducemus, quo sententiæ Thomisticæ ponetur murus,& antemurale.

CAPVT I.

Concordia libertatis Diuinæ cum immutabilitate actus neceſſarij.

LIbertas eſt præcipua voluntatis prærogatiua, in ea fulgens ſicut gemma in auro. Vnde quo pacto in Deo reperiatur explicandum eſt. Illud porrò ſupponendum in Deo non eſſe libertatem per ordinem ad propriam bonitatem, quam neceſſariò amat. Hoc enim exigit Diuinæ voluntatis rectiſſima perfectio, vt vnumquodque obiectum pro meritis diligat: ſummum autem bonum, in quo nulla mali obumbratio, ſed omnis amabilitas refulget, neceſſariâ dilectione dignum eſt: neceſſariâ, inquam, non neceſſitate veluti cæca, irrationali, & multò minus coactâ vel violentâ, ſed voluntariâ & ſpontaneâ, cui intuiua viſio prælucet, & quam non rapit obiectum, niſi quia eſt omnigenis totius bonitatis illecebris veſtitum; ac proinde voluntatis vniuerſalitatem non anguſtans, ſed implens. Quare explicanda reſtat libertas Diuina per ordinem ad creaturas.

SPECVLATIO I.

Voluntas Dei in ordine ad creaturas perfectissima gaudet libertate.

HAnc veritatem passim inculcat Scriptura Exod. 33. *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* ad Ephes. 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Qui autem operatur ex consilio rationis præeuntis, non agit ex necessitate & impetu naturæ. 1. Cor. 12. *Hæc operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult,* id est, vt exponit Ambro l. 2. de fid. c. 2. pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.

Probatur ratione: libertas est summa perfectio consequens naturam intellectualem, quæ triplici gaudet vniuersalitate & amplitudine. Prima est *in essendo*, ratione cuius potest fieri omni per species rerum omnium quas cognoscit: secunda est *in iudicando*, qua examinat, & ponderat rerum perfectionem, & perfectionis mensuram, earumque defectus: Tertia *in appetendo*, qua bona particularia eligere vel respuere potest ad libitum, vtpote non habentia connexionem cum summo bono, vnde oritur indifferentia circa illa. Atqui Deus est perfectissimè intellectualis cognoscens res omnes in essentiâ suâ visâ, ac proinde earum naturam, perfectionem, ac defectus penitissimè comprehendens, & ponderans statera indefectibili infinitæ sapientiæ suæ, quæ iudicat plenitudinem bonitatis propriæ esse prorsus à creaturis independentem. Ergo

Ergo Diuina voluntas liberè, & indifferenter ad creaturas fertur, ac ſubinde non ex neceſſitate vlla, ſed ex ſuperabundantia bonitatis ſuæ.

Illuſtratur hæc veritas præclara doctrina D. Bernar. l. de grat. & lib. arb. c. 3. vbi diſtinguit triplicem libertatem *à neceſſitate, à peccato, & à miſeria. Primò enim* (inquit) *in liberam voluntatem ac voluntariam libertatem conditus eſt homo, nobilis Deo creatura: ſecundò reformatur in Innocentiam noua in Chriſto creatura. Tertiò ſublimatur in gloriam perfecta in ſpiritu creatura.* Prima inuenitur tam in malis quam in bonis, licet ſit in iſtis ordinatior: ſecunda inuenitur in iuſtis, ſed non perfecta, quia ſepties in die cadunt, & in illis regnum gratiæ paulatim dilatat terminos ſuos, & creſcit vſque ad perfectum diem. Tertia inuenitur in ſolis beatis, à miſeriis illis immunibus, quibus ſcatet mundus; in quo non alia fœlicitas inuenitur, niſi quia ſibi grauia leuiaque ſuccedunt mala, *& minorum experientia aliqua videtur miſeriæ interpolatio*, vt ait ibid. Bernar. Atqui in Deo cumulatiſſimè reperitur triplex illa immunitas; à neceſſitate creaturarum, cum ſit ſibi ſufficientiſſimus; à peccato, cum ſit ſanctiſſimus; à miſeria, cum ſit feliciſſimus: igitur ſumma libertate in ordine ad creaturas gaudet.

Obiicies: quidquid Deus agit, id ex neceſſitate naturæ operatur, vt enim ait Dionyſ. *Sicut ſol noſter non ratiocinans, aut præeligens, ſed per ipſum eſſe illuminat omnia participare lumen ipſius valētia: ita & bonum Diuinum per ipſam eſſentiam omnibus exiſtentibus immittit bonitatis ſuæ radios.* Et ratio eſt: quia amor & miſericordia Dei erga creaturas, cum ſint intenſionis infinitæ, habent infinitam inclinationem in creaturas, inclinatio

autem determinat indifferentiam voluntatis, & infinita consequenter propensio omnem indifferentiam, & libertatem extinguit, & absumit.

Respondeo ex doctrina D. Tho. ar. 4. certum esse voluntatem Dei ex necessitate naturæ non operari ad extra : nam cum Deus sit primum agens oportet quod per intellectum agat, vt naturam omnem dirigat in suos fines, opus enim naturæ, opus intelligentiæ : alias Deus vno & eodem semper modo operaretur; imò & totam suam potentiam exhauriret, produceretque quidquid potest : vnde non ex necessitate naturæ, sed secundum consilium voluntatis suæ operatur. Dionysius vero nihil aliud prætendit, nisi quod Deus omnibus indiscriminatim bonitatis suæ Thesauros diffundit, in quo comparatur Soli, sed non in modo agendi ex necessitate. Ad rationem dico inclinationem amoris & misericordiæ Dei ad creaturas esse infinitam, sed regulatam diuina sapientia & prouidentia, & insuper independentem ab omnibus creaturis; vno verbo, Deus infinitè quidem amat creaturas, dum amat eas, sed ad eas amandas minime tenetur.

Dices : Deus non amat creaturas nisi ratione suæ bonitatis quæ sola adæquatè, & necessariò mouet diuinam voluntatem : sed fieri non potest, vt ratio amandi creaturas sit necessaria, & tamen voluntas libere amet creaturas : ergo Deus sicut necessariò amat suam bonitatem, ita & creaturas. Probatur minor : Ita se habet finis, qui est ratio amandi alia, in appetibilibus, sicut primum principium in demonstrabilibus : sed in demonstrabilibus quando principia sunt necessaria, sequitur conclusio necessaria : Ergo

in operabilibus quando finis, seu ratio amandi alia est necessariò amata, necessariò quoque amantur ea quæ sunt ad finem.

Respondeo, quod etiam in scientiis licet principium sit necessarium, non tamen sequitur conclusio necessaria, nisi sit etiam necessaria habitudo principij ad huiusmodi conclusionem, defectu cuius habitudinis principiis veris existentibus negatur consequentia: similiter ex fine necessariò amato voluntas non procedit necessariò ad media, nisi cum illis esset connexus finis: Bonitas autem diuina est penitus absoluta ab omnibus creaturis, vnde licet considerata in se & secundum propria merita necessariò diligatur, tamen vt est ratio diligendi creaturas, liberum Dei amorem terminat. Nam ea quæ sunt ad finem non amantur necessariò etiã fine præuolito, nisi sint talis naturæ & conditionis, vt fine illis finis haberi, vel habitus nequeat conseruari: sed Deus non vult creaturas nisi secundum quod ordinantur ad diuinam bonitatem, vt finem; & creaturæ tales sunt, vt sine illis Deus beatus ab æterno fuerit. Ergo ratio in argumento proposita inuicte probat Deum amare libere creaturas.

Instabis: Deus non potest elicere plures actus distinctos, cum sic simplicissimus; nec potest ferri ad opposita, scilicet ad bonum vel malum, cum sit sanctissimus: Ergo non habet dominium in actus suos, nec subinde perfectam libertatem.

Respondeo ad perfectam puri actus libertatem non requiri indifferentiam ad plures actus, hoc enim potentialitatem & vicissitudinem importat, sed sufficit indifferentia ad diuersa ob-

iecta, quæ in Deo summè inuenitur, quippe qui ad nullum obiectum creatum dicit habitudinem necessariam. Sed de hoc speculatione sequenti. Multò minus exigitur ad diuinam libertatem quod possit velle malum, cum enim diuina voluntas sit ipsa rectitudo per essentiam, necessarium omnino est, vel quod non operetur, vel quod eliciat operationem honestissimam, & sanctissimam, Certe si teste Ioanne cap. 3. suæ primæ: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen Dei manet in eo; sed nec peccare potest, quoniam est ex Deo natus.* Dum nimirum secundum gratiam & charitatem operatur, vt exponit August. quantò potius Deus, qui est ipsa charitas, ipsa iustitia, ipsa sanctitas per essentiam ad bene, honestéque agendum necessitabitur? Id etiam ex dictis potest euidenter demonstrari, etenim Deus nihil vult nisi ratione suæ bonitatis, quæ est Deo ratio volendi omnia: diuina autem bonitas non potest esse ratio volendi ea quæ inhonesta sunt, vt de se patet, aliàs bonum & summum bonum inclinaret ad malum, quod magis repugnat quam quod corpus lucidum ad tenebras procliue sit. Vnde diuina voluntas ad mala ferri non potest, nisi ea detestando & abominando.

Hæc autem felix & sancta necessitas impeccabilitatis non tollit sed adornat libertatem, cuius profundam rationem tradit S. Doctor infrà quæst. 62. artic. 8. ad 3. his notandissimis verbis: *Liberum arbitrium sic se habet ad eligendum ea quæ sunt ad finem, sicut se habet intellectus ad conclusiones. Manifestum est autem quod ad virtutem intellectus pertinet vt in diuersas conclusiones procedere possit*

secundum principia data : sed quod in aliquam conclusionē procedat prætermittendo ordinem principiorum, hoc est ex defectu ipsius : vnde quod liberum arbitrium diuersa eligere possit seruato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis eius; sed quod eligat aliquid diuertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Vnde maior libertas arbitrij est in Angelis qui peccare non possunt, quam in nobis qui peccare possumus. Igitur quod Deus sit incapax peccati, non solū non obest libertati eius, sed etiam facit quod puriori libertate polleat, quatenus potest quodcumque velle vel nolle, sed seruato ordine finis, id est, obseruatis regulis honestatis & sanctitatis.

Insistes : si Deus non liberè sed necessariò odio haberet peccatum, nullum daretur de facto peccatum; nam voluntati Dei quis resistere potest ? Præsertim quia Deus amat necessario bonitatem suam, quam peccatum quantum est de se destruit; eadem autem necessitate qua quis amat aliquid, odit etiam malum eidem oppositum, & illud, si potest, expellit.

Respondeo, ex eo quod Deus necessario odio prosequatur peccatum sequi solùm ipsum non posse peccare, sed non, quod non possit illud in nobis permittere, præsertim si ex tali permissione diuinæ iustitiæ, misericordiæ, subindéque bonitatis splendor magis effulgeat. Ex amore autem suæ bonitatis solùm sequitur odium efficax eorum quæ effectiuè illam destruerent, sicut eam destrueret actio inhonesta à Deo elicita : non vero odium eorum quæ solum effectiuè eam destruere moliuntur, & non possunt, quales sunt peccantium insultus, qui non Deo reuera sed sibi ipsis tantùm nocent.

Reflexio.

Ideo hominem ad imaginem Dei conditum fuisse quamplures Patres arbitrantur, quòd libero polleat voluntatis arbitrio. Sed hanc animæ humanæ præstantissimam dignitatem diuinæque imaginis formam abolere & obliterare peccatores conuincuntur. Nam insculptam libertatem adimit qui peccati mancipium est, dicente Scriptura, *qui facit peccatum, seruus est peccati.* Deus cum sit liberrimus quodcumque, solo excepto peccato, potest, quia nihil nisi quod decet facere valet, & vt ait Aug. l. 1. contra Gaudent. c. 30. *Quod non potest iustè, non potest iustus.* Et tamen homo ferè omnis ideo amat libertatem, vt peccet. Vt ergo solidè Dei libertatem imitemur, sicut audiuimus Dominum dicentem Genes. 19. *Non potero facere rem, donec tu illuc introeas, quod,* vt ait citatus August. *sine dubio poterat per potentiam, sed non poterat per iustitiam,* Ita peccato allicienti idem quod Ioseph mulieri tentanti respondeamus, *quomodo possum hoc facere?* Vt dicitur Genes. 39. Certò scias te nusquam futurum minus potentem, magisque inualidum, quam cum effrænis tibi peccandi facultas indulgebitur: nam vt præclare August. l. 14. de Trin. c. 5. *Malâ voluntate vel solâ quisque miser efficitur; sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur.*

SPECVLATIO II.

Actus liber Dei nihil addit intrinſecum diſtinctum à neceſſario; ſed eſt ipſemet actus neceſſarius, vt connotans & dicens habitudinem non neceſſariam ad creaturas.

IN hac ſpeculatione proponitur difficultas difficultatum, & totius Theologiæ nodus intricatiſſimus. Difficile enim intellectu eſt, quomodo indifferentia actus liberi cum immutabilitate actus neceſſarij conciliari poſſit; nam actus liber vel potuit abeſſe à Deo, & ſic perit immutabilitas Diuina; vel non potuit abeſſe, & ſic interimitur libertas. En compendiosè totum difficultatis momentum, in quo tam alta profunditas eſt, tantiſque ſcopulis referta, vt nullus fere in eam incurrat, quin impactus allidatur. Et ideo ibi naufragium paſſi ſunt Vvicleſus, Abailardus, Caluinus, & Bucerus, qui vt refert Bellarm. l. 3. de grat. & lib. arb. c. 15. Diuinam libertatem ſuſtulerunt; vel eſſe accidens, quod poſſit adeſſe vel abeſſe, poſuerunt, vt quidam Vorſtius Caluiniſta relatus à Becano huius ſane inſuperabilis difficultatis vortice rapidiſſima abſorptus. Inter hos extremos errores veritas Catholica luce Angelica S. Thomæ pro viribus explicanda eſt, vnde.

Probatur aſſertio ratione, quam tradit Diu.

Tho. hic q. 19. a. 3. *Cum bonitas Dei sit perfecta, sequitur quod alia à se eum velle non sit necessarium*, & ad 5. *Voluntas Diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Vbi suspice miram S. Thomæ pancis his in verbis profunditatem. Nam tantum abest quod credat S. Doctor Diuini amoris immutabilitatem & necessitatem officere ipsius libertati in ordine ad creaturas, quin potius ex eo quod Deus sit ens immutabile & necessarium, mirè & verè infert Deum velle creaturas libere, quia eo ipso quod est ens necessarium sibi sufficientissimum, fit inde quod habeat habitudinem non necessariam, sed liberam ad contingentia.

Vnde sic formatur ratio: quantò diuina voluntas est magis independens à creaturis, tantò perfectiùs habet dominium super illas, & libertatem & indifferentiam circa illas, quod enim non dependet ab aliquo illi minimè alligatur: Atqui per hoc ipsum quod actus diuinæ voluntatis sit ens à se & necessarium habet summam independentiam à creaturis contingentibus: Ergo actus diuinæ voluntatis qui est necessarius circa diuinam bonitatem, est liberrimus circa creaturas, ac proinde actus liber nihil reale intrinsecum addit necessario, sed solum connotationem aliquam ad creaturas; quatenus actus Dei licet non possit adesse & abesse vtpote diuinus, potest tamen ratione dominij quod habet supra obiectum facere vt adsit vel absit obiectum. Quare actus liber nihil Deo adiicit, sed creaturam diuinæ subiicit potestati, & infert productionem creaturæ suo tempore ponendæ, & sic est volitio; vel non infert, sed voluntariè

*eli*nquit in nihilo,& sic est nolitio,non per mutationem Dei , sed per futuram mutationem creaturæ producendæ. Vnde erudite idem Magister Angelicus 1. cont. gent. c.82. *Voluntas Dei vno & eodem actu vult se & alia à se , sed habitudo eius ad se est necessaria & naturalis : habitudo autem eius ad alia est secundum conuenientiam quamdam non quidem necessaria & naturalis, neque violenta,aut innaturalis, sed voluntaria.*

Elucidatur magis & complanatur scabrosa hæc difficultas : Non inconuenit, imo Diuinam infinitæ perfectionis eminentiam sapit & decet , vt vnus & idem actus rationem necessitatis & libertatis, per ordinem ad diuersa eminentissimè contineat, primam habet per ordinem ad bonitatem suam , secundam per ordinem ad creaturas. Et certè si beneficio distinctionis virtualis eadem simplicissima entitas vnit rationem communicabilis & incommunicabilis (essentia enim Patris communicatur , non paternitas) quia ens infinitum eminenter æquialet vtrique rationi, quidni eadem distinctio virtualis sufficiet , vt eadem entitas rationem necessitatis & libertatis per ordinem ad diuersa præcontineat, non per diuersam realitatem , sed per ejusdem distincta munia & officia ? Hanc Diuinæ voluntatis eminentiam conceptis verbis Diuinè tradit S. Thom. 1. cont.gent. c.82. hi obseruandissimis verbis : *Esse ad virumlibet potest dupliciter conuenire alicui virtuti vno modo ex parte sui, alio modo ex parte eius ad quod dicitur ; ex parte quidem sui, quando nondum est consecuta suam perfectionem per quam ad vnum determinetur : vnde hoc in imperfectionem virtutis redundat , & ostenditur esse*

potentialitas in ipsa. Ex parte autem eius ad quod dicitur inuenitur aliqua virtus ad vtrumlibet esse, quando perfecta operatio virtutis à neutro dependet, sed tamen vtrumque esse potest: sicut aliquis qui diuersis instrumentis vti potest æqualiter ad idem opus perficiendum: hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, sed magis ad eius eminentiam, inquantum vtrumlibet oppositorum excedit. Sic autem est in Diuina voluntate respectu aliorum à se.

Confirmatur & explicatur amplius: Eminentia & infinitas Diuinæ perfectionis exigit, vt eadem actualitas etiam virtualiter ex parte rei conceptæ indistincta feratur non solum ad obiectum primarium, sed etiam extendatur ad obiecta secundaria, & materialia quæ sunt creaturæ; tum quia potentiæ vel quasi potentiæ ab obiectis solis primariis sicut speciem desumunt, ita & distinctionem. Tum quia, si requireretur aliqua virtus ad respicienda immediatè obiecta secundaria, iam hæc essent primaria respectu talis virtutis, quippe per se & in solidum à tali virtute respecta. Tum quia sequeretur aliquam Dei virtutem specificari & perfici à creaturis. Atqui obiectum primarium & adæquatum Diuinæ volitionis est Dei bonitas, creaturæ vero sunt tantum obiectum secundarium illius. Ergo idem actus Diuinæ voluntatis qui fertur necessariò ad bonitatem increatam, extenditur etiam inuariatus manens ad creaturas libere diligendas. Præsertim quia Deus non amat creaturas nisi quatenus ordinantur ad Diuinam bonitatem, quæ à creaturis est omnino independens, quippe quæ indifferenter amantur, cum sine illis Diuina bonitas subsistere possit.

Confirmatur demum, & aperitur fundum difficultatis: eo ipso quòd actus necessarius indifferenter respicit creaturas per modum volitionis vel nolitionis, videtur quod indiget aliquo superaddito distincto, vt creaturas velit potiùs quàm nolit, aliàs semper voluntas manebit in indifferentia. Verum hæc difficultas procedit ex inconsideratione eminentiæ Diuinæ, & quia res Diuinas ad instar creatarum imaginamur, & dimetimur. Accedamus ergo ad cor altum, & consideremus quod in Deo non datur libertas nisi per modum actus secundi, infiniti, & omnino completissimi; ac proinde vt feratur ad obiectuum suum nequaquam indiget aliquo superaddito ex parte actus se tenente, sed solum quod ex efficacia & Dominio actus Diuini obiectum immutetur, vel in nihilo relinquatur. Quia hæc est summè obseruanda inter voluntatem creatam & increatam differentia, quod creata specificatur & perficitur ab obiecto volito creato, vnde nequit ad illud ferri, nisi prorumpat in actum quo in actu secundo de nouo perficiatur: At vero volitio increata speciem vel perfectionem nullam accipit à rebus creatis, vnde non indiget noua realitate, vel noua superaddita habitudine ad ipsas, sed eadem entitas potest esse volitio vel nolitio per solam obiecti variationem.

Quod totum potest suaderi ratione & illustrari exemplis: ratione quidem, quia quotiescumque ad denominationem intrinsecam requiritur non solum forma intrinseca, sed etiam extrinsecum aliquod connotatum, tunc forma illa præbet denominationem, per solam positionem connotati sine acquisitione vel deperditione ali-

cuius intrinseci. Sicut primò ratio Domini & Creatoris, ipsa etiam actualis creaturarum productio nihil superaddunt Diuinæ omnipotentiæ, sed solam mutationem creaturæ, quæ Diuinæ actioni subijcitur, vt ampliùs dicetur dum de omnipotentia, quæ ibi videbis. Sicut secundò in sententia plurium non ignobilium Theologorum species intellectus Angelici non repræsentant existentiam rerum futurarum defectu solius positionis rei, quâ positâ, absque adiectione vlla species rem illam repræsentat. Sicut tertiò Materia prima appetitu innato desiderat formam qua caret, forma tamen adueniente, desinit talis materiæ appetitionis denominatio, per hoc quod cessat carentia formæ, quam exigebat pro connotato. Sicut quartò relatio paternitatis præexistens adueniente filio posteriore tribuit Genitori denominationem patris noui filij absque vlla mutatione sui per solam connotati positionem. Sicut quintò in sententia eorum qui negant physicam præmotionem, vel præoperationem Dei ad actus liberos voluntatis creatæ, voluntas denominatur effectiuè volens non per actionem (à qua denominatur quidem formaliter seu in genere causæ formalis volens, sed non effectiuè, cum actio ipsa à principio effectiuo vt tali procedat) sed per propriam entitatem connotantem actionem liberam in genere causæ efficientis à voluntate prodeuntem positis omnibus requisitis, quod vero procedat amor potius quam odium, dicunt nullam huius debere quæri rationem, nisi quia hæc est natura intrinsecæ indifferentiæ voluntatis. At quam potiori iure id Diuinæ voluntati asseri debet? quippè quæ est infinita, actus purus actualissimus, &

completissimus : vnde cur potius sit volitio quam nolitio ; amor, quam odium, vel cur potius velit hoc obiectum quam aliud , non est alia ratio assignanda nisi completa, pura,& infinita actualitas , qua Diuina volitio prædita est. Vnde aliquam vlteriorem rationem quærere non solum est inconsideratio Diuinæ actualitatis & puritatis, sed etiam inanis defatigatio. Appositè Augustl.1. de Genes. contra Manich. *Qui dicit , quare Deus fecit Cœlum & terram ? Respondendum est ei, quia voluit : qui autem quærit, quare voluit facere cœlum & terram, maius aliud quærit quam est voluntas Dei ; nihil autem maius inueniri potest. Compescat ergo se humana temeritas ; & id quod non est, non quærat.*

Reflexio.

Sicut actus liber explicatur per independentiam voluntatis Diuinæ ab omnibus creaturis, ita nusquam libertate filiorum Dei perfrueris , quandiu vel minimæ creaturæ alligatus , ad ea quæ sursum sunt , conuolare nequibus. Non est quidem vitium amor libertatis , sed quo pacto liber censendus est ; qui libidinum mancipium , creaturarum seruus efficitur? Vere liberi nomine dignus est , qui omnia rationi, rationem subijcit Deo, *cui seruire regnare est.* Alibi quærens falsam libertatem , veram inuenies seruitutem. Eodem proportionaliter modo fertur appetitus noster in libertatem ac beatitudinem : Obseruat autem D.T. in 4. d.49. q. 1. art. 3. q. 3. quod quando aliquis appetit beatitudinem actualiter, coniungitur ibi appetitus naturalis, & appetitus rationalis : ex parte appetitus naturalis semper est

ibi rectitudo, sed ex parte appetitus rationalis desinit esse rectitudo, quando ibi quæritur beatitudo vbi non est: quare sicut homines falsa beatitudinis imagine & larua decipiuntur (vnde tot de ea opiniones inter Philosophos subortæ sunt:) Ita in libertatis appetitione sæpè sæpius vmbratilem, & sputiam homines insectantur, cum germana in virtutis Christianæ studio sita sit, dicente Veritate Ioan.8. *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Hanc nobilem libertatem Angelicus præceptor quotidie à Deo postulabat in sua illa satis nota oratione, quæ incipit, *Concede mihi.* vbi inter alia sic orat. *Da mihi dulcissimè Deus cor peruigil, quod nulla abducat à te curiosa cogitatio: Da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: Da inuictum, quod nulla fatiget tribulatio: Da liberum, quod nulla sibi vendicet violenta commotio: da rectum,* &c. hæc perfecta libertas à vera in Deum subiectione deriuatur. *Nihil enim tam regium* (ait Leo Magnus serm. 3. de sua Assump.) *Quam subditum Deo animum sui corporis esse rectorem.* Hinc prodigus in se reuersus volebat fieri sicut vnus de mercenariis patris. *Hoc petit* (inquit Chrysol. serm. 2.) *Quia qui penes extraneum seruam sensérat libertatem, penes patrem credit sibi futuram liberam seruitutem.*

SPECVLATIO III.

Ex prædictis quædam consectaria, nec non solutio obiectorum deriuantur.

VT magis suadetur quam vera sit D. Thomæ de actu libero Dei explicata sententia, paucis corollariis confutare aliorum nonnulla placita, & quasdam obiectiones enodare operæpretium est.

Sequitur ergo primò actum Dei liberum non superaddere necessario aliquid defectibile secundum rationem intrinsecam liberam separabilem, seu, vt nonnulli loquuntur secundum realitatem modalem, seu, vt Quidam nouissimè adinuenit, secundum terminationem intrinsecam defectibilem etiam sub ratione intrinsecæ terminationis. Nam omnis illi modi explicãdi, quocumque fuco & colore palliati, rationem actus puri, entis necessarij, & omnino immutabilis à Deo tollunt, atque ab imis fundamentis subruunt & labefactant. Nam si in Deo aliquid intrinsecum sit defectibile, quomodo erit Deus actus simplicissimus, cui nihil potest auferri? quomodo ens necessarium erit, quod non potest adesse & abesse? quomodo ens immutabile, quod nec ipsam vicissitudinis obumbrationem patitur? vnde redeunt omnia argumenta supra facta contra admittentes distinctionem realem inter attributa Diuina.

Confirmatur: illa realitas modalis quorum-

dam, vel illa intrinseca terminatio defectibilis sub ratione intrinsecæ recenter excogitata, vel est aliqua entitas Diuina, vel nihil; si nihil, ergo non est intrinseca Deo, nec potest constituere actum liberum Dei, qui est aliquid reale: si est aliqua entitas, ergo aliqua entitas Diuina erit defectibilis, subindeque non erit ens à se, nec actus purus, necessarius, & immutabilis per essentiam. Sicut quia relatio est aliqua entitas realis in Deo, non posset relatio deperire, nisi simul aliqua entitas Diuina corrueret, & Diuina simplicitas enecaretur. Nam, vt ait Bernard. l. 5. de consid. *Tam non est simplex quod vel vni fuerit obnoxium formæ, quam nec virgo vel vni cognita viro.*

Confirmatur iterum: implicat in adiecto, seu in terminis contradictionem inuoluit dicere aliquid esse intrinsecum Deo, & esse defectibile quoad rationem vllam intrinsecam. Ergo non potest constitui actus liber Dei per terminationem intrinsecam defectibilem. Probatur antec. hoc ipso quod aliquid est Deo intrinsecum est ens Diuinum, imò est ipse Deus, qui quiquid habet hoc est, vt Patres omnes conclamant, ergo est intrinsecè indefectibile sicut Deus: & rursus, hoc ipso quod aliquid est ens defectibile, est ens contingens, potentiale, & ab alio. Ergo dicere dari in Deo aliquid intrinsecum & simul defectibile est pugnantia loqui.

Quocirca vehementer miror nouellum istum modum loquendi & explicandi actum Dei liberum tantopere placuisse cuidam Thomistæ Moderno, cum recens ille sentiendi modus non solum sit in schola Thomistica peregrinus & hactenus inauditus, sed & à Doctrinâ commu-

nis noſtri Præceptoris alieniſſimus, conſtanter enim docet actum liberum nihil ſuperaddere neceſſario: ſed admiſſo moderno illo ioquendi modo ſequeretur planè actum liberum diſtingui à neceſſario non ſolum virtualiter, quod non eſſet inconueniens, ſed etiam realiter, quod repugnat: Ergo hæc expoſitio longè eſt à D. Thoma. Probatur minor ſi actus liber addit terminationem intrinſecam defectibilem, addit vtique ſeparabilem, nam defectibile, & ſeparabile ſunt ſynonima, ſeparabilitas autem eſt euidentiſſimum diſtinctionis realis argumentum.

Nec ſatisfacit, ſi cum præfato Authore dicas intrinſecam illam terminationem eſſe defectibilem non ſub ratione perfectionis, ſed ſub præciſa ratione terminationis intrinſecæ, quod non videtur inconueniens, & poteſt explicari exemplo ſubſiſtentiæ Diuini Verbi intrinſecè terminantis humanitatem, quam ſi non terminaret, ceſſaret etiam & abeſſet intrinſeca terminatio Verbi, intemerata immutabilitate eiuſdē Verbi.

Non inquam, ſatisfacit, ſed prorſus diſplicet: quia eo gratis admiſſo quod intrinſeca illa terminatio non explicet aliquam perfectionem (quod tamen non eſt concedendum, cum exercitium Diuinæ libertatis, ſeu libertas eius actualis puriſſimam exprimat perfectionem ſpecul. præced. declaratam, quæ nihil aliud eſt quàm eminentia volitionis Dei) hoc, inquam, permiſſo, ſicut multi de relationibus Diuinis opinantur, ſi tamen illa ratio intrinſeca ſit defectibilis, profecto aliquid Diuinum erit defectibile & contingens: ſicut tametſi ſecundùm aduerſarium non dicat formaliter perfectionem, ſi tamen eſſet defectibilis, non eſſet Deo intrinſeca, vel ſi

intrinseca esset, foret accidens, non actus purus, necessarius, & immutabilis. Ergo similiter si terminatio illa sit defectibilis secundum rationem aliquam intrinsecam; vel in Deo non est, vel si sit, admittitur in Deo aliquid, quod non est Deus.

Nec exemplum subsistentiæ Diuini Verbi iuuat, sed potius obest. Nam certum quidem est Verbum Diuinum terminare intrinsecè humanitatem, sed nemo dixit hactenus, Verbum terminare per aliquid intrinsecum defectibile, sed per suammet entitatem omnimodè indefectibilem, quæ eadem intrinsece inuariata permaneret, si dissolueretur vnio hypostatica, & tota muratio vel defectio se teneret ex parte humanitatis. Ita similiter Deus vult quidem creaturas per aliquid intrinsecum, scilicet per ipsammet entitatem actus necessarij, sed non per aliquid intrinsecum defectibile, sed omnino immutabile, habens tamen habitudinem non necessariam ad creaturas, Deus enim immotus mouet omnia. Procul ergo à Deo, procul ab omni vera Theologia non solum intrinseca quæuis defectibilitas, sed ipsa defectibilitatis obumbratio procul exulet. *Scribatur* (inquiebat D. Bern. in Concilio Rhemensi) *stylo ferreo in vngue adamantino, vel sculpatur in silice: quod Diuina essentia forma, natura, Deitas, bonitas, sapientia, virtus, potentia, magnitudo* (& similiter libertas) *verè est Deus.*

Obiicies: ad saluandum libertatem in Deo requiritur quod aliquid intrinsecum potuerit deficere. Ergo decretum liberum addit supra actum necessarium aliquid defectibile, saltem sub ratione intrinsecæ terminationis. Probatur antec. id debuit potuisse deficere quod Deum

constituit libere volentem, si enim liberum decretum potuit non esse, etiam potuit non esse id quo constituitur: Atqui Deum libere volentem non constituit nisi aliquid intrinsecum: ergo aliquid intrinsecum potuit deficere.

Respondeo hoc etiam argumento, vt consideranti patebit, paræque probari actum liberum Dei distingui absolutè & realiter à necessario, vt solet tribui vel potius imponi Caietano, à qua tamen calumnia eum optimè vindicat Nazarius. Dicendum ergo quod sicut ad hoc vt Deus desineret esse Dominus non opus esset vt aliquid sibi intrinsecum desineret, quamtumcumque sit realiter & intrinsecè dominus creaturarum, sed sufficeret quod desinerent creaturæ supra quas exercet dominium. Similiter, vt verum sit liberum Dei decretum potuisse non esse in Deo, non exigitur vt aliquid intrinsecum Diuinæ voluntati potuerit deesse; sed sat est, quod potuerit non esse eiusdem inuariabilis & indefectibilis entitatis munus & officium immutandi creaturas. Claritatis causa in forma nego antec. ad probationem distinguo maiorem: id quod constituit Deum liberè volentem debuit potuisse deficere quoad aliquid intrinsecum Deo, nego; quoad officium & munus immutandi creaturas, concedo.

Sed statim vrgebis: illud officium & munus immutandi creaturas vel aliquid superaddit actui necessario, vel nihil; si aliquid, ergo cum illud munus potuerit deesse, aliquid Dei potuit deperire; si nihil, ergo nihilum constituet Deum libere volentem.

Respondeo munus illud & officium immutandi creaturas esse ipsummet actum necessa-

rium, non quidem sub ea ratione qua respicit Diuinam bonitatem, sed sub ea qua sibi subiicit creaturas cum indifferentia tantò maiori quantò ens necessarium est omnino independens à rebus contingentibus. Vnde non est necesse quod munus illud aliquid actui necessario superaddat, cum ad hoc actus necessarius sit sufficientissimus.

Insistes; esto actus necessarius sit ad hoc sufficiens, tamen ille actus necessarius de se tam est nolitio quam volitio. Ergo vt sit volitio potius quam nolitio, debet sibi aliquid intrinsecum superaddi quod abfuisset, si adfuisset nolitio.

Respondeo, quod si Deus qui voluit noluisset obiectum, non periisset aliquid Deo intrinsecum, sed id quod in Deo intrinsecum est non immutasset aliquid extra se. Quod vero immutarit potius quam non immutarit, aliunde ratio peti non debet, nisi quia hæc est natura libertatis & indifferentiæ voluntatis, præsertim Diuinæ; quæ cum sit actus purus non est libertas ad actus, sed ad obiecta. Vt igitur Deus volens fuisset nolens non opus fuisset quod alium actum habuisset, sed quod ex vi dominij Dei obiectum esset aliud, quod quinque exemplis in fine præcedentis speculationis explicuimus, & possunt addi duo scilicet visionis beatæ, in qua essentia Diuina intrinsecè terminat intellectum, & vnionis hypostaticæ in qua filius terminat intrinsecè humanitatem non mutatus sed mutans. Quod si hoc videatur mirabile, ita sanè est, sed Diuinum non esset, si non esset mirabile, & singulare.

Obsistes adhuc: si Deus qui est volens potuisset esse nolens immutatus manens, per solam obiecti mutationem, sequeretur quod etiam

postquam aliquid decreuit posset illud nolendo retractare sine vlla sui mutatione, sed mutatione solius obiecti, siquidem volitio & nolitio non differunt ex parte Dei, sed penes solam obiecti variationem. Atqui Deus de volente non potest fieri nolens in tempore sine præiudicio suæ immutabilitatis. Ergo de volente Deus non potuisset esse nolens sine aliqua sui mutatione.

Respondeo certum esse Deum semel statutam suam voluntatem non posse retractare, vel recedere à priori decreto sine inconstantia & mutatione Deo repugnante, cuius rationem assignat D. Thom. art. 5. q. 19. dicens: *Considerandum est quod aliud est mutare voluntatem, & aliud velle rerum mutationem, potest enim aliquis eadem voluntate immobiliter permanente velle quod nunc fiat hoc, & postea fiat contrarium; sed tunc voluntas mutatur, si aliquid inciperet velle quod prius non voluit, vel desineret velle quod voluit; quod quidem accidere non potest nisi præsupposita mutatione vel ex parte cognitionis, vel circa dispositionem substantiæ ipsius volentis: cum enim voluntas sit boni, aliquis de nouo dupliciter potest incipere aliquid velle; vno modo sic quod incipiat sibi illud esse bonum, quod non est absque mutatione eius, sicut accedente frigore incipit esse bonum sedere ad ignem, quod prius non erat; alio modo sic, quod de nouo cognoscat illud esse sibi bonum, cum prius hoc ignorasset: ad hoc enim consiliamur vt sciamus quid nobis sit bonum: ostẽsum est autem supra quod tam substantia Dei, quam eius scientia est omnino immutabilis, vnde oportet voluntatem eius esse omnino immutabilem*: ex quibus rationem à priori habes cur Deus mutaretur si de volente fieret

nolens, licet volitio, vel nolitio nihil addant super actum necessarium.

Sequitur secundò liberum Dei decretum non constitui per respectum rationis ad creaturas vt voluit Vasques, vel per aliquam carentiam vltimitatis, vt sustinent alij, quibus applaudunt Salmanticenses. Quia decretum Dei est aliquid reale ab æterno existens positiuè in Deo, cum sit exercitium actuale diuinæ voluntatis: Ergo non est aliquid fictum & ens rationis, vel aliqua carentia. Quod si dicas fundamentum talis respectus rationis vel carentiæ, quam concipimus in Deo, constituere decretum Dei, nihil dicis; restat enim explicandum quodnam sit illud fundamentum an extrinsecum quid, vel intrinsecum; an creatum, vel increatum; an defectibile, vel indefectibile. Carentia verò vltimitatis seu vlterioris determinationis, præterquam quod est perobscura, supra illam negationem quam dicit habet aliquid positiuum, quatenus vltimo contrahit omnia attributa Diuina (vt præfati Authores exponunt modo quidem subtili sed valde metaphysico,) de illo ergo positiuo semper restat dubium, an sit quid intrinsecum vel extrinsecum, defectibile vel indefectibile, & cur potiùs sit volitio, quàm nolitio; vnde non saluatur id quod maximè impresentiarum desideratur.

Sequitur tertiò dici non posse decretum Dei liberum consistere solum in denominatione extrinseca petita ex productione temporali rerum, vel ex rebus ipsis productis, vt tribui solet Aureolo: quia productio creaturarum, & creaturæ productæ à Dei voluntate libera procedunt; ergo eam supponunt constituram. Præ-

sertim cum libera voluntas producendi sit æterna, productio vero creaturarum Temporalis. Et certè cum Scriptura dicit *omnia quæcumque voluit Deus fecit. Saluum me fecit quoniam voluit me*, si voluntas libera idem esset ac productio, sensus esset: omnia quæcumque fecit Dominus, fecit; saluum me fecit, quoniam saluum me fecit, qui circulus est planè vitiosus & nugatorius.

Dices: in nostra sententia ideo Deus libere vult quia connotat & immutat creaturas; ideo vero connotat & immutat, quia vult, immutatio enim creaturarum supponit Dei voluntatem: ergo rotamur eodem circulo quem reiicimus.

Respondeo circulum illum vitari in sententia D. Thomæ: nam ideo Deus produxit creaturas quia liberè voluit; ideo vero liberè voluit, quia voluntas Diuina est absoluta & independens à creaturis; ideo vero stante illa independentia potiùs voluit quàm noluit, quia determinauit illas non relinquere in statu meræ possibilitatis, sed affundere illis bonitatis suæ radios; ideo vero ad hoc se determinauit, cum ad vtrumque esset indifferens, quia sic iudicauit infinita ipsius sapientia. Per quid autem determinauerit intrinsecam indifferentiam, dictum est supra non aliam esse rationem, nisi quia hæc est natura primi motoris & primi determinantis seipsum per seipsum determinare, & immotum alia mouere.

Reflexio.

Sicut frustra libertatis Diuinæ cum propria immutabilitate concordiam extra Diuinæ independentiæ eminentiam, quæsierunt nonnulli

Theologi : Ita falso tibi illi adulantur, qui larua benignitatis, & fuco honestatis, voluntatem Dei præceptis diuinis explicatam exponunt prout volunt. Tunc etenim formidandum est illud Isa. 3. *Populo meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Nec non illud Psal. 9. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Hos palpatores ne audias, Lector, qui dum videntur amici, reipsa capitaliter infensi sunt. Scriptum est enim Prouer. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Crudelis est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu blandiente contrectat, & in recessibus inclusum virus, dum dissimulat, auget. Ille libertatis tuæ amicus est, qui libertinitatis tuæ aduersarius est. Hunc ama, hunc ausculta, de hoc scriptum est Matth. 5. *Esto consentiens aduersario tuo.* Talis enim spiritalis dux qui per arctam salutis viam dirigit imitatur sermonem Dei, qui vt egregiè ponderat August. ser. 1. de verb. Domi. c. 3. *aduersarius est voluntati tuæ, donec fiat author salutis tuæ. O quam bonus aduersarius, quam vtilis aduersarius! Aduersarius est nobis, quamdiu sumus & ipsi nobis : quamdiu tu tibi inimicus es, inimicum habes sermonem Dei : esto tibi amicus, & concordas cum ipso. Concordasti, dic mihi quid perdidisti? non solum nihil perdidisti, sed & te ipsum, qui perieras, inuenisti.*

CAP. II.

CAPVT II.

Efficacitas & suauitas Diuinæ voluntatis, seu de concordia Decretorum prædeterminantium Dei cum libertate creata.

PRetiosa res cor humanum, & quod penè ipse reueretur Deus. Multa in ipso miracula agnoscit Philosophia. In corde est magnitudo in paruitate, nihil ipso angustius, nihil ipso capacius, cui totus mundus non sufficit. In corde est ignis in aqua, pascitur enim humore cordis ignis primigenius, & focus domestici caloris serositatẽ quæ inter cor & pericardium interiacet non absumit, nec ab eâ extinguitur. In corde est quies in motu, dum enim per diastolem sanguinem è venis exsugit, per sistolem spiritus distribuit, pacemque toti corpori per temperamentum dat. Sed his miraculis maius Theologia demiratur, nimirum dominium in subiectione, dum libertatem sui Dominam Diuinæ subiicit voluntati, cuius efficax suauitas & suauis efficacitas lenis est, vt cor subeat; subtilis, vt peruadat; sufficiens, vt adiuuet, omnipotens, vt flectat; congrua, vt se attemperet; blanda, vt delectet; delectans, vt suadeat; suadens, vt vincat; vincens, vt vinciat; vinciens, vt non cogat, attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter.

Vt autem Decretorum Diuinorum efficaciam,

& sub illa libertatis creatæ intemerata iura videamus, tria pensiculatè indagabimus: primò an Diuina voluntas sit ita actualis, vt suspensa esse non potuerit ab omni exercitio libero decreti circa futiritionem vel non futuritionem tam absolutam quam conditionatam rerum. Secundò an decreta quæ habet sint abintrinseco efficacia & prædeterminantia, non indifferentia vel expectantia efficaciam suam ex consensu præuiso, sed consensum ipsum liberum præuenientia, & infallibiliter inferentia. Tertiò an & quomodo hæc decreta libertati non officiant, sed eam potius perficiant.

SPECVLATIO I.

Voluntas Dei non potuit manere suspensa; vnde oportuit vt prorumperet in aliquod decretum circa omnia futura tam absoluta, quàm conditionata.

PRior pars est contra nonnullos, quibus subscribit P. Gonet, asserentes voluntatem diuinam potuisse manere indeterminatam & suspensam circa rerum ponendarum futuritionem vel non futuritionem. Verum id non patitur perfectio Dei actualissima. Nam otiosa illa & dormitans pendentis & fluctuantis voluntatis irresolutio, & anceps de re ponenda consilium expectans pleniorem decisionem, & veluti finalem & decretoriam sententiam, non decet actum purum. Tum quia voluntas sapit conditionem

intellectus : Cum ergo intellectus Diuinus sit actualissimus respectu omnium, ita voluntas Diuina nequit esse in potentia, respectu volitionis vel nolitionis : esset autem in potentia si esset suspensa circa vtrumque, siquidem vtriusque esset capax, & neutrum haberet. Tum quia indecisio & fluctuatio voluntatis semper refunditur in imperfectionem intellectus vel speculatiui vel practici, sicut determinatio oritur ex plenitudine luminis & firmitate iudicij : Ergo stante infinita perfectione diuini iudicij, & actualitate scientiæ & prudentiæ eius, indigna Deo est fluctuans & torpescens voluntas. Siquidem inter intellectum & voluntatem est intima sympathia & correspondentia, & in Deo identitas, quæ exigit, vt hoc ipso quod intellectus proponit obiectum liberè amabile, voluntas in illud feratur vel volendo vel nolendo ; quod potentialitatem quidem tollit, sed minimè libertatem voluntatis, quæ in odium aut amorem prorumpere potest, provt magis libuerit.

Confirmatur amplius : Nam saltem negari non potest, quin connaturaliùs sit voluntati sese determinare ad aliquid per modum inclinationis & tendentiæ actualis, quam per negationem omnis actus (hoc dato pro nunc, quod voluntas creata possit se exercere per negationem actus, quod non est certum.) Siquidem voluntas est inclinatio naturæ intellectualis, quæ proinde meliùs sese explicat per inclinationem actualem & vitalem, quam per omnis actus suppressionem. Atqui à Deo remouenda est omnis imperfectionis vmbra, & ea quæ ei asserimus perfectissimo modo sunt attribuenda : ergo Diuinæ voluntatis perfectio, & libertatis actua-

litas omnem omnino suspensionem excludunt, tanquam redolentem imperfectionem creaturarum. Certè melius esset negare in Diuina voluntate libertatem, quam talem admittere, qua maior excogitari possit. Manifestum est autem, imò & per se notum libertatem non suspensam meliorem esse suspensâ, otiosâ, & veluti somnolentâ, quæ etiam hominibus displicet, in quibus non nisi ex iudicij tarditate vel confusione prouenit.

Confirmatur rursum, & præoccupatur fundamentum oppositæ sententiæ, in hoc consistens, quod cum exercitium liberæ voluntatis Dei non superaddat aliquam perfectionem, videtur quod quamvis Diuina voluntas à tali exercitio cessasset, manssisset que suspensa, nullâ propterea perfectione orbaretur. Sed hinc potius rationem contra aduersarios instauro. Licet exercitium liberæ voluntatis nullam addat actui necessario perfectionem, tamen arguitiuè & rectè inferretur actum necessarium non esse perfectissimum, si potens se determinare circa futuritionem vel non futuritionem creaturarum, ad eam non se extenderet, sed illam omitteret. Sicut licet scientia visionis, quæ fertur ad creaturas præsentes, nihil perfectionis adiiciat scientiæ simplicis intelligentiæ: si tamen scientia Diuina ad præsentia & futura non se extenderet, arguitiuè colligeretur scientiam Dei non esse perfectissimam, nec habere lumen infinitum, vtpotè non se extendens ad omne cognoscibile. Sicut etiam in sententia plurium aduersariorum, licet relationes Diuinæ nullam essentiæ perfectionem superaddant; si tamen aliqua relationum deesset, detraheretur cumulatæ essentiæ Diuinæ

perfectioni : Ergo similiter rectè deducimus voluntatem Diuinam non futuram omnifariam perfectam, si non se extenderet ad quodvis obiectum ab intellectu propositum vel volendo, vel nolendo illud. Aliam rationem huius primæ partis afferemus post stabilitam secundam partem.

Obiicies : voluntas diuina liberè fertur & terminatur ad creaturas : ergo potest suspendere terminationem ad illas : in hoc enim consistit libertas exercitij & contradictionis, quod voluntas possit prorumpere in actum, vel ab ipso abstinere, possit amare, vel non amare ; sicut libertas contrarietatis exigit, vt possit alterutrum oppositorum actuum elicere, v. g. possit amare, vel odisse.

Respondeo quidquid sit an ad rationem actualis libertatis creatæ sufficiat omissio actus scienter & aduertenter suspensi : Tamen, quia libertas Diuina non consistit in indifferentia actuum sed obiectorum, ideo libertas exercitij Diuini non petit, vt possit elicere actum liberum vel suspendere illum, sed quod ex vi illius ponatur creatura, vel non ponatur ; sicut libertas specificationis exigit, quod ex vi illius ponatur creatura aliqua, vel illi contraria. Quod optimè saluatur in nostra doctrina, quæ licet asserat Deum ob suam perfectionem non posse suspendere actum liberum vagè sumptum, id est non possit non habere actum volitionis vel nolitionis ; tamen non necessitatur ad hoc vt sit volitio, vel nolitio ; & ipsa volitio, vel nolitio non necessitantur ad ponendam creaturam, vel contrariam, sed ad ponendam vel non ponendam. V. G. licet Deus debeat se determinare,

an velit calorem vel frigus ; tamen potest ex vi suæ determinationis actualis producere vel calorem vel frigus, vel ab vtroque abstinere. Sicque in eo perfectissimè saluatur libertas & exercitij & specificationis, quamtumvis necessitetur ad prorumpendum in aliquam vel volitionem vel nolitionem, necessitetur, inquam, non necessitate proueniente ex parte obiecti, sed ex parte subiecti, nimirum ex actualitate & perfectione diuinæ libertatis.

Dices : æquè actualis est diuina misericordia, iustitia, & omnipotentia, ac libertas ; cum omnia Diuina sint actus purus : sed licet suspensum esset exercitium miserendi, puniendi, & creandi non desinerent propterea misericordia, iustitia, & omnipotentia esse actus purus ; nam eo exercitio ab æterno caruerunt, saluâ manente actualitate : Ergo similiter diuina libertas non careret actualitate & perfectione, quantumcumque in actum secundum volitionis vel nolitionis non prodiret.

Respondeo negandam esse paritatem, & ratio differentiæ est : primò, quia misericordia, iustitia, & omnipotentia non exercentur intra Deum, sed extra : vnde per exercitium non perficiuntur in se, sed perficiunt creaturas, subindeque suspensio exercitij earum non priuat Deum perfectione, sed solas creaturas, quibus perfectionem non profundit. At vero intellectio & volitio exercentur intra Deum, & pertinent ad perfectionem volentis & intelligentis tamquam vltima actualitas & inclinatio vitalis, vnde suspendere actum est arguitiuè suspendere perfectionem, vt dictum est. Altera differentia, est quia misericordia, iustitia, & omnipotentia non petunt exercitium,

nisi iuxta præscriptum à Diuina libertate modum : voluntatis enim est mouere cæteras virtutes ad exercitium ; vnde quando deest earum exercitium voluntate illud nolente , nulla carent perfectione, quia tunc præfatum exercitium non requirunt. At verò voluntatis exercitium non subordinatur vlli alteri attributo , quia ipsa est veluti prima radix exercitij omnium. Vnde semper debuit esse in exercitio aliquo volendo vel nolendo.

Statuuntur Decreta conditionata.

Secunda pars speculationis sponte fluit ex prima, si enim voluntas Diuina non potuit manere suspensa circa rerum omnium futiritionem, profecto in decreta prorupit quibus rerum futiritionem vel non futiritionem tam absolutam quam conditionatam determinauit. Verum quia in huiusmodi decretis conditionatis specialis est difficultas , ideo de illis operosius agendum est, quod vt dilucide fiat.

Sciendum est propositum voluntatis posse dici conditionatum vel ex parte actus vel ex parte obiecti. Primum non est efficax voluntas, sed dumtaxat velleitas qua nihil decernitur, sed remittitur decernendum in futurum, vt si dicam : vellem ire Romam , si vocarer à Pontifice. Secundum vero est actuale decretum, & resolutio voluntatis de facto præsens , suspenditur tamen executio talis voluntatis, donec apponatur conditio , qua accedente redigetur ad actum , vt si dicam : volo & voueo ire Romam, si conualuero ab infirmitate. Tunc enim habetur præsens & efficax voluntas talis peregrinationis , sed ex-

pectatur restitutio sanitatis. Prima voluntas dicitur conditionata ex parte actus, & ex parte obiecti, quia non solum expectat conditionem aliquam vt agat, sed etiam vt velit: secunda vero dicitur absoluta & efficax ex parte actus, quia non suspendit determinationem voluntatis, sed solam executionem, donec adueniat conditio. Huiusmodi itaque decreta efficacia & absoluta ex parte actus, sed conditionata ex parte obiecti admittenda esse in Deo asserimus circa illa saltem futura conditionata quæ Deum se cognoscere in Scripturis testatus est.

Probatur primo ex Scriptura, quæ Deo asserit notitiam quorumdam futurorum conditionatorum, quorum euentus nullam habet connexionem cum conditione, quale est illud Elizæi ad Regem Ioas 4. Reg. 13. *Si percussisses quinquies, aut sexies, aut septies terram, percussisses Syriam vsque ad consumptionem.* Patet autem quod deuastatio Syriæ non est connexa cum illa terræ percussione; non potuit ergo Deus asserere futuram esse illam deuastationem ex vi conditionis, sed solum ex efficacia sui decreti. Similiter cum Christus Matth. 16. dixit Petro. *An putas quia non possum rogare patrem, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum*, clarè indicauit, Patrem habere determinatam voluntatem dandi legiones Christo petenti, quas tamen nec Christus petiit, nec Pater dedit: est igitur in Patre voluntas efficax de aliquo quod est tantum futurum posita conditione, quæ tamen apposita non fuit. Item Psal. 105. habetur: *dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius, ne disperderet eos.* Vbi, vt vides, de-

creuerat Deus disperdere gentem, si Moyses non orasset in spiritu humilitatis, & contractione cordis contriti, & tamen Deus non disperdidit illam gentem, quia defuit conditio cessationis Orationis Moysis. Ergo datur voluntas in Deo de aliquo, quod esset futurum posita aliqua conditione, & quod absolutè non est futurum.

Denique id apparet ex omnibus pactis & promissionibus quibus Deus spondet se aliquid facturum suppositâ conditione, quæ sæpe non ponitur, vt pactum de danda iustitia originali omnibus posteris, Adamo non peccante; quod quidem pactum exprimitur Eccl. 17. sicut & promissio facta Salomoni de conseruando throno Regali filiis in sempiternum super Israël, si ambularet in simplicitate cordis, & tamen filij eius non regnauerunt, quia defuit Salomoni simplicitas illa requisita. Patet ergo ex Scripturis dari in Deo voluntatem seu decretum circa aliqua quæ non sunt futura nisi sub aliqua conditione. Vnde D. Thomas q. 19. art. 7. ad 2. *Multa sunt in virtute, & scientia & voluntate Diuina, quæ non continentur sub ordine causarum inferiorum, vtrumque Deus horum vult, scilicet quod aliquid quandoque sit futurum secundùm causam inferiorem, quod tamen futurum non sit secundum causam superiorem, vel è conuerso. Quæ voluntas* (addit in 1. d. 46. q. 1. art. 1. ad 2.) *Potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis Diuinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur secundùm omnes circunstantias.*

Probatur ratione, & vt id efficaciter conficiatur, primò monstrandum est decreta illa executiua nullam prorsus redolere imperfectionem, secundò positiuè suadendum est necessarium

esse illa in Deo confiteri. Primum sic ostenditur: Non repugnant ista decreta neque ex parte obiecti, neque ex parte Diuinæ prouidentiæ, neque ex parte efficacitatis Diuinæ voluntatis. Ergo ex nullo capite; nullum enim aliud potest excogitari etiam secundum authores, qui hæc decreta refugiunt. Probatur antec. In primis non repugnant hæc decreta ex parte obiecti voliti, quod est bonum & conueniens, vt status Innocentiæ posteris transmittendus, si Adam non peccasset; Conuersio Tyriorum, si Christus prædicasset, & alia multa quæ nos rectè volumus, & ad quæ desideranda hortatur nos Deus, vt salus omnium hominum: ergo volitio huiusmodi obiecti nullam habet indecentiam, sed potius declarat viscera misericordiæ Dei. Præsertim quia ex illa semper sequitur aliquis effectus ad extra, vt ex vi voluntatis salutis omnium, offeruntur omnibus media salutis; In Tyriis minor obduratio; In posteris Adæ ordinatio in finem supernaturalem; In peccatoribus inspirationes consequuntur. Quamvis non sit necesse semper ex decretis illis conditionatis sequi aliquem effectum, vt dicemus postea.

Non dedecent etiam hæc decreta ex parte Diuinæ prudentiæ vel prouidentiæ, quin potiùs pertinet ad supremum Gubernatorem permittere, vt sint variæ inclinationes in vniuerso, etiam inter se pugnantes, ex hac enim concordi discordia coalescit & splendet orbis harmonia, & structura; subindeque ad illum spectat inclinationes illas ad finem aliquem dirigere, nec tamen debet permittere vt omnes suum sortiantur effectum, quem tamen connaturaliter obtinerent, nisi illi particulari inclinationi per aliam

reſiſteretur. V.G. prouidens Deus vt ignis in aliqua domo accendatur, procul dubio videt futurum incendium, & tamen quia prouidet etiam quod ab imbre extinguatur, talis conflagratio non eſt abſolutè futura. Vnde pertinet ad ſupremi prouiſoris prudentiam, vt decernat quid in conſtituto ordine rerum eſſet in tali & tali occaſione futurum ſecundum cauſarum creatarum inclinationes.

Accedit, quod ad Oecumenici Prouiſoris prudentiam omnino exigitur, vt multa cum creaturis rationalibus pacta inire poſſit, vt multa promittat ſub certis legibus, vt minitetur ſub certis pœnis, atque de multis ordinet, an euenirent nec ne in tali vel tali circunſtantia, & poſita hac vel illa conditione, quæ omnia exigunt decreta conditionata, vt Deus dicatur verè, ſyncerè, & non fictè ea velle quæ promittit, quæ minatur, & quæ ordinat. V.G. cum comminatur pœnas, vel clades, niſi pœnitentia agatur, debet ſine dubio velle pœnas illas infligere, niſi pœnitentia agatur, qua accedente, ſuſpenditur decretum de punitione, vt patet in Niniuitis.

Denique non repugnant hæc decreta efficaciæ Diuinæ voluntatis. Tum quia ſuſpenſio executionis tunc ſolum imperfectionis labem infert, quando prouenit ex impotentia cauſæ, cuius virtus ab alio impeditur vel retardatur, ſed non quando oritur ex ipſa voluntate Dei propter aliquem finem quem perfectio regiminis vniuerſalis ſæpè exigit, vt penſatis circunſtantiis, & motiuis omnibus libratis ſuſpendatur executio. Tum quia ſi nulla eſt indecentia, quod Deus dicat ſe facturum talia vel talia, ſi illud, vel illud ſit, quænam eſt repugnantia vt idipſum,

quod asseuerat, decernat? Imò non verè asseueraret, nisi verè decreuisset. Quo enim modo posset prima veritas attestari Genes. 18. si in Sodomis inuenirentur quinquaginta iusti indulturum se omnibus propter illos, nisi reuera talem indulgentiam statuisset, quæ tamen numquam concessa est defectu conditionis. Tum tertiò quia non magis repugnant ista decreta conditionata efficacitati Diuinæ voluntatis, quam voluntas antecedens de salute omnium, quæ est etiam conditionata, *Nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis Diuinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circunstantiis.* Vt ait D. Thomas citatus. Nec ad eam sequitur effectus vltimatus scilicet salus omnium, sed sequeretur si poneretur conditio, nimirum si aliter non exigeret ordo prouidentiæ, & iustitiæ Diuinæ. Atqui illi authores qui tam acriter confutant, irridentque decreta conditionata, vltro admittunt voluntatem antecedentem salutis omnium quæ sit verè in Deo, cum Apostolus dicat, non quod Deus vellet, sed vult omnes homines saluos fieri. Ergo ista decreta conditionata nullam habent indecentiam vel repugnantiam.

Hactenus negatiuè argumentati sumus remouendo ab istis decretis omnem imperfectionis næuum, iam probo positiuè ea esse admittenda in Deo saltem circa futura in Scripturis reuelata. Res illæ quas Scriptura attestatur esse sub conditione futuras, seu earum futuritio conditionata est obiectum actu liberum respectu Diuinæ voluntatis, cum non sit ens necessarium & summum bonum, sed contingens, quod subinde fuit impedibile, & potuit non esse. Ergo requirit aliquod decretum præsens in Deo, quo

voluntas Diuina exerceat suam libertatem circa illud futurum, illudque extrahat è statu meræ possibilitatis, transferatque ad statum conditionatæ futuritionis, aliàs aliquid esset futurum independenter à Dei voluntate; & iam redit totus ille rationum apparatus, quibus fusè superiùs ostendimus repugnare aliquid esse futurum antecedenter ad decretum Diuinæ voluntatis, quibusque scientiam mediam excluſimus: vnde ab eis iterandis supersedeo, pluribus hac de re speculatione sequenti acturus.

Obiicies primò: Non datur in Deo decretum actuale nisi ex parte creaturarum sequatur aliqua mutatio: nam, vt antea dictum est, decretum Dei liberum nihil addit supra actum necessarium nisi mutationem creaturarum quas connotat, & proprium est voluntatis Diuinæ non supponere, sed facere obiectum quod vult, subindeque in illud inducit mutationem, qua transeat de non esse ad esse. Atqui ex decreto conditionato nihil ponitur circa obiectum conditionatè futurum, cum potiùs efficaciter & consequenti voluntate nolit Deus illud futurum poni. Ergo non dantur in Deo decreta actualia circa obiecta conditionatè futura.

Respondeo, quod sicut decretum absolutum ex parte obiecti causat mutationem in obiecto, ita ex decreto conditionato ex parte obiecti non sequitur, sed sequeretur mutatio, si poneretur, vel, vt aiunt, purificaretur conditio. Vnde maior potest distingui nisi sequatur mutatio absoluta vel conditionata, concedo; absoluta, subdistingo, si decretum sit absolutum conc. si sit conditionatum, nego; tunc enim exigit solùm mutationem conditionatam, & similiter distin-

guitur minor, ex decreto conditionato nihil ponitur circa obiectum, nec poneretur, si adesset conditio nego, & poneretur conc. quamvis etiam absolute possit Negari minor. Nam ex vi huiusmodi decretorum sequitur mutatio in creaturis, quæ ex vi illius manent dispositæ ad producendum effectum adueniente tali conditione, sic Tyrij erant minus obdurati, sic peccatores sacris motibus stimulantur, & sic de aliis.

Adde Suarem l.2.de scient.conditio.c.2. mordicus contẽdere contra Vasquem (cuius est obiectio facta) dari de facto in Deo multa decreta, quæ non important variationem ex parte creaturæ. Nam præter decreta quibus Deus non vult possibilia, ex quibus nihil vtique ponitur; etiam circa existentia possunt esse decreta immutatis creaturis; nam potest Deus velle tollere obligationem, relaxare votum, irritare legem, condonare pœnam, & tamen ex illa voluntate nihil ponitur in creatura. Nec sufficit dicere ex vi talis voluntatis Deum reuelare dispensationem, vel conditionem illam. Nam quis dicat Deum non posse ea velle nisi reuelet, nunquid poterit retinere secreta cordis sui? Certè id saltem dici non potest de condonatione pœnæ, quam Deus potest velle nihil reuelando, sed eam non infligendo. Scio aliquos dicere ex voluntate Dei oriri semper aliquid, sed nobis ignotum. Sed hoc à nobis fateor impugnari non posse, quibus non est colluctatio aduersus tenebras rei ignoratæ.

Dices: decretum Dei non respicit creaturam per mutationem sui: Ergo per mutationem creaturæ, voluntate enim & obiecto inuariabi-

liter se habentibus, Deus non potest magis dici volens quam nolens.

Respondeo Decretum Dei absolutum respicere creaturam mutandam in tempore, decretum vero conditionatum ex parte obiecti ferri ad creaturam mutandam sub conditione : vnde connotatur semper mutatio creaturæ, non quæ erit, sed quæ esset posita conditione.

Obiicies secundò. Si darentur in Deo decreta circa futura conditionata, darentur etiam circa omnes combinationes possibiles, non enim est maior ratio de vnâ, quàm de aliâ. Sed admittere decreta circa omnes combinationes possibiles videtur otiosum & futile ; ad quid enim vtile tale decretum : *Si Turca dormiat Constantinopoli, Papa orabit Romæ ; si daretur alius orbis, esset in eo status innocentiæ*, & sic de aliis longè absurdioribus. Ergo illa decreta non sunt admittenda in Deo, vtpote non satis dignè vel seriò Deum occupantia.

Respondeo quosdam omnia illa decreta admittere, & omnia inconuenientia deuorare, obseruantes quod licet multæ combinationes satis disparatæ & humano aspectui ridiculæ possent fieri, non est tamen ridiculum, sed summa expensione & veneratione dignum, quod tanta sit vis diuini intellectus, tanta actualitas Diuinæ voluntatis, vt ad omnia feratur, tota disparitate ex parte obiecti non ex parte scientis se tenente.

Verùm solidiùs dici potest Deum habere decereta circa illa obiecta quæ reuelata sunt in Scriptura. An vero habeat circa alia determinari vix ac ne vix quidem potest, quia quæ ex Dei voluntate pendent non possunt nobis innotescere nisi per Scripturas, in quibus ill[illegible]

definitur. Rem vero istam humanarum coniecturarum modulis dimetiri non conuenit. Nam. *Quis nouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Nec possumus inferre quod si habet decreta circa aliqua, habeat circa omnia, cum omnia operetur Deus secundum consilium voluntatis suæ. Nec etiam ea exigit Diuinæ voluntatis perfectio & actualitas, quæ non potest manere suspensa: Quia sufficienter exercetur circa combinationes possibiles, concludendo illas sub vnica nolitione, quæ v. g. sic exprimatur: *Illa volo esse conditionate futura, quæ per Scripturas reuelabo, & quæ exigit ordo & prouisio vniuersi. Cætera vero in statu meræ possibilitatis volo relinquere.* Hoc pacto saluatur actualitas Diuinæ voluntatis, & vitantur inconuenientia, quæ imaginatio nostra multiplicat.

Ex his etiam Inferes quam meritò commentum de suspensione, & dormitione Diuinæ voluntatis antea expunxerimus. Cum enim Deus debeat cognoscere omnia futura tam absoluta quam conditionata, aliàs aliquid summæ & infinitæ scientiæ Dei perfectioni deesset; planè consequens est Deum circa alterutram partem contradictionis se determinare debuisse, vt rebus futuritionem vel non futuritionem tribueret. Siquidem omnis futuritio vel non futuritio certa vni Diuinæ voluntatis decreto innititur, sine quo certitudo infallibilitasque diuinæ scientiæ corrueret. Ergo sicut necessarium est rem omnem esse futuram, vel non futuram absolutè vel conditionatè; ita necessum est Deum velle eam esse futuram, aut nolle eam esse futuram, quia cessante vel suspensa Dei voluntate & [illegible]uitate, penitus euanescit omnis futuri-

tio, vel non futuritio, ſubindeque ſcientia de illo.

Nec valet reſponſio quorumdam recentiorum Thomiſtarum aientium Deum ſufficienter cognoſcere quævis non futura, per hoc quod non habeat aliquod decretum de eorum non futuritione, quia cum rem non eſſe futuram, non ſit aliquid poſitivum, ſed mera negatio ad quam non exigitur poſitivus influxus: vt aliquid ſit non futurum, & vt tale à Deo cognoſcatur, ſatis eſt quod circa illud voluntas Diuina maneat ſuſpenſa. Sicut non requiritur poſitivus influxus omnipotentiæ ad annihilationem, tametſi requiratur poſitivus ad creationem.

Non, inquam, valet hæc reſponſio, & mirum eſt eam à Thomiſta poſſe adhiberi. Nam iuxta mitam Angelicæ ſcholæ ſententiam decretum Diuinum eſt prima radix futuritionis, & non futuritionis rerum, ante quod omnis res non eſt futura, vel non futura, ſed merè poſſibilis: quia tandiu manet omnipotentia Diuina (quæ eſt primum poſſibilitatis rerum principium) indeterminata ad futuritionem vel non futuritionem rerum, quandiu non concipitur decretum. Certè ſi decretum indifferens Moliniſtarum non facit rem eſſe futuram, vel non futuram, quantò minus ſuſpenſio omnis decreti? Quin imò verum erit (quod abſit) propoſitiones ante decretum eſſe determinatè veras vel falſas etiam in materia contingenti. Nam ſi per ſuſpenſionem decreti res eſt poſitivè non futura, profecto omnis propoſitio negativa erit vera ante decretum, & conſequentur eius contradictoria falſa. Illa enim propoſitio negativa de futuro eſt determinate vera, cuius obiectum eſt determinat[illegible]

futurum : Atqui obiectum propositionis negatiuæ v. g. Petrus non studebit, est determinatè non futurum ante decretum, si ad non futuritionem sufficiat negatio & suspensio decreti. Ergo propositio quæ asserit Petrum non disputaturum erit vera ante decretum. Sicut, vt exemplo aduersariorum vtar, ista propositio de præsenti. *Petrus non existit*, post annihilationem eius est determinatè vera. Vnde isti Thomistæ totam rationum molem, quam contra scientiam mediam struxerunt, hoc suspensionis voluntatis Dei asserto destruunt, vel saltem concutiunt. Dicendum ergo quod per negationem decreti res non est positiuè, non futura, sed mere possibilis, & indifferens ad futuritionem vel non futuritionem, quia futuritio & non futuritio sunt denominationes petitæ à causæ determinatione.

Exemplum autem de non existentia ad quam non requiritur positiuus influxus Diuinæ omnipotentiæ toto cœlo discrepat. Quia existentia, & non existentia sunt prædicata absoluta, quæ conueniunt rei hoc ipso quod est vel non est à parte rei, vnde positâ existentiâ res est, subtractâ vero, à quacumque causa id fiat, res desinit. At vero futuritio vel non futuritio positiua sunt denominationes extrinsecæ & relatiuæ petitæ à determinatione causæ; vnde nulla existente determinatione in causa res non est futura, vel positiuè non futura, sed mere possibilis. Illustrari potest hoc familiari exemplo. Ad hoc vt homo ambulans non ambulet, sufficit vt potentia loco-motiua suspendat motum, & tunc ambulatio amplius non existit : vt autem ambulatio crastina sit futura vel non futura respectu nostri, non sufficit vt voluntas suspendat omne propo-

ſitum ambulandi, ſed requiritur vt voluntas ſit determinata ad alterutrum, ſi enim voluntas ſit ſuſpenſa, ambulatio erit poſſibilis & indifferens ad futuritionem vel non futuritionem reſpectu voluntatis.

Reflexio.

Si voluntas Dei nuſquam ſuſpenſa circa creaturas fuit, noſtram otiari, & à Deo amando quæritandóque deſinere dedecet. Huic Diuinæ voluntatis actualitati ſempiternæ noſtri affectus exercitium reſpondere quid iuſtius ? vt illud quod inculcat Propheta impleamus ; *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius ſemper* Pſal. 104. Quærendus eſt ſemper, qui charitate perpetua dilexit te ; Quærendus etiam dum inuentus eſt, quia bonum infinitum etiam poſſeſſum poſſideri vberiùs poteſt. Vnde mirè Auguſt. l. 5. de Trinit. c. 2. *Si quæſitus inueniri poteſt, cur dictum eſt, quærite faciem eius ſemper ? an & inuentus quærendus eſt ? quæritur inueniendus, & inuenitur quærendus. Tam magnum & incomprehenſibile bonum eſt, quod & quæritur vt inueniatur dulciùs, & inuenitur, vt quæratur auidiùs.* Succinit Doctor Mellifluus ſer. 84. in Cant. *Exiſtimo quia nec cum inuentus fuerit ceſſabitur à quærendo, non extundit deſiderium ſanctum fœlix inuentio, ſed extendit.* & l. 4. de conſider. *Solus eſt Deus qui fruſtrà numquam quæri poteſt. Doceat te de hoc experimentum tuum, aut experto credito, non mihi, ſed ſancto, qui ait : Bonus es Domine ſperantibus in te, anima quærenti te.*

SPECVLATIO II.

Diuina voluntas statuit, prædefiniuit ac prædeterminauit omnes actus causarum secundarum etiam liberos decreto non indifferenti, sed per se & ab intrinseco efficaci, minimè expectante efficaciam suam à consensu præuiso, sed consensum ipsum præueniente & infallibiliter inferente.

HÆc positio, quæ est radix & origo omnium controuersiarum quæ Thomistas inter & assertores scientiæ mediæ agitantur, pluribus solet argumentis comprobari. In primis eam conuincunt omnes tum authoritates, cùm rationes quibus scientia media supra expũcta est. Etenim si nihil est futurum nec absolutè nec conditionatè ante efficacax Dei decretum, Procul dubio decretum Dei non expectat vel supponit præuisionem futuri cuiuscumque, sed eam fundat. Secundò eandem stabiliunt ea quæ dicemus de prouidentia Dei, quæ cum sit vniuersalissima extendit se etiam ad actum voluntatis, quem proindè non supponit, aliàs subterfugeret primi & supremi Prouisoris causalitatem, cuius omnis dispositio semper impletur, vt ibi fusiùs demonstrabitur. Tertiò iis omnibus rationibus confirmari posset, quibus suo loco monstrabimus prædestinationem esse certam non solum ratione præscientiæ, sed etiam causalitatis efficiter inferentis intentum, quod stare ne-

quit cum decretis indifferentibus, & consensum præscitum expectantibus. Denique iis omnibus muniri posset subsidiis hæc assertio, quibus gratia Christi ab intrinseco efficax fusè suo in tractatu stabilitur. Sed quia nostri propositi est, vt sæpè diximus, quæque suis aptare locis, nec dicta recantare, vel dicenda præuenire; ideo his solum firmamentis hanc propositionẽ vallabimus, quæ huius loci propria & veluti caracteristica sunt.

Probatur ergo primò authoritatibus illis, quibus stabiliuntur prædefinitiones & decreta ab intrinseco efficacia, & conuelluntur pure indifferentia. In primis sacra Scriptura satis clarè tradit hanc efficacissimam Diuinæ voluntatis & decretorum eius energiam. Isai. 14. *Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?* Esther. 13. *Non est qui possit resistere voluntati tuæ, si decreueris.* Rom. 9. *Voluntati eius quis resistit?* Quibus locis formaliter fit sermo de decreto Diuinæ voluntatis, cuius vis & efficacia à nullo est impedibilis, quomodo ergo admittitentur in Deo decreta indifferentia, suspensa, & expectantia determinationem ab aliis? vide dum de scientia media inuicta Pauli pro hac veritate testimonia.

Consonant Patres. Dionys. l. de Diui. nom. c. 5. *Exemplaria dicimus in Deo rationes substantificas, quas Theologi prædefinitiones vocant, & Diuinas & bonas volũtates existentiũ prædeterminatiuas* (vide interim quam antiquum sit prædeterminationis nomen, & in ipsis nascentis Ecclesiæ cunis vsurpatum, non à Bannesio adinuentum, vt quidam scribunt non sine pudenda antiquitatis ignorantia.) *Secundum quas omnia prædefiniit & produxit.* Vbi ponderatione dignum est sa-

ctum Patrem fundare ideas & exemplaria rerum futurarum & producendarum in prædefinitionibus Diuinis : Imò ipsa exemplaria, in quibus res futuras vider, esse ipsas prædefinitiones, ac proinde manifeste sentire Deum videre res futuras in sua prædefinitione & decreto. Et sic potest fieri breue argumentum : Artifex non prius videt artefactum producendum, quam videat eius exemplar, cum nihil operetur nisi respiciendo exemplar. Sed ex Dionysio exemplaria rerum producendarum sunt prædefinitiones prædeterminatiuæ & effectiuæ rerum : Ergo Deus non videt res futuras ante decretum prædeterminatiuum, sed in decreto & prædefinitione voluntatis suæ. Vnde in hoc testimonio S. Pater non solum prædefinitiones disertè expressit, sed etiam recursum ad scientiam mediam Diuina sua sapientia præoccupauit.

Suffragantur alij Patres. S. Leo ser. 7. de passione. *In saluandis hominibus per crucem Christi communis erat voluntas Patris & Filij ; Nec vlla poterat ratione turbari, quod ante æterna sæcula & misericorditer erat dispositum , & incommutabiliter præfinitum.* Theodoret. super illud ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* , ait : *Ea quæ ad nos pertinent præsciuit , & prædefiniuit , & præconstituit secundum propositum voluntatis suæ* : ergo non secundum explorationem liberi arbitrij. Athanas. super c. 2. ad Ephes. loquens de bonis operibus ait , quod ea *Parauit Deus quæ differri non poterunt neque prætermitti , quin peragantur, tanquam diuinitus sint prædefinita quousque sit procedendum.* Ab Augustino & Aquinate referendis supersedeo , quia non est opus ea iterum exscribere testimonia quæ latè , dum de

ſcientia media, retulimus. Hîc ſolum obiter nota D.Thomam infrà q.116. & quodl.12. q.3. art. 4. licet reiiciat fatum, ſi per illud intelligatur neceſſitas quædam in res humanas à corporibus cæleſtibus inducta, tamen ſi per fatum intelligatur diſpoſitio Diuinæ voluntatis à qua omnia præordinantur, ſic non inconuenit admittere fatum, ſubditque non eſſe hoc nomen vſurpandum, *Quia cum Gentilibus nec nomina debemus habere communia, & ideo Auguſtin. dicit: ſi quis hoc modo intelligat fatum, ſententiam teneat, corrigat, & non dicat fatum, ſed prouidentiam Dei.* & ibidem aſſerit quod *Omnia à prouidentia Dei ſunt prædeterminata & ordinata.* Quod & ingeminat in 1. ad Annibal. d. 47. q. vnic. art. 4. *Voluntate Dei non ſolum res in eſſe producuntur, ſed etiam in rebus producendis modum quo producantur prædeterminauit. Vnde cum voluntas Dei efficaciter impleatur, oportet quod res fiant, & eodem modo fiant voluntas Diuina diſpoſuit.*

Probatur ratione: ſi Decreta Dei non eſſent per ſe efficacia ſed pure indifferentia, determinatio liberæ noſtræ voluntatis poſſet intelligi cum fundamento in re ante decretum efficax Dei, ex ſeipſa applicans decretum Dei indifferens, & concurſum indifferentem ex vi talis decreti omnibus oblatum. Conſequens eſt falſum. Ergo & antecedens. Maior eſt mera doctrina aduerſariorum, qui ideo volunt Deum explorare conſenſum antequam quidquam decernat, vt videat in quam partem voluntas creata determinatura ſit concurſum Dei. Minor vero probatur: ſi determinatio cauſæ ſecundæ intelligatur præcedere decretum Dei efficax, & illius indifferentiam determinare & flectere, admittendum er- ali-

quid reale creatum antecedens naturâ concursum Dei & à voluntate Dei independens, nimirum illa reductio, determinatio, & applicatio Diuini decreti, & concursus indifferenter per illud oblati: siquidem Deus determinationem illam, applicationem illam, vsum illum non causat, sed expectat, ideoque illum explorat per scientiam mediam. Consequens autem repugnat, quia aliàs Deus non esset omnium causa, nec primum principium actionum humanarum. Ergo repugnant huiusmodi decreta indifferentia expectantia efficacitatem suam à consensu, sed omnino admittenda sunt prædeterminantia efficaciter consensum inferentia.

Confirmatur: si dantur in Deo decreta purè indifferentia, ita vt sic exprimantur: *Volo concurrere ad quodcumque causa secunda se determinauerit, & ad id offero meum concursum, vt eo illa vtatur*, procul dubio expectatur actus & reductio creaturę cõcursu oblato vrentis. Ergo Deus videt creaturam priùs operari, quam Creator concurrat, priusque naturâ egreditur actio à causa secunda quam Deus succurrat & admisceat concursum suum; siquidem Deus expectat actionem qua flectatur concursus suus in alterutram partem. Consequens vero repugnat, quia cum Deus sit causa prima per quam omnia facta sunt, & sine qua factum est nihil, est etiam causa illius vsus, & detetminationis creaturæ, causa vero non expectat suum effectum, sed illum producit & influit. Ergo Diuinæ voluntatis decretum non expectat determinationem voluntatis, sed eam confert, & infert, proindeque ex natura sua efficax est, & non purè indifferens.

Confirmatur rursum & penetrantiùs demonstratur

ſtratur decretorum indifferentium impoſſibilitas. Dicere quod Deus decernit concurrere ad actum amoris ſi voluntas creata velit & ſe determinet ad amandum eſt planè pugnantia loqui, vel facere ſenſum ridiculum & nugatorium. Nam cum iuxta principia omnium ad vnum aſſertorum ſcientiæ mediæ concurſus Dei nihil aliud ſit quam actio cauſæ ſecundæ provt à Deo, Deum ſuo decreto expectare an voluntas velit, eſt expectare an ipſemet concurrat, ſiquidem voluntas creata non vult niſi per concurſum Dei, qui concurſus nihil eſt aliud quam volitio creaturæ provt à Deo. Vnde tale decretum aduerſariorum idem eſt, ac ſi Deus diceret: ſi videam amorem productum, illum producam. Cum enim voluntas in quocumque ordine vel circunſtantia poſita nunquam agat nec agere poſſit ſine cõcurſu Dei, planum eſt Deum dicere, volo concurrere ad amorem, ſi creatura ſe determinat ad amandum, eſſe idem ac dicere, volo concurrere ad amorem, ſi concurram ad amorem. Igitur vel admittendus erit ſenſus nugatorius in decretis Dei, vel fatendum erit creaturam poſſe ſe determinare & reducere ad actum ſine concurſu Dei. Sicut qui diceret volo tibi dare lucem ſi videris obiectum, vel volo tibi dare exiſtentiam ſi operatus fueris, vel nugaretur, cum lux ſit neceſſaria ad videndum, exiſtentia ad operandum; vel ſupponeret ipſum poſſe videre ſine luce, poſſe operari ſine exiſtentia, quod repugnat. Ita ſimiliter in propoſito, quia creaturam ponere actionem eſt Deum concurrere ad illam, cum creatura non agat ſine concurſu Dei, actio creaturæ provt à Deo ſit concurſus Dei; Deum velle concurrere ſi creatura agat, vel quia

aget, est Deum velle concurrere si concurrat, vel quia concurret; vel creatura potest prius agere quàm Deus concurrat.

Quare totum huius materiei pondus & momentum ad hoc tandem deuoluitur, quomodo decretum indifferens ad consensum vel dissensum determinetur ad vnam partem potiùs quam ad aliam: si à creatura; ergo creatura præcedit naturâ concursum Dei, & præcedit agendo: sicque in ratione principij actualis non pendebit à Deo; si à se; ergo decretum ipsum priùs natura determinat causam secundam, & hoc est decretum prædeterminans quod inquirimus & sustinemus. Nec potest dici quod Deus illam determinationem causat per hoc quod determinationem simul agit & coëfficit; quia cum concursus Dei sit indifferens expectat vsum & determinationem causæ creatæ, quomodo autem concursum Dei determinabit causa secunda quæ nihil efficit sine concursu Dei? vel quomodo coniungentur illæ duæ causæ indifferentes scilicet voluntas creata, & Decretum Dei indifferens, nisi casualiter & fortuito, si vel Decretum non determinat voluntatem, vel voluntas decretum? si primum, decretum prædeterminans tenemus; si secundum, Deus non erit causa determinationis causarum secundarum, subindeque non erit causa Prima, nec Deus.

Plures alias rationes effusè & iuxtà validè vrgent Nostri Authores, sed allata sufficit & reuera conuincit: atque in ea continetur punctus, qui, vt ait Ioannes à S. Thoma Scholæ nostræ immortale decus, assertoribus scientiæ mediæ alta profunditas est, & rapidissimis vorticibus plena, quam nullus pertransit, quem non absor-

beat, nisi ad littus efficaciæ diuinæ eiiciat. Certè tantam difficultatem in hoc argumento subodoratus est Theophilus Raynaudus, vt ab ea aliter sese extricare nequiuerit, nisi conficta quadam in deo Chymærica cognitione, qua explorat quid voluntas vellet, si sola velle posset. Et in ea cognitione totum Oecumenici Prouisoris dei regiminis cardinem constituit. Sanè nisi periclitantem & penè desperatam causam sensisset suam, ad tantam nouitatem non confugisset, quã supra dum scientia dei satis explosimus, eámque sic irridet P. Labbæus cuius verbis pauca adiiciã.

Quæ ista philosophandi ratio? Deus ibi aliquid videt, vbi adhuc nihil est; videt voluntatem vacuam, & videt plenam; videt sterilem, & fœcundam; videt desidem, & efficacem. Amabo si adhuc nihil est in voluntate, quid tandem Deus videt? quibus oculis nihil aspicit, & quibus auribus audit nihil? fortè sicut scientia media inter visionem & simplicem notitiam interponitur, ita obiectum eius meditullium est inter nihil & aliquid, sed quid illud? Obseruat, inquies, Deus voluntatem operabundam, & nondum operantem; prægnantem, & nondum parturientem; vacuam, sed implendam; videt vota pendentia, & adhuc nulla, videt quò possit tendere, sed non quò tendat, quos nutus elicere queat, sed non quos eliciat; In quam partem flecti possit, sed nullos flexus. Bene est: ergo videt potentem operari, sed non operaturam; videt actum primum, non secundum; videt causam, sed nullum effectum, donec adueniat Dei præmouentis influxus voluntatem nutantem applicans, indifferentiam prædeterminans. Admittere autem aliquos

tus, aliquod pondus antequam Deus se adiungat, ratione cuius, *Vtraque causa mouet & mouetur, vtraque est prima, vtraque secunda, vtraque prior est, neutra posterior*, vt tandem Labbæus Theophili discipulus concludit, est quidem consectarium scientiæ mediæ, sed qua ratione cum fide causæ primæ cohæreat, fateor me non intelligere.

Reflexio.

Notat Augustin. in Psal. 62. Prophetam Regium non dixisse, Adhæsit anima mea tecum, sed *post te*. Quia nimirum non est formidandum decretum prædeterminans & præmouens, sed optandum: nam tunc solum peccamus quando Deum deficiendo præcedimus, si vero nos spiritu Dei agi fideliter sineremus, opus bonum qui incepit Deus ipse perficeret. *Agglutinetur* (inquit Augustin.) *anima tua post Deum, vt ille præcedat, tu sequaris*, qui enim vult Deum antecedere, consilio suo vult viuere, & perire. Et iterum in Psal. 9. *Quid beatius quam deponere superbiam, & non velle Christum præcedere? qui discipulum vocans vt perficiatur dicit, veni sequere me.* Commendat D. Ambros. l. 1. de Abrah. c. 1. celebre illud veterum sapientum dictum, *sequere Deum*. Id est, esto Dei pedissequus, non ductor; non ei præponas voluntatem tuam, sed supponas, seruias Deo præeunti, non eum seruire facias iniquitatibus tuis; voluntatem tuam diuinæ subiicias, non diuinam ad tuam detorqueas: denique ne festinando prodire, quia rues; sed sequi properes, quia alta pies, & non deficies. Hæc vitæ spiritualis summa est, Deum volentem agere non impedire,

v

sed sequi, se Deo, eiusque motionibus permittere, qui enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Noli, Lector, esse similis illi quem reprehendit Augustinus. l. de prædest. sanct. c. 2. & 3. qui *Quasi componit cum* Deo, *vt partem sibi vendicet atque illi partem relinquat, & quod est elatius primam tollit ipse, sequentem dat illi, & in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit posteriorem Deum* (vide obiter num ab hoc discrepent qui dicunt voluntate creatâ reddi efficacem & determinari motionem Dei?) *Non sic pius atque humilis Doctor ille sapiebat, Cyprianum beatissimum loquor, qui dixit, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.*

SPECVLATIO III.

Efficacitas prædeterminantis Decreti fouet & perficit humanæ voluntatis libertatem.

HAnc veritatem passim & ex professo probat Augustinus in omnibus suis libris quibus contra Pelagianos vel eorum reliquias decertauit, qui habentur tomo septimo. Obiicientibus enim Pelagio, Iuliano, Cælestio, & Monachis Adrumetinis & de oppressa sua per Augustini Doctrinam libertate queritantibus, nihil aliud respondebat Catholicorum Doctorum Aquila quàm: *Tunc verè liberi eritis, si vos filius hominis liberauerit.* Et: *Quando rogauit* (Christus) *ne fides eius* (Petri) *deficeret, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem?* Ecce qui-

modo secundum gratiam Dei, non contra eam libertas defendatur voluntatis, voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ libertatem, & vt perseueret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. de correp. & grat. c. 8. & Epist. 83. *Voluntas tantò liberior, quantò sanior, & tantò sanior, quantò Diuinæ gratiæ subiectior.* Et quod sicut voluntas ratione dominij in suos actus non eripit sibi libertatem, ita multò minus Deus, quia *magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas.* De correp. & grat. c. 14. Transcribendi essent Augustini libri, vt tanti Patris mens in toto suo splendore fulgens exhiberetur.

Astipulantur alij Patres. Gregorius Magnus, qui propterea inuisibilem Diuinæ voluntatis præmotionem *inuisibilem modificationem* appellat, quia mira vi modificatur & attemperatur libertati, *quia*, inquit, *latentibus modis premit in timore, & format in amore, & fit cuiusdam impulsionis nimietas in mente, cum nihil sonet in voce.* Prosper in respons. ad cap. Gall. *Gratia non abolet, sed adolet liberum arbitrium,* & Contra Collator. c. 38. *Opitulationes Diuinæ gratiæ stabilimenta sunt voluntatis humanæ.* Bernar. tract. de Grat. & lib. arb. *Gratia non aufert, sed transfert voluntatem.* D. autem Thomas tantum abest quòd efficacitatem Diuini decreti aduersari libertati arbitratus fuerit, quin potiùs non aliam assignat huius concordiæ firmiorem radicem, quam Decreti efficacissimi energiam. Sic enim loquitur 1. p. q. 19. art. 8. *Cum voluntas Diuina sit efficacissima, Non tamen sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Ex hoc ipso* (addit ad 2.) *quod nihil voluntati Diuinæ*

resistit, sequitur quod non solum fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessariò quæ sic fieri vult. Quo libertatis conciliandæ modo longè prius vsus fuerat S. Petrus, qui Simoni mago libertatis arbitrium inficianti, *quia*, inquiebat, *quod Deus vult esse est; & quod Deus vult non esse non est*, Respondit princeps Apostolorum: *Ignoras Simon, & valde ignoras quomodo in singulis quibusque voluntas Dei sit. Quædam enim voluit ita esse, vt aliud esse non possent, quam id quod ab ipso instituta sunt, & his neque præmia neque supplicia statuit. Ea verò quæ ita esse voluit, vt id sua potestate habeant agere quod velit, his pro actibus ac voluntatibus suis statuit, vt aut remunerationes mereantur aut pœnas.* Vides Apostolum necessitatem & contingentiam creatam in Diuinam refundere voluntatem, & ideo libertatem creatam cum efficaci Dei voluntate cohærere, quia oportet illum actum esse necessarium vel liberum, quem Deus ita esse decreuit. Referuntur hæc verba l. 3. recognit. D. Clementis sub initium.

Probatur ratione ex his testimoniis depromptâ: voluntas Diuina est prima causa actus liberi, & possibilitatis quam habet voluntas ad vtrumque; nam cum actus liber & possibilitas quam habet voluntas ad oppositum, dum liberè agit, sint aliquid reale, prorsus primæ causæ influxui subduci nequeunt: Atqui causa dum efficaciter ponit effectum non destruit, sed perficit illum: Ergo dum decretum Diuinum efficaciter prædefiniuit actum liberum, vel ad eum efficaciter mouet, non destruit, sed fouet libertatem, conseruatque possibilitatem ad oppositum. Sicut vitis influens in Palmites,

eos perficit & complet. Sicut etiam voluntas dum se ad actus determinat, non sibi aufert possibilitatem non eliciendi, vel in oppositum prorumpendi, sed potius libertatem explicat, & nobilitat. Quanto autem magis eam fouet Deus qui est prima radix libertatis, anima animæ nostræ, & Deus cordis nostri? Nam, vt ait D. Thomas q. 22. de verit. art. 8. *Sicut voluntas potest immutare actum suum in alium, ita & multò amplius Deus.* Et præclarè Innocentius I. in Epist. ad Concil. Carthaginense: *Ergo eris tibi in prouidendo præstantior, quam potest is esse, qui te vt esses effecit.*

Confirmatur: determinatio & consensus liberæ voluntatis, seu libertas actualis, quam habet voluntas etiam dum actu agit, causatur efficienter à decreto & omnipotentia Dei, sine qua factum est nihil, alias aliquid esset sub Dominio creaturæ, & non sub dominio Dei, quod est impium cogitare, dicitur enim Esther. 13. *Dominus vniuersorum tu es*, & specialiter de corde hominis dicitur Prouerb. 21. quod est *in manu Domini*, & quod *quòcumque voluerit vertet illud.* Ex quo principio de fide certo non solum sequitur decretum Diuinum præuiè debere mouere consensum liberum, siquidem determinatio & partialis influxus voluntatis non potest oriri à decreto vt causa efficiente, nisi decretum sit natura prius, cum omnis causa physica sit prior naturâ effectu; & planè repugnet decretum expectare determinationem voluntatis, si ipsa determinatio voluntatis debeat esse effectus decreti: Sed etiam ex illo principio infertur decretum efficax voluntati non adimere libertatem hoc modo: Decretum Diuinum habet summum &

ſupremum Dominium in actus omnes voluntatis noſtræ, imò non agit in voluntatem niſi ratione ſupremi dominij quod habet in voluntatem: Atqui voluntas ratione dominij quod habet in ſuos actus non ſibi eripit libertatem dum agit, & ſe determinat ad operationem, ſed potius eam perficit reductione actus primi ad ſecundum: Ergo pariter Deus ratione præfati Dominij voluntatem mouere & determinare poterit illæſo libertatis arbitrio. Hinc D. Thomas 1. cont. Gent. c. 68. ait: *Dominium quod habet voluntas ſuprà ſuos actus, per quod in eius poteſtate eſt velle & nolle non excludit influentiam ſuperioris cauſæ à qua eſt ei eſſe & operari, & ſic remanet cauſalitas in cauſa prima, quæ eſt Deus, reſpectu motuum voluntatis.*

Confirmatur rurſum, & ſimul præoccupantur omnes obiectiones, quarum robur inde ſolùm petitur, quòd non ſatis intelligant vel intelligere nolint aduerſarij, quomodo cum efficaci decreto, & effectum ſuum infallibiliter inferente componi poſſit libertas creata, ſeu facultas ad oppoſitum eius quod Diuina conſtitutio prædefiniuit. Et quia peccandi abiiciendæque gratiæ hominibus innatam & à peccato originali immensùm auctam poteſtatem experiuntur, ideo ſummum Dei in voluntates noſtras imperium detrectant. Naſcitur hæc difficultas ex eo quod non conſiderant Diuinam voluntatem non minus fortiter quam ſuauiter omnia diſponere, eiuſque impreſſionem vigorem ſimul & ſuauitatem infundere, & miris ac veris modis mutationem in cordibus operari; ita vt quotquot Dei miſericordi gratia tetigerit, ij quidquid volunt, Diuina ſtatuerit & prouſ ſtatuerit ſemper exe-

quantur, ita temperato cum libertate decreto, vt nec decreto libertas, nec libertati quidquam detrahat immutabilis decreti efficacia.

Id egregiè exprimit S. Francisc. Salesius amoris Diuini l. 2. c. 11. Gratia Diuina vires habet tantis deliciis conditas, vt sicut nihil est eâ fortius, sic nihil est eius fortitudine suauius: tam gratiosa est gratia, & tam gratiosè corda quò vult rapit, vt motibus suis fortiter quidem agat vt fortificet, sed non adigat; vires auget, non vt vim inferat, iuraue violet libertatis, sed vt voluntatem in amore boni vigentem & inuiolabilem reddat. Vnde aiebat sponsa: *Trahe me post te* (ecce gratiæ fortitudinem) *curremus in odorem vnguentorum tuorum* (ecce suauitatem) fortis plane voluntas Dei quæ trahit post se; sed suauis est illa fortitudo, quæ odoribus allicit, quibus delibuta voluntas dulcissimo, liberrimo, at infallibili motu ad Deum se conuertit. Sic affectus animus, sic cælesti suauitate perfusus voluntati Dei absolutè quidem resistere potest, sed non vult: nam quomodo vellet, postquam incepit caducas peccatorum voluptates fastidire, & æternum illud bonum sitire, in quo vno cætera omnia continentur? Non ergo voluntas Dei tollit libertatem, cum ab ipsa deriuentur non solum consensus inspirationi, sed & potentia dissentiendi, quamvis vt non dissentire velit efficaci motionis suæ dono perficiat. Hanc rationem apertissimè tradit S. Thom. 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. *Deus est prima causa mouens & naturales causas & voluntarias. Et sicut in naturalibus causis mouendo eas, non aufert quin actus eorum sint naturales; ita mouendo causas voluntarias non aufert quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis facit,*

operatur enim in vnoquoque secundum eius proprietatem. Vides tantum abesse quod decretum mouendo voluntates hominum earum libertatem actiuam tollat, quod *potius hoc in eis facit.* & in 2. d. 25. q. 1. a. 2. ad 1. *Etiamsi Deus voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc suâ omnipotentiâ facit, vt illud in quod mutatur voluntariè velit.*

Illustratur exemplis.

Ad maiorem huius veritatis confirmationem placet adducere quædam exempla, in quibus claret infallibilitatem vnius partis contradictionis consistere cum potentia ad oppositum. Primum petitur ex Christo Seruatore, qui sicut est caput omnium prædestinatorum, ita eius modus operandi sub gratia exemplar est omnis nostræ meritoriæ operationis. In Christo autem suppositum Verbi efficaciter mouebat sacram humanitatem ad omnes eius operationes. Tum quia actiones sunt suppositorum à quibus mediâ naturâ efficienter promanant. Tum quia aliàs operationes Christi non fuissent Theandricæ nec meriti aut valoris infiniti, nisi physicè & & realiter à Verbo humanitatem sustentante eamque applicante non profluxissent, vnde hæc sacra humanitas Ioan. 8. contestabatur: *à meipso nihil facio*: Atqui operationes humanitatis à supposito diuini verbi efficaciter applicatæ erant liberæ, vtpotè meritoriæ: Ergo efficax applicatio procedens à Deo non est incompatibilis cum libertate, seu potentia ad oppositum, si Verbum mouens humanitatem vt causa particularis non sustulit eius libertatem;

minus eam aufert dum agit vt causa vniuersalis; nam vt ait D. Thomas q. 3. de potent. art. 7. *Quantò aliqua causa est altior, tantò est communior & efficacior, & quantò est efficacior, tantò profundiùs ingreditur in effectum. Ergo Deus est causa actionis cuiuslibet, inquantùm dat virtutem agendi, & in quantum conseruat eam, & in quantum applicat actioni.*

Secundum exemplum desumitur ex ipsomet Christo, qui opera sibi à Patre præcepta libere exequebatur, v.g. liberè passus, liberè mortuus est. Tum quia id luculenter veritas testatur Ioan. 17. *Ego pono animam meam, & iterum sumam eam, Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre.* Vbi mirâ sapientiâ & libertatem & mandatum Patris in eodem opere conciliat. Tum quia ratio est euidens: etenim nisi Saluator ea opera liberè exercuisset, nihil actibus obedientiæ meritus esset, quod est manifestè erroneum, cum dicat Apostolus: *Factus obediens vsque ad mortem, propter quod Deus exaltauit illum &c.* Vbi præmium exaltationis ascribit merito obedientiæ vsque ad mortem. Atqui stante voluntate Dei per præceptum intimata Christus opera præcepta infallibiliter exercebat; si enim potentia consequente & reducta ad actum (quod idem est ac in sensu composito) potuisset illa omittere, potuisset paterna præcepta transgredi, subindeque Christus non fuisset impeccabilis, quod omni bonæ Theologiæ repugnat. Ergo libertas actiua non est incompatibilis cum infallibilitate proueniente à Deo, qui est omnis origo libertatis.

Tertium exemplum tale est : qui delectatione alicuius obiecti capitur, posset quidem si vellet illud relinquere & repudiare : Verum infallibiliter præualente maiori delectatione nunquam relinquet, nunquam repudiabit : voluptas enim sine necessitate quidem, sed indeclinabiliter voluntatem rapit, vnde illud tritum, *trahit sua quemque voluptas*, & illud Augustini : *Quod enim magis nos delectat secundum id operemur necesse est*, (intellige non necessitate absolutâ, sed infallibilitatis, iuxta doctrinam S. Thom. 1. 2. q. 112. art. 3.) Quis autem mentis compos asserat voluntatem delectatione illectam amittere libertatem ? Quasi vero tunc solum libera sit, cum aliquid ægre & repugnanter operatur ? Atqui non debemus denegare Deo centro delitiarum solidarum vim illam quam habent lenocinia in creaturis dispersa. Cur summa & prima pulchritudo intus radians, intus coruscans tam suauiter non poterit illabi, quàm delectatio peccatorum titillare ? Si iniquitas suis vestitur illecebris, eisne omnibus veritas exuetur ? si bonum falsum & verum malum suis impellit blanditiis, vnum & summum bonum diffusâ cælesti suauitate carnis delectationem superante cor ad se non cõuertet, vt suam in Deo voluptatem, suum in Deo gaudium collocet? Hinc Prosper contra collatorem cap. 6. *Deus hominem peccatorem ex inuito volentem facit : vt cor audientis obediendi in se delectatione generata, ibi surgat, vnde premebatur, ibi discat, vbi ignorabat ; inde fidat, vnde diffidebat ; inde velit, vnde nolebat.* Et cap. 26. *Agit hoc occulta & potens gratia Dei, non vt inuitum subigat, sed vt subiectionis cupidum faciat.*

Quartum exemplum : si amor sit Dominus

voluntatis, si nihil difficile, nihil impossibile amanti, si fortis est vt mors dilectio, si dura sicut infernus æmulatio, si pondus est suauissimum, iuxta illud Augustini: *amor meus pondus meum, eò feror quocumque feror.* Quid? Deus, quem discipulus amoris amorem essentialem vocat, dum ait, *Deus charitas est*, infirmior erit passione amoris creati? Pater & Creator voluntatis, qui Deus est, in voluntatem non poterit, quod valet amor filius voluntatis? Absit! absurdum est! Quæ enim potest esse ratio cur effectus consequens libertatem non lædat libertatem, quantumvis sit incompossibilis cum actu opposito, & quod causa ipsius libertatis quæ illam ponit & causat, tollat illam? Præsertim quia nihil in nobis agit Deus dum ad se permouet, quam amoris sui suauissimam propensionē, nam vt Diuinè dixit Augustl. 1. 4. ad Bonif. c. 5. *inspiratio dilectionis propriè gratia est*: Certè non intelligunt & multo minus experiuntur Decreti Dei mouentis suauitatem, qui voluntatis libertati quidquam detrahere immutabilem Dei voluntatem arbitrantur. Nam discipuli S. Augustini & D. Thomæ dum in efficacis decreti motione flectendæ infallibiliter voluntatis virtutem agnoscunt, non propterea à voluntate vim resistendi decreto etiam efficaci tollunt, sed constanter asserunt voluntatem posse quidem resistere, sed nolle; quia Deus facit vt velint homines etiam id quod nolle possent; non aufert potentiam, sed infundit amorem, quia, vt toties inculcat Augustl. dum *Deus agit in cordibus motum voluntatis eorum, facit ex nolentibus* (non impotentes, sed) *volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes.*

Quintum exemplum : ſi eloquentiæ maieſtas & pompa verborum leporibus allicit, ſententiarum grauitate ſuſpendit, concionis impetu atque viribus flectit omnes & quidem ſuauiſſimè : ſi Oratores eloquij nitore & cultu, ſermonum floſculis & pigmentis , figurarum concinnitate & apparatu, periodorum gratia & elegantia, argumentorum opulentia & varietate, eruditionis ſupellectile & amœnitate animos audientium ſecum rapiũt; vt nemo ſit tam durus, quem pura politaque oratio non protinus demulceat ; quis pauebit gratiæ Chriſti & Diuinæ voluntatis virtuti concedere, quod venuſtis vocum modulis non negamus ? Ægrene primæ veritati aſſeremus , quod Tullij facundiæ Romam verbo ſuo regentis , & orationum ſuarum ſuaui tyrannide quò volebat permouentis non abnuimus ? O cæcitatem ! O Indignitatem ! Cicero in Cauſa Ligarij Cæſarem vicit, ſententiam è manu , & odium è corde diuulſit , & ſimile omnipotentis Dei in voluntatem imperium fateri formidabimus, nec patiemur à gratia proficiſci voluntatis obtemperantis aſſenſum , contra illud certiſſimum Catholicæ fidei caput à Paulo prædicatum : *Deus eſt qui operatur in nobis velle , & perficere pro bona voluntate : & nos aptat in omni bono, & facit nobis quod placeat coram ſe. Hoc niſi credadamus* (inquit Auguſt. in Ench. c. 96.) *periclitatur ipſius noſtræ fidei confeſſionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim ob aliud vocatur omnipotens , niſi quia quidquid vult poteſt, nec voluntate cuiuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Succinit egregiè Fulgentius lib. de Incar. & grat. c. 29. O *quàm peſſimum nefas aſſeritur, dum*

Dei contumaciter repugnatur ! Et homines operâ Dei se in bonum mutari negant, qui homines non essent nisi bonitate Dei operantis existerent. Itane vero rerum ordo credi putariue permittitur ? vt Deus, qui creator est hominis, valeat hominem facere, non mutare ? Et qui nullius indiget adiutorio vt hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non possit, priusquam in homine ipsum velle repererit. Hanc amentiam & à fidelibus suis arceat, & ab infidelibus auferat Deus.

Sextò hanc concordiam eximiè explicat quidam recentior Theologus, qui claris familiaribusque exemplis explanat, quomodo gratia efficax dum voluntatem flectit, vim dissentiendi non eripit, nec inanem & commentitiam esse potentiam dissentiendi Decreto Dei efficaci, tametsi nullus vnquam actu dissentiat, nec in actum oppositum vnquam prorumpat. Verbi Gratia si quis ab homine iudicij compote peteret, vt se deorsum ex fenestra præcipitem daret, vel vt sibi nasum amputaret, vel oculos effoderet, manus truncaret, linguam abscinderet, vt suam exerceret ad huiusmodi actus veram quam habet potentiam, & præstandum libertatis suæ experimentum. Sic rogatus responderet se postulata efficere vtique posse, sed nolle, nec tanti esse sic experiri libertatem suam. Adderetque nullum in orbe toto inueniri posse, qui vt nuganti amico obsequatur oculos sibi velit eruere, nisi fortè in iis locis vbi concluduntur furiosi. Omnes quidem homines & possunt & potuerunt, sed nullus fecit, nullus facit, nullus faciet, quia nemo voluit, nemo vult, nemo volet. Ergo datur potentia quæ nunquam prorumpit

in actum, & voluntas à qua nunquam dissentitur.

Imò in omnibus pene officiis liberâ quidem sed tamen infallibili propensione homines determinantur, & pauca sunt in quibus appareat instabilis & versatilis indifferentia cui incommodare tam anxiè formidant Molinistæ. Affert enim consuetudo certum & infallibilem modum in plerisque rebus, affert cupiditas, affert turpitudinis fuga. Quis enim persuadeat viro cordato, vt nudus obambulet per vicos & plateas? Quis Episcopo vel Senatori, vt histrionico habitu incedat? Quis auaro, vt omnia pauperibus eroget. Sanè si ad certas actiones semper & infallibiliter mouet ratio, mouet cupiditas, mouet consuetudo, cur ipsum gratia non poterit? si nihil metuit liberum arbitrium à concupiscentia, à ratione, à consuetudine infallibiliter inclinantibus, cur libertati officiet infallibilis ad bonum ptopensio, quam diuina infundit voluntas? Quid enim efficit voluntas dei bona, & beneplacens, & perfecta? Vt deus homini dulcescat, vt mũdus amarescat; vt dei magnitudinem & æternitatem cogitans, suum in deo gaudium collocet, suam in deo salutem & felicitatem positam cernat, præsentiat, & gaudeat; vt demum peccati deformitatem, turpitudinem, calamitatem intimo animi sensu videat, horreat, detestetur. Sic comparata libertas, sic perfusa, sic affecta nunquam à gratia dissentiet, non quod non possit, non quod non posse se sentiat, sed quia sic constituta nunquam volet, quod velle posset. Voluntas quippe Dei nunquam tollit dissentiendi potestatem, sed actum inserit firmam & constantem non d[illegible]

tiendi voluntatem ; *Sic* enim *agit sensum, quod etiam accommodat assensum*, vt ait Augustus. Vnde non tollitur libertas, quia, vt pulchrè Bernar. de intet. Dom. c. 8. *Bona voluntas nec dari potest inuito, nec auferri nisi volenti.* Hinc Gilbert. serm. 21. in Cant. ait : *Gratia Diuina efficacissima est, & simul artificiosa ; ita vt nescio quid in ea magis mirer, artificium an efficaciam saluationis.* Et S. Fulgent. lib. de Incar. *Diuinâ gratiâ humanum non auferitur, sed corrigitur, non euacuatur, sed adiuuatur & seruatur arbitrium.*

Ex his omnia omnino euanescunt Sophismata, quibus hanc concordiam obscurant aduersarij, qui in hoc nobis imponunt, dum aiunt à Thomistis admitti tantum dissentiendi potentiam mutatis prærequisitis, & quod sublato decreto vel gratia voluntas potest oppositum, non illis stantibus. Quod tamen vel ignoranter vel calumniosè dicitur. Nam centies à Thomistis dictum est, se in voluntate fateri potentiam ad oppositum non solùm stante decreto & prærequisitis ad agendum, sed etiam stante actu opposito. V.G. non solum asserunt voluntatem stante decreto & præmotione ad amorem posse odisse, sed etiam dum actu amat habere potentiam ad odium, quia amor tollit quidem odium, sed non potentiam ad odium. Similiter igitur dicunt Thomistæ motionem diuinam non tollere, sed fouere potentiam ad oppositum ; sed negant actu contingere vt dissentiatur, quandiu manebit ea mentis affectio, quam gratia inseminauit.

Demum, hanc prætensam libertatis læsionem, quam toties nobis obiiciunt aduersarij tenentur ergo ea sententia soluere, quod hoc clarissimo

exemplo demonſtro. Poſita ſcientia Dei de meo conſenſu futuro non eſt amplius in manu mea, auertere illam ſcientiam infallibilem ; quæ non eſt minus immutabilis,&,ſi dicere licet, irreſiſtibilis quàm voluntas. Ergo ſtante ſcientia Dei de eo quod facturus ſum, oppoſitum non eſt factibile,nec fruſtrari poteſt Diuina ſcientia. Quomodo ergo non perit libertas in conſpectu ſcientiæ mediæ, & perit in conſpectu Diuini decreti ? Nec ſatisfacit effugium aduerſariorum dicentium eſſe diſcrimen, quia ſcientia ſupponit obiectum & libertatis conſenſum, non cauſat,ſicut decretum. Nam eſto quod ſcientia ſupponat obiectum, tamen tota æternitate antecedit executionem operis in tempore producti : Ergo actus in executione ponendus ſupponit ſcientiam quæ nec auerti, nec fruſtrari poteſt : Ergo alligatus eſt hic actus cuidam conditioni inimpedibili. Næ parùm refert, parùm ſatisfacit quod ſcientia explorauerit, ſi hîc & nunc actus meus ſit alligatus ſcientiæ Dei neceſſariæ, quam auertere nullo modo poteſt. Hanc rationem vrgebat Auguſt. l. de don.perſeuer.c. 15. his verbis : *Iſta à confitenda prædeſtinatione ſanctorum deterrere non debent. Sicut non deterremur à confitenda præſcientia Dei, ſi quis ita populo loquatur, vt dicat : ſiue nunc rectè viuatis, ſiue non rectè, tales vos eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſciuit ; vel boni,ſi bonos ; vel mali,ſi malos. Nunquid enim ſi hoc audito nonnulli in torporem ſegnitiemque vertantur, & à labore proclines ad libidinem poſt concupiſcentias ſuas eant, propterea de præſcientia Dei falſum putandum eſt eſſe ?*

Soluuntur obiectiones.

Obiicies : voluntas stante Dei decreto, & præuenta motione illius efficaci non retinet potestatem ad oppositum, si non habeat vim expellendi Dei motionem ; si enim voluntas non possit abiicere motionem efficacem ad amorem, quomodo poterit elicere odiũ cum illa motione incompossibile ? Atqui voluntas nequit frustrare efficax & prædeterminans Dei decretum, nec expellere motionem ex eo deriuatam, aliàs illa præmotio non esset efficax : Ergo Decretum Dei prædeterminans, & gratia efficax ex ipso promanans non possunt componi cum potentia ad oppositum, nec subinde cum libertate.

Respondeo huius argumenti conterendi gratia S. Augustinum sæpius libros edidisse. Nominatim vero huius occasione librum de gratia & libero arbitrio elaborauit. Vbi cap. 20. sic ait : *Satis me disputasse arbitror aduersus eos qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, & cum bona fuerit adiuuatur..... Scriptura diuina si diligenter inspiciatur ostendit bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, ita esse in Dei potestate, vt eas quò voluerit, quando voluerit faciat inclinari.* Vides Augustinum deffendere efficaciam omnipotentissimam Diuinæ gratiæ, quia credebat esse veritatem in Scriptura contentam, *quam Diuina Scriptura locuta sit euidentissimis testimoniis veritatis*, vt ait ibidem.

Dicendum ergo Decretum & gratiam efficaciter mouere libertatem non tollendo potentiam ergo oppositum, putà odium alicuius obiecti, sed

inſerendo & applicando ad amorem. Quare vt aduerſariorum ſophiſmatis veluti ab aranearum telis expediaris, vno verbo dic, voluntatem poſſe quidem reſiſtere, fruſtrare, abiicere, & expellere Diuini decreti motionem, ſed nunquam reſtituram, nunquam fruſtraturam, nunquam abiecturam vel expulſuram, quia in hoc conſiſtit efficacia Diuini decreti & præmotionis quam immittit, non quod tollat potentiam ſibi reſiſtendi, ſed quia confert inuictam voluntatem non reſiſtendi, &, vt opportunè dixit S. Proſper l. 2. de vocat. gent. c. 28. *Deus ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis ipſam mutabilitatem, qua poteſt nolle, non auferat.*

Scio alios reſpondere voluntatem tametſi non poſſit reſiſtere Diuino decreto, manere tamen liberã & cum potentia ad diſſenſum: quia tantum abeſt quod poſſe diſſentire ſit poſſe reſiſtere Dei decreto, quia potiùs conforme ſit naturæ decreti, vt faciat non ſolum voluntatem conſentire infallibiliter, ſed etiam conſentire cum potentia ad diſſenſum, & cum indifferentia actiua, cum decretum ſit cauſa non ſolum actus, ſed etiam modi libertatis illius. Quæ doctrina in rei veritate ſolida eſt, ſed prima ſolutio eſt planior, & vix contra eam poſſunt aliquid mutire, vt ſæpius inter diſputandum expertus ſum. Et eam tradit D. Thom. q. 23. de verit. art. 5. ad 3. *Quamuis non eſſe effectus diuinæ voluntatis non poſſit ſimul ſtare cum diuina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum ſimul ſtat cum Diuina voluntate: non enim ſunt iſta incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſaluari, & iſte poteſt damnari: ſed iſta ſunt incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſaluari, & iſte damnetur.*

Dices: præmotio Diuini decreti non [illegible]

manu & potestate nostræ libertatis, eiusque influxus pendet à sola & gratuita voluntate Dei: ergo ea stante voluntas non habet potentiam ad oppositum, si enim præmotionis efficacia inferens infallibiliter actum non sit in mea potestate, quomodo erit in mea potestate suspendere actum ad quem datur, vel ponere eius oppositum?

Respondeo præmotionem non esse in nostra potestate quasi effectiuè & originatiuè, cum à nobis non deriuetur, esse tamen in nostra potestate quasi terminatiuè & quoad vsum, quia ad hoc tendit & terminatur illa motio vt voluntas habeat vsum, & exercitium libertatis actualis conseruando potentiam ad oppositum, & indifferentiam non otiosam & suspensiuam, sed actiuam & Dominatiuam quam habet voluntas super actus suos etiam dum actu agit. Adde ex dictis quod quamvis præmotio non sit in potestate mea, facit tamen actum esse in potestate mea, quia suauitas & efficacia Diuina nunquam tollit dissentiendi potestatem, sed solum ingenerat certam & fixam non dissentiendi voluntatem. Ex quibus in forma triplici distinctione conuelli potest illa propositio: præmotio non est in manu & potestate mea, originatiuè & quoad influxum conc. terminatiuè, & quoad vsum nego. Vel, non est in manu mea tanquam effectus à me libere productus, conc. tanquam causa libertatis meæ, nego. Vel, non est in potestate mea & facit actum esse in potestate mea concedo, & facit actum non esse in potestate mea, nego.

Vrgebis: voluntas stante decreto non habet potentiam expeditam ad oppositum sed impe-

ditam, cum habeat impedimentum obstans ne oppositus actus vnquam ponatur, quod impedimentũ nec voluntas posuit, nec tollere potest: ergo stante decreto non manet illæsa libertas.

Respondeo voluntatem sub decreto habere potentiam expeditam, tam benè ac quando elicit actum amoris habet potentiam expeditam ad actum odij. Et ratio est, quia determinatio ad actum sicut & actus ipse non sunt impedimentum, sed exercitium potentiæ, nec subinde sunt obstaculum coarctans facultatem, sed solum impediens ne duo actus oppositi coniungantur, ad quam actuum oppositorum coniunctionem nulla datur potentia. Vnde facilè distingues, præmotus habet impedimentum obstans coniunctioni actuum oppositorum concedo, ligans potentiam ad oppositum, nego. Sicut materia habens vnam formam habet quidem impedimentum excludens coniunctionem alterius formæ cum ea quam habet, sed non auferens capacitatem ad aliam quamcumque formam secundum se consideratam. Vel iterum distingue, præmotus habet impedimentum tollens potestatem, nego; inferens constantem voluntatem conc. quia vt ait Augustin. de correp. & grat. c. 12. *Subuentum est voluntati nostræ, vt indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma non deficeret, nec aduersitate aliqua vinceretur.* Imò addo gratiam & Decreti Diuini motionem perperam vocari impedimentum, cum voluntatem expediat, eius inertiam excitet, excutiat teporem, otium ac suspensionem exerat, & vincula peccatorum dirumpat.

Instabis: saltem quando Deus non habet decretum efficax de positione alicuius actus mihi

præcepti, nec dat mihi motionem efficacem ad illum, tunc non ero liber nec habebo potentiam expeditam ad illum ponendum, siquidem carebo aliquo ex necessariò prærequisitis ad eius positionem: vt autem liberè & culpabiliter omittam aliquem actum debeo esse instructus omnibus ad agendum prærequisitis: Ergo stante opinione de decretis prædeterminantibus perit libertas creata, cui non poterit imputari omissio alicuius præcepti, nec proinde de ea iuste corripi, si necessaria sit efficax Diuinæ motionis applicatio.

Respondeo hoc argumentum supra dum de scientia media solutum esse, versando locum illum *væ tibi Corozain.* Vbi ostendimus vetus illud sophisma contriuisse Paulum, & occasione illius scripsisse Augustinum eximium librum de corrept. grat. vbi cap. 4. sic eandem proponit obiectionem: *Rectè corriperer si eam* (bonam voluntatem) *meâ culpâ non haberem; hoc est si eam possem mihi dare, vel sumere ipse, nec facerem; vel si dante eo, accipere noluissem.* Et cap. 5. *Cum ergo & ipsa voluntas præparetur à Domino, cur me corripis? quia vides me eius præcepta facere nolle, & non potiùs ipsum rogas vt in me operetur & velle?* Vides manifestè ipsissimum aduersariorum motiuum, & tamen D. Augustinus nullibi limpidiùs, nullibi expressiùs, vel neruosiùs adiutorij Diuini indeclinabilem efficacitatem quàm eo libro significauit: non debemus ergo propter hunc cauillum à veritate dimoueri. Quam grandis consolatio opinioni Thomistarum, nullis se argumentis pulsari, quibus impetita non fuerit Augustini sententia! Quam deploranda desolatio, & quam parum

tuta

tuta eorum ſors, qui non alia in Thomiſticam ſententiam tela vibrant, quam quæ in Auguſtinum aduerſarij olim ſui iaculati ſunt! Næ eadem eſt Auguſtini & Thomiſtarum Theſis; ſi eadem contra vtramque militent argumenta.

Dicendum igitur quod etiam dum careo efficacia decreti habeo libertatem expeditam ad ponendum actum imperatum, quia non careo aliquo ex prærequiſitis vt poſſim, ſed ſola applicatione qua agam; careo, inquam, ex mea culpa, qui libere & voluntarie me applico actui cum imperato incompoſſibili; cum enim non detur omiſſio volũtaria ſine aliquo actu, planum eſt quod dum homo omittit aliquid imperatum non debet excuſare excuſationes in peccatis ob denegationem efficaciæ Diuinæ, quam Deus non ſubtrahit niſi propter impedimentum voluntarium ipſius hominis occupantis ſe voluntarie circa aliud, & reddentis ſe impotentem, & repugnantem per exercitium actus liberi incompatibilis cum auxilio ad implendum opus præceptum neceſſario. Mentitur ergo iniquitas ſibi, dum negligentiam ſuam in denegatam motionem refundit, cum eam peccatoris culpa vel præcedat vel comitetur. Vnde peccatores ſi non expreſsè ſaltem tacitè & in actu exercito illud vſurpant, quod quidam impij Diuino rebelles lumini effutiebant Iob. 21. dicentes Deo, *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Iuſtè ergo culpantur, iuſtè corripiuntur, iuſtè puniuntur, inquit Auguſt. lib. cit. c. 7. *Quia ex bona in malam vitam ſua voluntate mutati ſunt.*

Inſiſtes: neceſſitas vel ſuppoſitio antecedens indiſſolubiliter connexa cum effectu tollit libertatem & potentiam ad oppoſitum, vt ſæpè

cet Anselmus. Et ratio est, quia eam impedire non potest voluntas nec vincere. Atqui necessitas ponendi actum à Deo prædeterminatum est antecedens, cum eum natura & causalitate præcedat. Ergo per eam tollitur humana libertas, nec eâ minus impeditur quam homo inctus catena ferrea, qua fuit ab alio ligatus.

Respondeo quòd suppositio antecedens causatiua libertatis eamque *profundens*, vt loquitur D. Thomas, non offendit, sed perficit libertatem, cum eam de actu primo ad secundum reducat, dum, vt ait Bernar. l. de grat. & liber arbit. *Deus voluntatẽ applicat operi, & opus explicat voluntati*; & de hac antecedentia non loquitur S. Anselmus, cum expressè dicat l. de concord. c. 1. *Quoniam quod Deus vult non potest non esse; si Deus vult voluntatem humanam nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Vbi eodem planè modo ac D. Thomas efficaciæ Diuinæ voluntatis ascribit modum libertatis operationum nostrarum, & rationem dat cap. 10. quia *quamvis suâ voluntas vtatur potestate, nihil tamen est quod Deus non faciat in bonis suâ gratiâ.* Quare solam antecedentiam tanquam libertatis inimicam reiicit, quæ prædeterminet per modum naturæ extinguendo indifferentiam iudicij, & ligando potentiam & capacitatem voluntatis.

Porrò quam insulsa sit comparatio motionis Diuinæ cum funibus vel catenis, quibus mancipium constringitur, nemo non videre potest. Nam quæ conuentio membri astricti cum voluntate? Corpus enim non est potentia libera vel capax libertatis, nec potentia progressiua formalem participat libertatem, (cum in bru-

tis inueniatur) ineptè ergo comparatur pes ligatus cum voluntate formaliter & essentialiter libera. Sed quæ affinitas præmotionis cum compedibus ? Vincula enim astringunt potentiam progressiuam, præmotio vero non ligat, sed excitat, sed inclinat, sed applicat operi ; vnde melius compararetur pennis, quas Propheta postulabat : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ ? & volabo & requiescam.* Vel oleo effuso, quo inungitur currus, vt citiùs & suauiùs impellatur, iuxta illud : *Viam mandatorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Ineptiùs ergo compedes præmotioni conferuntur. Ineptissimè autem Deus mouens homini catenas iniicienti comparatur. Nulla enim creatura quantumvis perfecta potest in humanam voluntatem illabi, sed tantum extrinsecè, & obiectiuè allicere : sed quantum id verius est de homine non alliciente, sed affligente per catenas ? At vero Deus scrinium & sinum cordis ingreditur, quia solus est causa voluntatis. Nam, vt discurrit S. Doctor. 3. cont. gent. c. 88. *Illud solum agens potest causare motum voluntatis absque violentia, quod causat principium intrinsecum huius motus : hoc autem est Deus, qui animum solus creat.* Et q. 22. de verit. art. 9. *Mutare actum voluntatis non potest nisi quod operatur intra voluntatem, hoc est ipsa voluntas, & id quod est causa esse voluntatis, quod secundum fidem solus Deus est : vnde solus Deus potest inclinationem voluntatis, quam ei dedit transferre de vno in aliud secundùm quod vult.* Denique diuersus est effectus funium & præmotionis : nam ligatus inuitus & coactus detinetur : At vero motio Diuina facit ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes. Vnde filij Dei qui spiritu gra-

aguntur, accipiunt *annulum honoris, titulum libertatis, pignus Spiritus sancti*, vt ait Chrysol. serm. 5. Felix vinculum, quo Deo copulamur! Sed quam suauis, nexus, qui nihil nisi amorem inspirat! *Trahameos in funiculis Adam, in vinculis charitatis.* Quis charitatis vincula formidet? Quis suam sibi eripi libertatem expauescat his funiculis amoris? Audiat qui huiusmodi est August. de correp. & grat. cap. 14. *In cordibus hominum quod voluerit operatur; ac per hoc Dominus omnipotens adduxit istos. Et quomodo adduxit? Nunquid corporalibus vllis vinculis alligauit? Intus egit, corda tenuit, corda mouit.* Chrysologum: *Amor quem ligat, liberat; quem onerat, ornat & coronat.* Hinc spiritus gratiæ appellatur. *Spiritus principalis* Psal. 50. quia mouendo non facit nos seruos, sed principes, vtpotè cum efficiat nos vitiis, passionibus, & concupiscentiis principari.

Plures alias instantias retorriddas & sæpissimè decantatas missas facio, quia passim in cursibus philosophicis inueniuntur & soluuntur, dum de præmotione physica disputatur; sed quia perpetuo ludunt in quibusdam propositionibus modalibus sophisticè combinatis, visum est hos tricos Dialecticis relinquere, & ea solum argumenta proponere, quæ Theologicam non dedeceant grauitatem. Id tamen aduertas peruelim, quod distinctiones vulgatas sensus compositi & diuisi, potentiæ antecedentis & consequentis aliasque non adhibui, quia ad exsufflanda aduersariorum sophismata sat est, si semper præ oculis habeas constanter esse negandas omnes propositiones in quibus dicitur quod voluntas non potest dissentire, abiicere, resistere & etiam voluntas præmota hæc omnia potest,

ſed nunquam volet. Hac vnica reſponſione arguentem ad anguſtias reduces, nec poterit muſſitare.

Vt tamen morem geram conſuetudini paucis exponam ſolitas diſtinctiones. Dicimus ergo quod voluntas etiam ſtante præmotione ad amorem poteſt odiſſe non in ſenſu compoſito, ſed in ſenſu diuiſo; potentia antecedente, non potentia conſequente; potentia poſſibilitatis, non potentia futuritionis; potentia capacitatis, non poſitionis; potentia actiua, ſed non actura; & denique ſimultate potentiæ, ſed non potentia ſimultatis. His enim omnibus diſtinctionibus hoc ſolum prætendimus voluntatem etiam ſub motione efficaci poſſe odiſſe & diſſentire ſi velit, ſed nunquam diſſentire, numquam componere diſſenſum cum præmotione ad conſenſum; quia poſſe in ſenſu compoſito, & potentia conſequenti &c. eſt poſſe potentia actu coniuncta cum actu illo quem dicitur poſſe producere. Hæc autem duo ſunt incompoſſibilia quod ſit præmotio ad amorem & ſimul odium, quia cum illa motio ſit efficax & coniuncta cum amore, ſequeretur componi actu in voluntate amorem & odium, quod repugnat. Poſſe vero in ſenſu diuiſo, potentia antecedente &c. eſt habere potentiam proximam non impeditam, ſed affectam intrinſeca indifferentia ad producendum odium in ſe ſpectatum, diuiſim tamen ab amore cum quo componi non poteſt. Vno verbo: voluntas præmota ad amorem reſpicit & amorem & odium, amorem vt futurum, odium vt poſſibile. Hac via facile Decretum & gratiam cum libertate conciliabis, Deo primatum ſeruabis, totum ipſi dabis, & veram humilitatem, quæ cu[illegible]

gratiæ est, cum Augustino retinebis, si eius sententiæ firmiter adhæreas. Nam vt modulate pangebat Prosper l. de ingratis c. 3.

istius (scilicet Augustini) ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Qua mites humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrina immittere riuos.

Corollarium momentosum.

Ex his etiam manifestum apparet discrimen sententiæ Thomisticæ & Caluinianæ. Ad cuius euidentiam sciendum quòd Conueniunt Caluinus & Pelagius in eadem propositione, asserentes gratiam efficacem & Decretum Dei tollere libertatem. Videns enim Pelagius secundum Scripturam & experientiam dari liberum arbitrium gratiæ efficacitatem negauit. Caluinus vero aduertens Scripturam & Patres, præsertim vero Augustinum inculcare Diuinæ voluntati numquam resisti, gratiæque Diuinæ vim, prout vult, cordis duritem emollire, liberum arbitrium extinguere fatetur. Quamobrem error vtriusque Hæresiarchæ in mala consequentia & illatione positus est. Thomistæ vero è diametro & per omnia Caluino opponuntur, & in antecedente, & in consequente, & in consequentia. In antecedente quia Caluinus admittit gratiam necessitantem, indifferentiam actiuam opprimentem sola sola spontaneitate voluntatis: Thomistæ [illegible] volunt gratiam fouere potentiam ad oppositum, etiam dum actu mouet. In consequente,

quia Caluinus liberum arbitrium adimit, asserens esse titulum sine re, vel rem de solo titulo: Thomistæ vero liberum arbitrium prædicant post peccatum quidem infirmum, sed minimè extinctum. Denique in consequentia, quia ex efficacitate Diuinæ voluntatis libertatis exterminium impiè simul & ineptè Caluinus subintulit: Thomistæ vero efficaciam Diuinæ voluntatis non tollere sed causare creatam libertatem asseuerant.

Hinc apparet quam temeraria sit quorumdam perfrictæ frontis audacia, qui Thomisticam de gratia efficaci sententiam cum impio Caluini dogmate confundunt. Quo sanè impudorato ausu maius sibi dedecus asciscunt, quam nobis intentent; adeo ad gratiæ gloriam, moderante ipsa gratia, cuncta concurrunt. Nam cum sanctissima gratiæ efficacis ad omnes pietatis actus necessariæ doctrina tantam apud omnes doctos authoritatem & venerationem obtineat, & maiorem apud solidè pios; cum Catholicæ Ecclesiæ chara sit tanquam pretium sanguinis sponsi sui, ideoque eam in omnibus fermè orationibus suis flagitet; non poterant sibi magis aduersari, officere, quam dum tam Orthodoxam Doctrinam cæco & præcipiti impetu imprudenter oppugnarunt, & Caluinissimi insimularunt. Non poterant etiam euidentiorem suæ ignorantiæ significationem prodere. Nam errorem Caluinianum à Tridentina Synodo percussum quis Thomistarum non toto animo detestatus est? Quis abiiciendæ gratiæ potestatem inficiatus est? Omnes & singuli non minus acriter aduersus Caluinistas dissentiendi à gratia etiam efficaci etiam victrice potestatem voluntati asser-

quam gratiæ efficaci summum in voluntatem Dominium aduersum Semipelagianos vindicant, vtriusque Catholici dogmatis peræque tenaces, vtriusque erroris oppositi peræque hostes. Necessitatem Caluini abominamur, & impium pariter Semipelagianorum & sequacium dogma subruimus, qui negant à gratia profisciſci voluntatis gratiæ obtemperantis assensum.

Desudauit iam pridem Theophilus Raynaudus ad creandam insontibus apud vulgus inuidiam, vt Consensionem Bannis cum Caluino suaderet in opere *de Religione bestiarum*, sub assumptitia larua *De la Riuiere*, sed tam irrito tamque infelici conatu, vt nihil miser fœtus nisi solam lectorum indignationem, & Romanæ Ecclesiæ censuram meruerit. Exortus est deinde Franciscus Annatus Molinistarum partium caput & rector hanc calumniam instauraturus in libro pro defensione scientiæ mediæ edito, vbi Thomistas & Caluinistas non nisi verbo tenus & penes loquendi modum discrepare effutit, iustamque esse Catholicorum suspicionem, quæ primam sententiæ Thomistarum cum sententia Nouatorum affinitatem timet. Sed rationum suarum inanitatem, & calumniarum atrocitatem matutiùs considerans Pater Annatus iam annosus & senex conscientiâ actus & pœnitentiâ ductus (vt credibile aut saltem probabile est) quidquid scripserat iunior, retractauit. Nam in responsione ad 17. Montaltij Epistolam, sic formaliter ait: *Caluinus ita gratiam efficacem defendit, vt ab illa nullam aliam nobis relinqui libertatem putet, nisi eam quæ dicitur à coactione: Catechumenus ab ista gratia necessitatem imponi quæ potestatem non auferat resistendi, quamdiu gratia perseuerat.*

Catholici Doctores, Thomistæ, Scotistæ, Sorbonistæ, Iesuitæ inter se consentiunt gratiam per se efficacem ita regere voluntatem, vt vim & potestatem resistendi ei non adimat. Et lib. de libert. incoacta, pag. 226. *Quem inuenient Ianseniani inter Thomistas, qui concedat ita necessarium consensum quem voluntas præbet motioni gratiæ, quandiu illa inhæret, quomodo necessarius est amor beatificus quandiu durat visio? Quem inuenient qui dixerit voluntatem diuinâ gratia prædeterminatam carere proximæ ad dissentiendum potentia? Quem dabunt qui distinctionem sensus compositi & diuisi sic interpretetur, vt sensus sit voluntatem à Deo motam posse dissentire, quando illa motio abierit, & aduenerit alia?*

Miraris, Lector, nisi meus me fallit animus: & hæc dum audis, nonne in animum induceres tuum, Ioannem à S. Thoma, Gonzalem, Nazarium, vel Aluarem loquutos? Minimè gentium. Is est Pater Annatus olim accusans, iam excusans Thomistas; percutiens, iam sanans; humilians & sublevans; mortificans & viuificans. Quia nimirum in ætate animorum, acuuntur annis mentis oculi, dum corporis hebetantur ocelli: discrimen quod Thomistas inter & Caluinistas iunior non aduerterat aduersarius, clarè vidit iam prouectior.

Gratulamur venerando Seni, quòd non infamiæ ducat priora sua iudicia rescindere, quod non pigeat reuocare quod à se deprehendit præcipiti impetu, non veritate prolatum. Res sanè plena æquitate & laude digna, fateri se hominem, & humani à se nihil alienum putare, seque in quæstionibus facti infallibilem non arbitrari. Confidimus à Deo condonanda iu-

tutis ipsius delicta, & dimittendum illud peccatum, postquam restituit ablatum, & tam solemniter restituit in vltimo senectutis suæ testamento; in opere, inquam, dicto *La conduite de l'Eglise, & du Roy*, vbi octodecim discrimina Thomistas inter & Caluinistas (quibus Iansenianos adiungit) tota accuratione prosequitur.

Sed Diuinæ gratiæ vim & efficaciam adora, Lector, *Qua comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia dissipat*, vt dicitur Iob 12. *Quia eius consilio militant & seruiunt cum resistunt*, vt exponit Gregorius. *Vt miro & ineffabili modo non fiat praeter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem*, ait August. Debuit gratia efficax juuenis Annati lapsum permittere, vt æmulum suum ipsius telis euinceret, & contrariis scriptis veluti propriis laqueis irretiret. Non poterat melius suæ efficaciæ suauitatem demonstrare, quam cum aduersarij & pugnatoris sui argumenta suis fecit vtilitatibus militare. Nihil in veritatem violentia, in violentiam veritas valet. Nullus atrocioribus maledictis Thomistas conscidit juuene Annato: nullus Thomistarum innocentiam illustriorem & notiorem effecit sene Annato. Nullus maiori impetu Caluinismum improperauit juuene Annato; nullus ab hac calumnia Thomistas accuratiùs vindicauit sene Annato. Nullus maiori arte gratiam efficacem oppugnauit; nullus magis effecit vt doctrina illa firmior esset, atque munitior. Nullus vnquam magis omnia miscuit, vt veritatem Augustino Thomisticam infamaret; nunquam hominibus doctioribus persuasum fuit hanc assertionem inter certiora Theologiæ capita esse

reponendam. O Felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere ſucceſſum ! Felix error quo factum eſt, vt Thomiſtarum de gratia ſenſus, quẽ euerſum volebat iuuenis, ab ipſo ſene & maturo vel maximè ſtabilitus ſit, & cauſam gratiæ & noſtram egerit Molinæ defenſor! Quia veritas à nobis ſtabat, nobis etiam ſilentibus ipſa pugnauit, nobis ipſa vicit, nobis *ſalutem ex inimicis noſtris* ipſa attulit, & nos ab aduerſariis quamlibet potentibus, ſicut ipſamet promiſit, liberauit.

Nec te moueat, ſi interdum Caluinus & Sectarij eaſdem cum Thomiſtis diſtinctiones vſurpent : nam in primis in longè diuerſo ſenſu procedunt, & vafritie hæreticis innatâ nihil aliud ſatagunt quam hæreſum venena Catholicorum verbis veluti melle oblinire ; veniunt enim ſub veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Quid mirum eos verbis Catholicorum fucos & colores quærere, qui teſtimoniis Scripturæ vtuntur paſſim, & paſſim abutuntur ? Siue enim apud ſuos, ſiue alienos, ſiue priuatim, ſiue publice, ſiue in ſermonibus, ſiue libris, ſiue in conuiis, ſiue in plateis, nihil vnquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur. *Sciunt enim* (ait perelegantèr Vincentius Lirin. in Commo.) *Fatores ſuos nulli ferè cito eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur, atque idcirco eos cæleſtis eloquij veluti quodam aromate aſpergunt. Mala gramina & noxios ſuccos medicaminum vocabulis præcolorant, vt nemo ferè vbi ſuprà ſcriptum legerit remedium ſuſpicetur venenum.* Sed ex fructibus eorum cognoſcimus eos, cum ceperint voces & diſtinctiones illas exponere ; tunc enim nouitius

rus exhalatur, & intelligitur ab ipsis Ecclesiastica dogmata lacerari. Certè si ipse Sathanas transfigurat se in Angelum lucis, non est magnum, si discipuli eius transfigurentur in discipulos veritatis. Præclarè S. Leo Magnus serm. de ieun. 7. mens. de hæreticis ait: *Humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt, quia non possent veras & simplices oues fallere, nisi Christi* (& Catholicorum) *nomine tegerent rabiem bestialem.* Turpitudinem suam ipsa impietas erubescit; velis indiget quibus se aliis obtegat. Hæc fuit Caluinistarum ratio, cum horrendas blasphemias voluerunt inuehere, veriti suas impietates à Christianis ferri non posse, vnde variarum distinctionum fucum à Thomistis subfurati sunt, quia eos Catholicissimos, & fidei Quæsitores sciunt; & sub illis opinionum suarum fœditatem occultare nisi sunt, quia *omne malum pudore naturæ perfudit.*

Add: testimonium hæreticorum esse omnino infirmum, neque enim vnquam prudenter creditur iis hominibus, qui Deo fidem detrectant. Præsertim quia incertum, varium, ac versatile est hæreticorum ingenium, quo sæpè contraria effutiunt, & quæ prius astruxerant posteà destruunt. Adde rursum quod sicut Caluinistarum nonnulli ad suæ causæ præsidium Thomistarum distinctiones aduocant, ita & plures inueniuntur qui se scientiæ mediæ clypeo tutentur. Ij sunt Arminiani duce Iacobo Arminio, quorum occasione coactum est Conciliabulum Dordrechtanum, de quo tomo sequenti fusior habebitur sermo. Iam quæro quænam periculosior consensio cum Iacobo Arminio se Molinistam præ[illegible]an cum Tauisio se Thomistis assentiri

mentiente ? Nonne ambo hæretici ? Nonne peræqne à Catholicia fide extorres ? Si ergo Thomiſtarum cauſæ noceat Tuuiſij & aliorum in eorum placita inclinatio, quomodo Moliniſtarum ſententiæ non nocebit Arminianorum ſtudium, & armorum ſocietas ? Quæ veriſimilis diſparitas ? Certe ſi nos ad illam, Quæ cordatos decet, præiudiciorum vacuitatem redigamus, Eodem loco Arminium & Tuuiſium reponemus, vterque diſcipulos habuit Caluiniſtas, neuter ergo authoritate ſuperior. Vtinam vtinam in nullo alio peccarent Arminiani, quam in illo erga Moliniſtas affectu ! Vtinam in nullo alio peccaret Tuuiſius, quam in illo Thomiſticarum diſtinctionum vſu, & cæteros errores ſuos eiurarent ! Id in eis efficiat gratia efficax, à qua ſola tantum miraculum ſperare licet.

Si plura deſideres, Lector Erudite, legeſis eximias P.P. Baronij & Goneti Lucubrationes, quibus exarmarunt Caluiniſtas ab illis diſtinctionum præſidiis quibus petuerſiſſimè detortis abutebantur, & patefactis hæreticorum fraudibus ſimul à tantis quibus ſchola Angelica abundat viris tantam defenderunt iniuriam, & æmulorum noſtrorum calumnias clariſſimè reuicerunt. Quamobrem operoſiùs hæreticos Thomiſtarum Patrocinio, quod ſibi per ſummam fraudem & maiorem vendicant iniuriam, non nudabo. Omnia enim quæ dici à me poſſent, à præclariſſimis illis ingeniis præoccupata ſunt.

Reflexio.

Dicet mihi aliquis : ergo agimur, non agimus. Spondeo, imò agis & ageris ; & tunc benè agis.

illo agaris, inquit Aug. serm. 13. de verb. Apost. Negent qui voluerint Diuinæ voluntatis efficacis & prædeterminantis firmitatem, qui suam ignorant infirmitatem. Ab ea suæ metuant libertati, qui peccatorum volunt se subiicere seruituti. Tuæ voluntatis efficaciam, Deus Optime, supplex peto, qui eius vim agnosco, mei indigentiam experior; quia sæpè, vt ait August. l. 4. cont. Iul. c. 16. *Tentat error, vt decipiat; tentat labor aut dolor, vt frangat; tentat libido, vt accendat; tentat mœror, vt sternat; tentat Typhus, vt extollat. Et quis explicet omnia festinanter, quibus aggrauatur iugum super filios Adam?* Nihil magis timeo quam me mihi dari, quam meæ tradi voluntati, quia vt ibidem ait idem Sanctus. *Donatus est homo sibi, quia deseruit Deum placendo sibi, & non obediens Deo, non potuit obedire nec sibi.* Libera ergo me Dominine à libertate mea, quæ sibi relicta miseram tandem peccando incurrit necessitatem. Perdam enim libertatem, & incurram necessitatem, si meæ dimittitar libertati, quæ ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. Vt autem veram inueniam libertatem Diuinæ efficaciæ meam subiiam voluntatem.

Omnis homo naturaliter Pelagianus est, quia naturaliter quodcumque subdens libertatem fugit, sui Dominus vult esse, & solus. Amor libertatis & horror subiectionis creaturæ rationali inusceratus est. Primus cupiditatis huius author ille est, qui superiorem neminem agnoscere volens, & propriis viribus ad beatitudinem peruenire præsumens, dicebat: *similis ero altissimo*, quam grassantem luem veluti cauterio coërcuit Michaël replicans, *Quis vt Deus?* Per cupiditatem qua Diabolus succubuit, ho-

minem etiam ſtrauit, & eo telo ſalutem noſtræ immortalitatis impetiuit, quo vitam ſuæ beatitudinis extinxit. Vnde præclarè Auguſt. in Pſal. 70. concione 2. loquens de Adamo: *Quare tetigit pomum? Quid illi deerat dicatur mihi? Quid illi deerat conſtituto in media opulentia, mediis deliciis? Quid illi deerat vt tangeret? niſi quia ſua poteſtate vti voluit, præceptum rumpere delectauit, vt nullo dominante fieret ſicut Deus, quia Deo nullus vtique Dominatur.*

Sed timeo, inquies, vincula, & compedes libertatis meæ. Sed mi Lector, *etiam atque etiam recuſantem & formidantem compedes ſapientia timeo te rebus mortalibus validiſſimè & pernicioſiſſimè compediri.* inquit Auguſt. epiſt. 39. *Quid times? An neſcis,* ſubdit, *quod ſapientia quos primo alligauerit, & exercitatoriis quibuſdam laboribus edomuerit, ſoluit poſteà, libertatiſque ſeſe donat ad fruendum, & quos primo temporalibus nexibus eruditierit, poſt æternis amplexibus alligat.* Quo vinculo nec ſolidius, nec iucundius cogitari quicquam poteſt. Ne timeas ſubiici gratiæ; funes peccatorum, qui circumplexi ſunt te, ſolos formida. Nam vt eximiè concludit idem Pater: *Vincula huius mundi aſperitatem habent veram, iucunditatem falſam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miſeria, ſpem beatitudinis inanem. Hiſne tu inſeris & & collum, & manus, & pedes? & ambis inhærere, quò non modo inuitatus, ſed ne compulſus quidem ire debuiſti.*

DISSERTATIO XI.

De Prouidentia, & Omnipotentia Dei.

CITE à Nonnullo prouidentia Dei *manus oculata* appellatur: quia omnia respicit & simul facit; inuigilat, & succurrit; intuens vnà & omnipotens. Ideo vtrumque attributum coniungemus: postquam enim egimus de perfectionibus ad intellectum & voluntatem Dei seorsim pertinentibus, agendum superest de illis, quæ intellectum simul & voluntatem consequuntur; quales esse Prouidentiam & omnipotentiam Dei constabit ex dicendis.

CAPVT I.

De Prouidentia Dei.

EX omnibus Dei attributis nullum est vel Deo dignius, vel homini amabilius Diuinâ Prouidentiâ. Meritò à Prouidentia Deo nomen impositum est, quia ipsa sola est veluti cæterorum attributorum compendium. In ipsa splendet

infinitas, dum ad omnia se extendit : immutabilitas, dum mutat opera, non decreta ; æternitas, nam supra tempus est, cuius ordinatione perseuerat dies : immensitas, vbique enim tota est, quæ omnibus assistit & singulis : sapientia, nam omnia scit, quæ omnia curat, nihil obliuiscitur, nihil discit noui, scit præterita quæ fecit, scit presentia quæ producit, scit futura quæ decernit, videt intra se ; & extra se res emittit : Omnipotentia, potest enim id omne quod vult, cuius subiectum est nihil ex quo quasi ex vtero generat mundum. Sed quid dicam de Bonitate, & clementia ? Eius indoles est bona facere : Tota se effundit, dum hominem facit ; tota exire videtur, licet tota intra Deum sit. Intra Deum sistere nequit, nec patitur ipsum sine germine manere in seipso. Quomodo intra Deum sisteret ? quæ Filium Dei incarnari compulit, Spiritum sanctum mitti, Patremque misisset, si fuisset qui mitteret ; & quia Mittere non potuit, venire facit.

Quin etiam Prouidentia non solum attributorum omnium compendium, sed etiam temperamentum est. Seuerior esset iustitia, nisi eam Prouidentia leniret ; fortior omnipotentia, nisi temperaret ; ardentior Zelus, nisi quinquaginta sæculorum iniuriis irritatum Deum contineret ; terribilior maiestas, nisi illa hominem ad colloquium Dei admitteret, homini Deum redderet familiarem ; districtior vindicta, nisi ipsa parceret, dum vlcisci potest : pepercit ab initio mundi, & perseuerat parcere, & ingratis benefacere non cessat ; Diuitem se esse gaudet, vt donet, & donando exhauriret se libenter, nisi esset infinita. O quam Mirabile attributum ! Sed Quam amabile ? Laudari magis debet gustando, quàm

quendo ; vt illud faciamus, & istud non omittamus, sit.

SPECVLATIO I.

Est in Deo oculatissima Prouidentia, quæ ad omnia se extendit.

HAnc veritatem mundus prædicat vniuersus ; si elementa, si rupes. si plantæ loqui scirent, loquentium vox vna hæc esset ; datur prouidentia. Quia sicut nec nauis sine gubernatore, nec tabella sine pictore, nec sine architecto palatium, nec sine Rege imperium, nec sine Duce exercitus, ita nec sine prouidentia mundus. Nullus est etiam homo tam ferus, tam incultus, tam plumbeus & obtusus, cui ignota sit Dei prouidentia. Agnoscit eam Colonus dum proiicit sementem, quam ei committit. Agnoscit vinitor; cuius palmites prouidentiæ sinus magis quam terræ excipit : Agnoscit coruus cuius pullos inuocantes Prouidentia nutrit. Hæc prouidentia regit Pastores, vt pascant oues ; erudit artifices, vt calleant artes ; subiicit sibi Reges, vt subdant populos ; ditat opulentos, vt succurrant pauperibus ; euehit nobiles, vt defendant populos. Totus mundus est liber Prouidentiæ, hunc legunt Docti, vt doctiores sint ; hunc legere possunt etiam qui nescium legere. Vnde qui Prouidentiam negant Diuinitatem de medio tollunt. Nam vt rectè Saluianus l. 4. de Prouid. *Propè est vt cui aspectum adimunt, etiam substantiam tollant ; vt quem dicunt omnino nihil cernere, omnino etiam dicant non esse.*

Obſeruat etiam idem Pater nullum niſi Epicureum vel Epicurizantem Dei Prouidentiam fuiſſe inficiatum. *Et certe*, inquit, l. 1. de Prouid. *inuenire aliquos, qui ab iſtorum iudicio diſcrepauerint præter Epicureorum, vel quorũdam Epicurizantium deliramenta non poſſum, qui ſicut voluptatem cum virtute, ſic Deum cum incuria ac torpore iunxerunt, vt appareat eos qui ita ſentiunt, ſicut ſenſum Epicureorum atque ſententiam, ita etiam vitia ſectari.* Vnde nemo etiam impius de Prouidentia Dei dubitat, quamvis in corde eam neget, quia eam timet. Omneſque Philoſophi veræ Religionis expertes vi ipſa, & quadam veritatis neceſſitate compulſi Prouidentiam confeſſi ſunt. Cæteris in rebus ignari eſſe potuerunt, ſed in hac parte omnes Chriſtiani fuerunt. Sanè remota Prouidentia funditus tollitur omnis Religio. Nam vt præclarè Idem Saluianus: *Quæ nobis Diuinæ Religionis eſt ratio, quæ vel cauſa Chriſtum colendi, vel ſpes propitiandi? Si enim negligit Deus in hoc ſæculo genus hominum, cur ad cœlum quotidie manus tendimus? Cur orationibus crebris miſericordiam Dei quærimus? Cur ad Eccleſiaſticas domos currimus? Cur ante altaria ſupplicamus? Nulla eſt enim nobis ratio precandi, ſi ſpes tollitur impetrandi. Vide ergo quam ſtulta atque inanis ſit huius perſuaſionis aſſertio, quæ vtique ſi recipitur, nihil penitus de Religione ſeruatur.*

Probatur ratione D. Thom. Prouidentia eſt ratio ordinis rerum in finem: aqui Deus, qui eſt agens intelligens & volens, omnia rectè & ordinatè dirigit in finem, quibuſcumque enim naturis ſuos præfixit fines ſpeciales, quos omnes ad bonum vniuerſi ordinauit, facit etiam vt per debita media ad ſuum finem perueniant. Er[illegible]

in Deo est perfecta prouidétia. Probatur minor: Deus est author & prima causa rerum omnium; sed ad vnamquamque causam pertinet effectus suos per debita media ad suum finem perducere; nam quod dat esse dat etiam consequentia ad esse: Ergo hæc inclinatio tam iusta, tamque naturalis quam ipsemet causis creatis indidit, non est deneganda primæ causæ. Vnde Saluia. loco cit. *Licet nullum facinus ratione subsistat, quia rationi non possunt scelera coniungi, nullum tamen, vt puto, vel irrationabilius, vel insolentius isto est. Quid enim tam furiosum, quam vt aliquis Deum creatorem omnium non neget, Gubernatorem neget? & cum factorem esse fateatur, dicat negligere quæ fecit?* Et Ambro. l. 1. de offic. c. 13. *Quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat, & destituat quod ipse condendum putauit? si iniuria est non regere, nonne est maior iniuria feciſſe? Cum aliquid non feciſſe nulla iniustitia sit, non curare quod feceris summa inclementia.* Et Theodoret. serm. 1. de Prouid. *Ex hoc quoque affectu quo amare nos fecit pignora nostra, intelligere nos voluit quantum ipse amet pignora sua.* id est effectus.

Altera pars de extensione Diuinæ Prouidentiæ suadetur inductione. In primis extendit se Diuina Prouidentia ad omnes res naturales tam incorruptibiles, quam corruptioni obnoxias, secundum rationes communes & singulares. Cum enim omne agens agat propter finem, tantum se extendit ordinatio effectuum in finem, quantum diffundit se causalitas agentis: sed causalitas primi agétis pertingit vsq; ad vltimas differentias indiuiduales. Ergo omnia quæ habent esse quomodocumque subiiciuntur Diuinæ Prouidentiæ & ordinationi, iuxta illud Rom. 13.

Quæ à Deo sunt ordinata sunt. Vnde Saluator Matth. 6. & Luc. 11. asserit & volatilia cœli, & capillos capitis Diuinæ curæ subiacere. Et Augustin. l. 5. de Genes. ad litt. c. 21. ponderans illud Psalmi vltimi: *Ignis, grando, nix glacies, spiritus procellarũ, quæ faciunt verbum eius*, ait: *Nihil tam videtur casibus volui quam omnes istæ procellosæ ac turbulentæ qualitates, quibus cœli huius inferioris facies variatur & vertitur; sed cum addit, quæ faciunt verbum eius, satis ostendit earum quoque rerum ordinem Diuino subditum imperio.*

Secundò protendit se Diuina prouidentia ad res contingentes etiam liberas & humanas. Quia licet Diuina Prouidentia non excludat causas secundas quarum multæ sunt contingentes & liberæ, tamen quia omnes ab eius causalitate pendent, fit inde quod illas earumque effectus ad suum finem dirigat, quod est eas suæ Prouidentiæ supponere. Et licet de impiis dicatur, quod dimisit eos Deus secundum desideria cordis eorum, & quod tradidit eos voluntati eorum; non tamen eis denegat concursum vel auxilium suum: sed sensus est quod eos liberè peccare sinit, quæ est omnium Diuinæ in hoc mundo iustitiæ vltionum grauissima. Nec obest, quod in illis rebus contingentibus sint aliqua minima & vilissima: Nam hæc Diuinam curam non dedecere satis patet ex dictis de scientia Dei, quæ relegere poteris.

Tertiò extendit se etiam Diuina Prouidentia ad permittenda aliqua mala, propter discrimen quod intercedit inter prouisorem vniuersalem & particularem, quod his verbis explicat D. Th. hîc art. 2. ad 2. *Dicendum quod aliter de eo est qui habet curam alicuius particularis, & de prouisore*

vniuersali. Quia prouisor particularis excludit defectum ab eo quod eius curæ subditur quantum potest. Sed prouisor vniuersalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Vnde corruptiones & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem, sed tamen sunt de intentione naturæ vniuersalis, inquantum defectus vnius cedit in bonum alterius, vel etiam totius vniuersi. Nam corruptio vnius est generatio alterius per quam species conseruatur. Cum igitur Deus sit vniuersalis prouisor totius entis, ad ipsius prouidentiam pertinet vt permittat quosdam defectus in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum vniuersi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent vniuerso. Nec enim esset vita Leonis, si non esset occisio animalium; Nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio Tyrannorum. Vnde dicit Augustin. in Ench. c. 11. *Deus omnipotens nullo modo sineret malum esse in operibus suis, nisi vsque adeo esset omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo.* Et iterum: *Ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo, in qua etiam illud quod malum dicitur benè ordinatum & loco suo positum, eminentiùs commendat bona, vt magis placeant & laudabiliora sint, dum comparantur malis.* Quod consonat trito Philosophorum dicto, *opposita iuxta se posita magis eluescunt.* Sed de his iterum redibit sermo, dum de Gubernatione Dei libro quarto agemus.

Obiicies: si Diuina Prouidentia se ad hæc inferiora extenderet, non accidere͂t in vniuerso tot perturbationes, damna, monstra, quæ sunt præter intentionem naturæ, aliáq; id genus contingentia quæ non possunt nisi casui ascribi. Nam, vt

hit in persona Ethnici Minutius Felix in Octauio, *Fulmina præmicantia passim cadunt, montes irruunt, arboribus incurrunt, sine delectu tangunt loca sacra & profana, homines noxios feriunt & sæpè Religiosos. Quid tempestates loquar varias & incertas? quibus nullo ordine, vel examine rerum omnium impetus voluatur, in naufragiis bonorum malorumque facta mixta, merita confusa; in incendiis interitum conuenire insontium nocentumque; & cum tabe pestifera cali tractatus inficitur, sine discrimine omnes deperire. Ecce arbusta frugifera, ecce iam seges cana, iam temulenta vindemia imbre corrumpitur, grandine caditur.* Ergo non alicuius Numinis Prouidentia & auctoritate mundus regitur, sed variis & lubricis casibus soluta legibus fortuna dominatur.

Confirmatur: si Deus omnia curaret non permitteret iustos tot aduersitatibus premi, nec impios tam prospero secundæ fortunæ flatu vti. *Si mundus Diuina Prouidentia regeretur* (prosequitur Idem Ethnicus ibidem) *nunquam meretur Dionysius* (Tyrannus) *regnum, Numquam Rutilius & Camillus exilium, nunquam Socrates venenum.* Et infrà: *Ecce pars vestrum & maior & melior, vt dicitis, egetis, algetis, opere, fame laboratis: & Deus patitur, dissimulat, non vult, aut non potest opitulari suis, ita aut imualidus aut iniquus est. Vbi Deus ille qui subuenire reuiuiscentibus potest, viuentibus non potest? Pallidi, trepidi, misericordia digni, nec resurgitis miseri, nec interim viuitis.* Igitur Deus sua prouidentia hæc inferiora non regit, sed circa Cardines Cœli perambulat, nec nostra considerat.

Respondeo ad obiectionem eas omnes quæ videntur in mundo, varietates, imo & ipsa mo-

stra cæteráque huiusmodi, quæ in vniuerso apparent deformia & fortuita, à Diuina sapientia regi, & vniuersitatis decori inseruire; sicut enim silentij interposito facit cantilenam esse suauem, & imaginis elegantia ex colorum vmbrarumque opacantium adiunctione colluſtratur: sic & vniuersi compago ex bonorum malorumq; permixtione consurgit. Vt diximus dum de existentia Dei, & iterum dicemus dum de Deo creatore.

Et sanè mirum est Gentes ex rerum varietate concordique discordia Dei Prouidentiam de medio tollere, quæ tamen inde inuicte probatur. *Quid enim potest esse* (ait Minutius respondens suo Ethnico) *Tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in cælum sustuleris, & quæ sunt infra circaque lustraueris, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moueatur, alatur, gubernetur?* Cœlum ipsum vide quàm latè tenditur, quàm rapidè voluitur, vel quod in nocte astris distinguitur, vel quod in die sole luſtratur, iam scies quam sit in eo summi moderatoris mira & Diuina libratio. Vide & annum, vt solis ambitus faciat; & mensem vide vt luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum & luminis dicam recursantes vices, vt sit nobis operis & quietis alterna reparatio? Quid cum ordo temporum hac frugum stabili varietate distinguitur, nonne authorem suum parentemque testatur? Iam Prouidentiæ quantæ est, ne hyems sola glacie vreret, aut sola æstas ardore torreret, autumni & veris inserere medium temperamentum, vt per vestigia sua anni reuertentis innoxij transitus laberentur. Mari intende, lege littoris cingitur. Quidquid arborum est vide, quam è terræ

terræ viſceribus animatur. Aſpice Oceanum, refluit reciprocis æſtibus. Vide fontes, manant venis perennibus. Fluuios intuere, eunt ſemper exercitis lapſibus. Quid loquar aptè diſpoſita recta montium, collium flexa, porrecta camporum. Quidvè animantium loquar aduerſus ſeſe tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus ſeptas, & fundatas vngulis, & ſpicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut elatione pennarum. Ipſa formæ noſtræ pulchritudo Deum fatetur artificem, ſtatus rigidus, vultus erectus, oculi in ſummo veluti in ſpecula conſtituti, & omnes cæteri ſenſus velut in arce compoſiti. Et quod magis mirum eſt eadem figura omnibus, ſed quædam vnicuique lineamenta deflexa: ſic & ſimiles vniuerſi videmur, & inter ſe ſinguli diſſimiles inuenimur. Hæc alias fusè deſcripſimus, dum de exiſtentia Dei, fuſiùs etiam dum de opere ſex dierum libro quarto deſcripturi.

Ad confirmationem dico argumentum illud non ſolum paganis, ſed etiam Sanctis & Prophetis difficultatem ingeſſiſſe. *Iuſtus es Domine*, ait Iere. c. 12. *Si diſputem tecum, quare via impiorum proſperetur, bene eſt omnibus, qui præuaricantur, & inique agunt?* & Dauid. Pſal. 72. atteſtatur ſe fere in precipitium murmurationis cecidiſſe videndo fauſtam impiorum fortunam. *Mei penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, pacem Peccatorum videns.* Ad quem explicãdum nodum multa à Patribus præclariſſimè dicta ſunt. Docent enim tribulationes iuſtorum eſſe ſignũ amicitiæ Dei, qui quos amat caſtigat, & à ſordibus peccatorum detergit, ſicut in fornace examinat

tur aurum, vt purioribus effectis nihil in alia vita purgandum superfit. *O tormenta misericordiæ* (ait Gregor.) *amat & cruciat.* & Saluian. l. 2. de Prouid. *Absit vt hoc argumento putemus à Deo negligi, per quod confidimus plus amari.* Et Minutius Felix obiicienti paupertatem & miseriam seruorum Dei sic respondet: *Quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria: & tamen quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo diues est? Magis pauper ille est qui cum multa habeat, plura desiderat, & quod corporis humana vitia* (id est infirmitatem) *sentimus & patimur, non est pœna, militia est. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur: & calamitas sæpius disciplina virtutis est. Vires denique & mentis & corporis sine laboris exercitatione torpescunt. Itaque Deus non despicit, Cum sit & omnium rector & amator suorum, sed in aduersis vnumquemque explorat & examinat, ingenium singulorum periculis pensitat. Itaque vt aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur. Quam pulchrum spectaculum Deo cum Christianus cum dolore congreditur, cum aduersum minas, & supplicia, & tormenta componitur; cum strepitum mortis & horrorem carnificis irripiens inculcat, cum libertatem suam aduersus Reges & principes erigit; soli Deo, cuius est, cedit; cum triumphator & victor ipsi, qui aduersum se sententiam dixit, insultat? Vicit enim qui, quod contendit, obtinuit. Christianus miser videri potest, non potest inueniri.* Quid elegantius?

Ad id vero quod dicitur de prosperitate impiorum mira etiam dicunt Patres, asserentes prosperam impiorum fortunam esse seueriss[illegible]am iustitiæ Dei vindictam, quæ his qualibuscunque bonis nonnulla eorum bona opera qua-

dantenus remunerat, crimina æternis flagitiis multatura. Vnde Bernard. *Crudelior est omni indignatione hæc misericordia Domini, qua parcit peccatoribus nec corrigit per flagella.* Vnde pulchrè Hieronymus Sauanarolla expendens illud Psal. 50. *Miserere mei Deus secundum Magnam misericordiam tuam*, ait duplicem dari in Deo misericordiam, *paruam*, & *magnam*: parua est bonorum temporalium copia, quæ quidem bona adeo exigua reputauit Apostolus, vt ea tanquam stercora arbitraretur. Magna vero est tribulationum frequentia & bonus vsus: has enim inter præcipua Dei dona annumerat Apostolus ad Phil. 2. *Vobis donatum est non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Igitur horum paruorum bonorum concessio non incuria Dei est, sed summa iustitia. *Vos decipit* (ait Minutius laudatus) *Quod Deum nescientes, diuitiis affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri in hoc altius tolluntur, vt decidant altiùs. Hi enim vt victimæ ad supplicium saginantur, vt hostiæ ad pœnam coronantur. Diues es? Sed fortunæ malè creditur, & magno viatico breue vitæ iter non instruitur, sed oneratur. Fascibus & purpuris gloriaris? Vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgere purpurâ, mente sordescere.* Itaque non sunt neglecti à Deo sancti dum Tribulantur, sed specialiùs iuuantur, vt triumphent, & omnem virtutis firmitatem demonstrent. *Sicut* (ait Gregor. l. 3. Moral. c. 5.) *Aromata odorem suum cum incenduntur expendunt, ita viri sancti omne quod de virtutibus redolent in tribulationibus effundunt.* Ex hinc colligat peccator, quid in alia vita sit passuri quos reprobat; si hîc sic cruciat, quos amat; aut quomodo ferientur, qui in die iudicij

arguendi sunt; si sic eorum vita premitur, qui ipso iudice laudantur. Vt idem Gregorius prosequitur.

Reflexio.

Cum considero curas, sollicitudines, prudentiam carnis, & diuersa hominum studia, quibus tantopere seruiunt tempori, politicæ, seque prolubiis humanis conformant & flectunt, nescio vtrum prouidentiam Dei agnoscant, qui totam in humana industria spem ponunt, nullum oraculum consulunt præter opinionem, nullas sectantur maximas, nisi quas sæculum sancit. Illis Ægiptiacis aratoribus assimilantur, de quibus scribitur. *Nemo aratorum in Terra Ægipti aspiciebat Cælum.* Vel, vt ait P. Granatensis, immundis illis animalibus comparantur, quæ glandem dum in terra comedunt, ad largitoris manum oculos non erigunt: cum tamen à feris bellius hoc præcipuè differamus, quod illa prona, atque in terram vergentia, nihil nata sint prospicere nisi pabulũ: Nobis quibus vultus erectus, & in cælum aspectus datus est, nec non sermo & ratio quibus Dominum agnoscimus, sentimus, imitamur, ignorare non licet ingerentem sese occulis cæleſtem claritatem. *Sacrilegij enim vel maximi instar est, humi quærere, quod in sublimi debeas inuenire*, vt ait Minut. Felix. Timeant omnium temporum homines, & in quamlibet partem versatiles & comparati quod ait Spiritus Sanctus 1. Cor. 1 *Stultam fecit sapientiam huius sæculi.* Et iterum: *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.* Et rursum Iob. 5. *Apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia*

prauorum dissipat. Totam ergo spem nostram, cogitatus, curas, sollicitudines Diuinæ Prouidentiæ committamus. Præclarè Augustinus : *Non perit capillus, quem cum tondetur non sentis, & peribit anima per quam sentis ? Si sic tua custodiuntur superflua, in quanta securitate est anima tua. Iactate in Deum, optimè te habebis in optimo.*

SPECVLATIO II.

Prouidentia est formaliter actus intellectus, præsupponens tamen intentionem efficacem voluntatis.

HAnc assertionem ferè sub iisdem termis tradit Angelicus doctor art. 1. q. 22. ad 3. *Prouidentia est in intellectu, sed præsupponit voluntatem finis ; nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem.* Et q. 5. de verit. art. 1. *Prouidentia includit scientiam & voluntatem, sed tamen essentialiter in cognitione manet.* Idem docet Dionys. de Diu. nom. c. 2. *Deitas cuncta prospicit Prouidentiâ.* & Boët. l. 4. de consol. Pros. 6. *Prouidentia est ipsa Diuina ratio in summo omnium principe constituta, qua cuncta disponit.*

Probatur ratione S. Thomæ : Prouidentia est principalis pars prudentiæ, cuius proprium est ordinare alia in finem siue respectu propriorum actuum, & dicitur prudentia monastica ; siue respectu aliorum sibi subditorum in familia, ciuitate, vel regno, secundum quem modum dicitur Mat. 24. *Fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus superfamiliam suam.* Et dicitur

prudẽtia Polyarchica, quę ſubdiuiditur in regnatiuam, politicam, œconomicam, & militarem. Atqui licet prudentia actum voluntatis ſupponat ſcilicet intentionem boni, & finis, in ordine ad quem præcipit & exequitur agenda, tamen formaliter eſt in intellectu. Ergo & prouidentia. Maior eſt certa, nam, vt docet D. T. 2. 2. q. 48. art. vnico, octo ſunt actus prudentiæ, quinque quæ pertinent ad ipſam ſecundum quod eſt cognoſcitiua, ſcilicet memoria, ratio, intellectus, docilitas, & ſolertia: tres verò ſecundùm quod eſt præceptiua & applicatiua cognitionis ad opus, ſcilicet prouidentia, circunſpectio, & cautio; quia ad hoc vt prudentia rectè præcipiat requiritur primò vt aliquid ordinet accommodum ad finem, quod pertinet ad Prouidentiam; ſecundò vt attendat ad circunſtantias negotij, quod pertinet ad circunſpectionem; tertiò vt vitet impedimenta, quod expectat ad cautionem. Minor vero præterquam quod omnium Philoſophorum moralium calculo comprobatur, ſuaderur inſuper: quia ad perfectam prudentiam non ſufficit ſolùm, vt voluntas velit & eligat media, ſed vt de facto ea mandet executioni ad finem obtinendum: vt patet in gubernatione œconomica, quæ prudens non eſt niſi tendat, & inferat executionem, difficultates vincat, remoueat impedimenta, & omnes retardantes moras rumpat: ſed talis actus nnn pertinet ad voluntatem, quia poſt intentionem & electionem reſtat adhuc executio; non eſt etiam iudicium intellectus de conuenientia mediorum, quod relinquit voluntatem ſuſpenſam circa executionem: Ergo prudentia & ſubinde prouidentia in actu efficaciori conſiſtunt, qui de facto intimet & præcipiat

executionem, quique exprimatur hoc imperatiuo, *fac hoc.*

Obiicies : sæpè sæpiùs Patres & Theologi explicant prouidentiam & prædestinationem per actum voluntatis scilicet electionem, dilectionem, propositum, & decretum ; & quidem conuenienter nam supposito efficaci voluntatis Diuinæ de finis intentione, atque electione mediorum, nulla supereſt difficultas in executione vincenda.

Respond. quod in actibus naturæ intellectualis præcedens includitur virtute in sequenti, & quia prouidentia supponit electionem quæ est actus voluntatis, ideo in conceptu prouidentiæ connotatur aliquid ad voluntatem pertinens; & hac de causa propositum, decinetum, & electior definitione prouidentiæ vel prædestinationis includuntur. Ad rationem dico, quod nisi post electionem voluntatis sequeretur imperium intellectus, res nunquam executioni mandaretur. Totum quippe negotium in executione consistit.

Instabis : respectu Dei omnipotentis nihil est difficile ; ergo post efficax decretum ponetur res statuto tempore.

Respondeo, respectu Dei nihil esse difficile & arduum ex parte operis ; tamen ex parte obiecti operabilis multa sunt in executione vincenda, quæ quidem Deus non vincit cæco & naturali impetu, sed imperio, & prouidentia. Qui actus & à voluntate, & à iudicio secundùm nostrum rationem distinguitur penes diuersum obiectum. In Deo siquidem multiplicamus actus ratione diuersos per ordinem ad obiecta dicunt ordinem inter se : quod egregiè tradu-

Iudith. 9. *Tu feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti & id actum eſt quod ipſe voluiſti ; omnes enim viæ tuæ paratæ ſunt , & tua iudicia in tua prouidentia conſtituiſti.* Quæ verba non ſucceſſionem operantis, ſed operis apparandi diuerſas rationes ſignificant.

Inſiſtes: Non poteſt explicari cui Deus imperet actu illo indicente executionem : Non enim ſibi imperat, cum imperium feratur ad inferiorem , vt eliciat aliquem actum ; Deus vero non eſt ſibi inferior, & eſt ſemper in actu ſecundo : Non rebus prouiſis , quia non ſunt niſi in tempore , prouidentia vero eſt ab æterno. Ergo prouidentia non conſiſtit in actu imperij.

Reſpondeo in Deo eſſe imperium non reſpectu actuum , ſed reſpectu obiecti ſpecialiter & aliter attingendi quam ab intentione , vel electione : & licet obiectum prouiſum non ſit ab æterno , tamen eius executio eſt ab æterno intimata vt exequenda tempore præſcripto.

Obſiſtes adhuc : Deus non poteſt ſeipſum orare etiam per ordinem ad diuerſa obiecta, quia oratio eſt inferioris ad ſuperiorem : Ergo ſimiliter non poteſt ſibi virtualiter imperare etiam penes connotationem ad diuerſa obiecta , cum imperium ſit ſuperioris ad inferiorem.

Reſpondeo eſſe latum diſcrimen , quia oratio eſt actus indigentis, cui deeſt quod poſtulat : Repugnat autem plenitudini totius bonitatis alicuius indigentiæ obumbratio : per imperium verò non intelligitur ſemper prælatio, & authoritas iubentis , ſed poteſt accipi pro motione efficaci , & diſpoſitione electionem executioni ſubeuntis. Adde quod imperium erga res proprias maximè decet ſupremam Maieſtatem :

Orationem vero nec ad se, nec ad alia fundere potest.

Pro solutione aliarum obiectionum, excutiendâque omni æquiuocatione, scito multos actus ad prouidentiam prudentiamque in nobis concurrere. Nam antequam finem assequamur præcedit cognitio finis, cognitionem sequitur amor & intentio finis illius, intentionem sequitur consilium & inquisitio mediorum idoneorum, iudicium de bonitate eorum, & consensus de eorumdem assumptione. Hos actus comitatur electio voluntatis, electionem vero imperium intellectus præcipiens executionem, quod imperiũ executio & vsus actualis complet. Ita similiter sublatis imperfectionibus de Deo sentire licet. Primò omnia possibilia prænoscit, & quomodo in his relucere sua gloria possit, considerat. Secundò gloriam illam ad extra declarare efficaciter intendit. Tertiò ad eam celebrandam media aptissima iudicauit sapientia Dei quadruplicem ordinem naturæ, gratiæ, gloriæ, & vnionis hypostaticæ. Quartò voluntas Diuina sibi proposita media illa elegit. Quintò prouidentia & prædestinatio eorum executionem suo tempore exercendam præcepit, & in hoc imperio efficaci, vtpotè perfectissimo prudentiæ actu Thomistæ prouidentiam formaliter constituunt, licet actus enumeratos præsupponat, eorumque efficaciâ veluti plenus sit, & ex plenitudine effecta ad extra parturiat.

Reflexio.

Hanc Diuinæ Prouidentiæ & prudentiæ efficaciam nequaquam imitatur, qui in negotio sa-

lus semiuolentibus, seminolentibusque desideriis contentus, quotidie conuersionem promittit, quam nunquam executioni mandat. De huiusmodi secum discordi, languido, & non ex toto volenti homine scriptum est Psal. 35. *Verba oris eius iniquitas & dolus, noluit intelligere vt bene ageret.* Illum dum gratia præueniens subleuat, statim consuetudo prægrauat. Delectat quandóque superiùs alliciens æternitas, sed temporalis boni voluptas retentat inferiùs. Venit ad partum, & non habet vires pariendi. Dum iam pene facit, facere desinit; cum ad opus accedit, non attingit; Patitur controuersiam in corde suo non nisi de seipso aduersus seipsum: æstuat, fluctuat, titillationi ferarum voluptatum aurem accommodat, &, vt ait Aug. l. 8. conf. c. 9. *Suspensum retinent animum nugæ nugarum & vanitas vanitatum.* Et c. 1. Sic eum per seipsum describit. *Ego adhuc terrâ obligatus militare tibi recusabam, & impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum erat. Ità sarcinâ sæculi, velut somno assolet, dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati sopore is altitudine remerguntur.* & c. 5. *Tibi dicenti mihi: surge qui dormis, non erat omnino quid responderem veritate conuictus nisi tantum verba lenta & somnolenta; modo, ecce modo, sine paululum: sed modo & modo non habebant modum, & sine paululum in longum ibat.* Sola executio est veræ voluntatis probatio. Qui nunquam facit quod potest & debet, nusquam verè voluit, quantumvis promiserit. Vix quidquam est adeo arduum, cuius potens non sit constantis voluntatis syncerum propositum. Nam, vt ait Chrysost.

hom. 26. ad popul. *Non est hic impendium, non est hic labor : sufficit velle & totum factum est.* Ergo vbi nihil fit, velle profecto deest. Hoc aduertant Confessarij dum vident continuas in peccata prolapsiones, & recidiua.

SPECVLATIO III.

Prouidentia Diuina est omnino certa & infallibilis, non solum quoad ordinem mediorum in finem, sed etiam quoad actualem finis assecutionem.

HAnc assertionem nonnulli etiam è discipulis D Tho. inficiantur, qui prouidentiam inter & prædestinationem illud putant intercesse discrimen, quod hic prouidentia infallibiliter ordinet ad finem, non tamen eum assequitur, sicut illum semper obtinet prædestinatio, nihilominus.

Probatur 1. ex D. Thom. q. 22. art. 4. ad 2. dicente. *In hoc est immobilis, & certus Diuinæ Prouidentiæ ordo, quod ea quæ ab ipso prouidentur cuncta eueniunt eo modo quo ipse prouidet, siue necessariò siue contingenter.* Et ad 3. explicans illud Boëtij, *Fatum ab immobilibus Prouidentiæ profluiscens exordijs actus fortunasque hominum indissolubili causarum connexione astringit*, ait : *Dicendum quod indissolubilitas illa, & immobilitas, quam Boëtius tangit pertinet ad certitudinem Prouidentiæ, quæ non deficit à suo effectu, neque à [illegible]*

niendi quem prouidit. & art.2.ad 1. eodem medio probat Prouidentiam semper impleri, quo vsus erat supra dum de voluntate Dei, quia nimirum *impossibile est aliquem effectum ordinem causæ vniuersalis effugere.* & l.3. cont. gent.c.94. expressè tradit, quod *ordo Diuinæ Prouidentiæ immutari omnino non potest, nec frustrari à suo effectu.* Imò ideo infra q.23. art.6. probat prædestinationem esse certam, *Quia dictum est supra,* inquit, *quod prædestinatio est pars Prouidentiæ, & Prouidentiæ ordo est infallibilis: sic igitur & ordo prædestinationis est certus.* Ergo discrimen quod statuunt inter Prouidentiam & prædestinationem est manifestissimè contra D. Thomam fundantem certitudinem prædestinationis supra certitudinem Prouidentiæ.

Probatur secundò ex Scriptura & Patribus, idque sufficienter præstaretur adducendo præclarissimam D. Gregorij Magni Doctrinam l. 6. Moral. c. 12. Vbi expendens illud Iob. 12. *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissipat,* nostram positionem mirè illustrat, & variis Scripturæ exemplis adornat. *Sæpè nonnulli humanâ sapientiâ inflati, dum desideriis suis Diuina iudicia contraire conspiciunt, astutis ei reluctari machinationibus conantur, sed inde voluntatem Dei peragunt, vnde hanc immutare contendunt; atque omnipotentis Dei consilio dum resistere nituntur, obsequuntur; & eius consiliis humana facta etiam tunc congruè seruiunt, cum resistunt.* Et recensitâ historiâ Ioseph Genes. 37. [illegible]ugit: *Ideo à fratribus venditus fuerat Ioseph [illegible]oraretur; sed ideo est adoratus, quia venditus. [illegible] Diuinum consilium, dum deuitatur, impletur; [illegible]sic humana sapientia, dum reluctatur, comprehendi.*

tur. Post narratum consilium Saülis 1. Reg. 18. qui Dauid commiserat prælio, vt eo in discrimine periret, ait : *Vnde militis vitam se extinguere credidit, virtutis eius gloriam inde cumulauit.* Commemorata voluntate Ionæ qui fugere cupiebat, inquit : *Illuc gestante bellua peruenit, quò ire sponte contempsit : & quia auctori suo obedire renititur, ad locum quo missus fuerat suo reus carcere portatur.* Demum adducto exemplo Christi, cui mortem intulerunt Iudæi, quia totus mundus post eum abibat ; & tamen inde Christi fides creuit, vnde hanc se extinguere infidelium crudelitas credidit, sic concludit : *Iustus & misericors Dominus mortalium facta disponens alia concedit propitius, alia permittit iratus, atque ea quæ permittit sic tolerat, vt hæc in sui consilij vsum vertat. Vnde & miro modo fit, vt quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit, quia dum in bonũ vsum mala facta vertuntur, eius consilio militant, quæ eius consilio repugnant.* Sentit ergo planè D. Gregor. Prouidentiam Diuinam semper scopum suum assequi, etiam quando videtur ipsi resisti. Quod si tunc est infallibilis, quantò magis cum nihil obsistit ? Ac proinde semper est infallibilis & certa.

Confirmtaur egregiis D. Augustini testimoniis, ait enim in Psal. 110. *Non sic constituta sunt opera domini vt creatura in libero arbitrio constituta superet Creatoris voluntatem, etiamsi contra eius faciat voluntatem. Non vult Deus vt pecces, nam prohibet : tamen si peccaueris, non putes hominem feciſſe quod voluit, & Deo accidisse quod noluit ; sicut enim vult vt homo non pec[illegible] vult peccanti parcere vt reuertatur & viua[illegible] vult postremò in peccato perseuerantem punire, vt*

iustitiæ potentiam contumax non euadet. Ita quidquid elegeris omnipotenti non deerit vnde suam de te compleat voluntatem. Et huius rationem præclaram affert in Enchirid. c. 100. *Propterea magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem, quia non fieret, si non sineret, nec vtique nolens sinit, sed volens.* Videsis eundem §. Patrem ibidem à c. 95. vsque ad 103. vbi asserit, Deum omnipotentem non posse inaniter velle quodcunque voluerit, nec mala hominis voluntate prævalente atque impediente bonam Dei voluntatem frustrari, quia si non possit Deus quod vult, impotens esset; si non assequitur quod optat, infelix & miser foret.

Probatur tertiò ratione: Prouidentia Diuina vtpote perfectissimus actus prudentiæ non solum respicit media, & circumstantias mediorum, sed etiam iis mediis non incumbit nisi in ordine ad finem; alias cæco modo operaretur: Ergo non solum obtinet media, sed etiam finem assequitur. Probo consequentiam: Prouidentia secundum Thomistas est actus imperij, sicut & prædestinatio: Atqui imperium vtpote efficax, & præcedentium actuum energiam virtualiter continens frustrari non potest ab eo quod imperat, cum illud faciendum & exequendum intimet, præsertim si sit imperium causæ omnipotentis: Ergo si Prouidentia occupetur circa finem sicut & circa media, imò media ipsa non ordinet nisi propter finem, sicut à mediorum ordinatione non frustratur, ita nec à finis, quem præfendit, assecutione. Aliàs talis Prouidentia esset incerta, fallibilis, similis nostræ, quæ timida

eſt, atque aliquando effectum ſortiretur, quandoque non obtineret: ſicque eius certitudo penderet ab euentu futuro; quod eſt non parum fauere ſcientiæ mediæ. Vnde rigidiores & oculatiores Thomiſtæ, & Diuinæ Gratiæ acriores defenſores noſtram ſententiam propugnant Caietanus, Bannes, Aluares.

Confirmatur: finis Diuinæ Prouidentiæ eſt manifeſtatio Diuinæ gloriæ, & communicatio bonitatis illius, vt diximus in fine ſpeculationis præcedentis: Atqui Diuina Prouidentia hunc finem infallibiliter aſſequitur etiam in reprobatione malorum, in quorum derelictione manifeſtatur iuſtitia Dei, miſericordia circa electos, bonum totius vniuerſi, vt patebit infra: Ergo ſemper Prouidentia finem ſuum aſſequitur, &, vt canit Eccleſia, in ſui diſpoſitione non fallitur, & Sap. 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Per ſuauem diſpoſitionem indicatur congrua mediorum ordinatio, per fortem finis attingentiam perſpicuè ſignificatur infallibilis finis intenti aſſecutio.

Denique horum omnium radicem profundam & inconuulſam tradit S. Doctor ſupra q. 19. art. 6. vbi paucis verbis reconditiſſima huius materiæ viſcera ad fundum vſque penetrauit, ſic ratiocinatus: *Poteſt aliquid fieri extra ordinem alicuius cauſæ particularis agentis, non autem extra ordinem alicuius cauſæ vniuerſalis, ſub qua omnes cauſæ particulares comprehenduntur, quia ſi aliqua cauſa particularis deficiat à ſuo effectu, hoc eſt propter aliam cauſam particularem impedientem, quæ continetur ſub ordine cauſæ vniuerſalis: vt effectus ordinem cauſæ vniuerſalis nullo modo poſſit exire. Et hoc etiam patet in corporalibus: poteſt enim*

impediri quod aliqua stella non inducat suum effectum; sed tamen quicumque effectus ex causa corporea impediente in rebus corporalibus consequatur, oportet quod reducatur per aliquas causas medias in vniuersalem virtutem primi cœli. Cum igitur voluntas Dei. (& idem dic de Prouidentia quæ est executio voluntatis.) *Sit vniuersalis causa omnium rerum, impossibile est quod Diuina voluntas suum effectum non consequatur. Vnde quod recedere videtur à Diuina voluntate secundum vnum ordinem relabitur in ipsam secundum alium: sicut peccator, qui quantum est in se recedit à Diuina voluntate peccando, incidit in ordinem Diuinæ voluntatis, dum per eius iustitiam punitur.* Vides vniuersalissimam Prouidentiæ Diuinæ causalitatem ad optatum exitum omnia perducere.

Obiicies: D. Thomas q. 6. de verit. art. 1. in corp. hanc statuit differentiam inter Prouidentiam & prædestinationem, quod *Prouidentia ordinem in finem respicit tantùm, vnde per Dei Prouidentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur, sed prædestinatio respicit etiam exitum vel euentum ordinis, vnde non est nisi eorum qui gloriam consequuntur.* Quibus apertis verbis indicatur etiam ratio fundamentalis. Reprobi enim ordinantur per Diuinam Prouidentiam ad beatitudinem supernaturalem, iuxta illud 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*: sed Prouidentia in illis talem finem non assequitur: Ergo Prouidentia non est infallibilis quoad finis assecutionem.

Respondeo quod cum Prouidentia sit de medio propter finem omnino supponit volitionem finis intenti: Impossibile est autem quod velit Deus voluntate absoluta consequi finem per

media, & quod finem illum non assequatur: aliàs Diuina Prouidentia esset imperfecta, & impediretur à voluntate creata, quod toti D. Thomæ doctrinæ aduersatur. Ad locum ergo quæstio de verit. omissa solutione, tum eorum qui semper recurrunt ad retractionem D. Thom. in summa, vbi quæ in aliis operibus scripserat correxit; tum eorum qui in Deo duplicem Prouidentiam admittunt, vnam quæ sequitur voluntatem antecedentem, de qua volunt loqui D. Thomam in obiectione relatum, alteram quæ sequitur consequentem, de qua sermonem habet in testimoniis expressis à nobis adductis; Prouidentiam enim antecedentem admittere repugnat conceptui Prouidentiæ & Prudentiæ de cuius ratione est quod sit consequens & imperans effectum.

Planiùs & faciliùs respondeo, quod, sicut dicitur in morali, duplex est finis, alius operis, alius operantis; finis operis est ille ad quem opus ex natura sua tendit, finis operantis est ille quem operans sibi præstituit. V. G. finis operis misericordiæ est subleuatio pauperis, finis vero hominis misericordis potest esse vel Deus summè dilectus, vel vana gloria. Itaque hæc est Prouidentiam inter & prædestinationem differentia, quod interdum Prouidentia dat media quæ ex natura sua tendunt & inclinant in finem ad quem non perducunt; vt auxilia sufficientia, quæ prouidet reprobis, mouent quidem, sed non ducunt ad salutem: cum quo tamen stat etiam tunc finem principaliter ab operante intentum obtineri, scilicet manifestationem Diuinæ gloriæ, & tributorum eius. At vero prædestinatio per media quæ confert respicit semper exitum & euentum

ordinis, quia ad finem, ad quem ex parte operis & ex natura sua mouent scilicet salutem, de facto conducunt ; quia sunt beneficia quibus certissimè liberantur quicumque liberantur. D. ergo Thomas loco citat. Loquitur de Prouidentia quantum ad effectus suos consideratos secundum finem operis, & non secundum finem operantis.

Vnde claritatis gratia hæc eius propositio, *Prouidentia ordinem in finem respicit tantum*, distinguenda est. Si consideretur finis operis mediorum quæ largitur concedo : si consideretur finis operantis, nego ; præsertim quia quod illa media non consequantur finem particularem ex Prouidentia est, quæ vult vt aliqua ordinentur in finem, quem tamen non consequantur. Ex quo etiam similitet satisfit rationi, distinguendo maiorem : Reprobi per Prouidentiã ordinantur ad salutem, tanquam finem vltimum prouidentiæ, nego, hic enim finis est manifestatio Diuinæ gloriæ in reprobis ; tamquam finem mediorum quæ confert concedo. Quare licèt Prouidẽtia non assequatur semper finem particulare ad quem effectus quem ponit inclinatur, v.g. non assequatur gloriam in reprobis, ad quam tamen allicit gratia sufficiens à Prouidentia ministrata: tamen prouidentia semper attingit finem intentum quem efficaciter vult. Imò quod videtur recedere ab vno ordine Diuinæ Prouidentiæ relabitur in alium, quia est causa vniuersalissima, vt optime ait D. Thom. loquens de voluntate & idem repetit de Prouidentia, infra q. 103. a. 7. dicens : *Cum Deus sit causa vniuersalis totius entis, impossibile est quod aliquid contingat praeter ordinem Diuinæ gubernationis ; sed ex hoc ipso quod*

aliquid ex vna parte videtur exire ab ordine Diuinæ Prouidentiæ, qui consideratur secundum vnam causam particularem, necesse est vt in eundem ordinem relabatur secundùm aliam causam.

Reflexio.

Placet huic speculationi finem imponere opportunissimis D. Gregorij anteà laudati verbis. *Salomon ait: non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Restat ergo vt in cunctis quæ agimus vim supremæ voluntatis inquiramus, cui videlicet cognitæ debet nostra actio deuote famulari, & quasi ducem sui itineris prosequi, ne ei etiam nolens seruiat, si hanc superbiens declinat. Vitari enim vis supremi consilij nequaquam potest. Sed magna sibi virtute hanc temperat, qui se sub eius nutibus refrænat, eiusque se pondere leuigat, qui hanc subiecto cordis humero volens portat.* Quem cæcus est peccator dum Prouidentiam fugere nititur, in quam, etiam dum fugit, relabitur. Nam vt præclarè Augustᵘˢ. l. 4. confes. c. 7. *Qui te dimittit, quo it aut quo fugit, nisi à te placido ad te iratum?* Pulchre etiam huiusmodi Diuinæ Prouidentiæ reluctantes appellantur Sap. 17. *Fugitiui perpetuæ Prouidentiæ, vinculis tenebricosis compediti*, quia dum vnum Prouidentiæ ordinem se fugere arbitrantur, in alium nescij relabuntur, seque ipsos ligant, dum Diuinæ voluntatis & legis impositum iugum excutiunt. Verè ille sapiens est qui lubens Prouidentiæ Dei se sponte subjicit, à qua etiam qui conatur, non recedit. Qua de re videsis Iustum Lipsium l. 2. de constat c. 7. vbi inter alia inquit: Deus occulto quodam fune insciũm in

uitumque trahit ad suum finem. Vt in exercitu varij affectus militum sunt, & hunc præda inuitat, hunc gloria, illum odium; omnes tamen pro victoria, & Principe pugnant: sic omnes voluntates bonæ malæque Deo militant, & inter varios fines veniunt tamen ad hunc, vt sic dicam, finium finem. Ad potentiam eius hoc facit & gloriam, quò nostra omnia ipse refert. Quid enim maius vim eius exprimat, quam quod non vincat solùm obluctantes sibi hostes, sed ita vincat, vt ad se traducat, & sua castra, vt pro ipso militent, vt arma pro victoria eius ferant? Quod euenit quotidie dum in malis, Dei voluntas fit, etsi non à malis. Tu Attila ab extremo orbe aduola sitiens sanguinis & prædæ, rape, cæde, vre, vasta: sæuitia hæc Deo militabit, nec aliud quam exercitatio Christianorum erit, qui vitiis aut delitiis immersi sunt aut sepulti. Quid vos duo Vespasiani? Iudæam, Iudæosque perdite, capite, & excidite vrbem sacram, qua fini? vos quidem gloriæ, & propagandi imperij, sed erratis, reuera lictores & satellites vltionis Diuinæ estis in impiam gentem. Ite & qui Christianos Romæ morte afficitis, Christi mortem in Iudæam vindicate. Et exempla hæc ab omni æuo obuia, vbi Deus per improbas aliorum cupiditates bonam suam voluntatem exercuit, per aliorum iniustitiam exeruit iudicia sua iusta.

CAPVT II.

De omnipotentia & Dominio Dei.

OMnipotentiæ attributum cæteris aliis dat ſplendorem, & mentibus noſtris ingenerat admirationem: relucet enim eſſentia in virtute, & naturæ ſublimitas in poteſtate clareſcit. Stupet etiam animus dum conſiderat Deum poſſe omne quod vult, poſt omnia poſſe plura, poſt plura, infinita; imò tantam eſſe Dei potentiam, vt non poſſit totum facere quod poteſt facere, quia exhaurire nequit potentiam ſuam faciendo omnia quæ poteſt. Quia magnorum artificum proprium eſt præclara facere, præclariora poſſe, & poſt præclariſſima, adhuc ſibi ſupereſſe quod poſſint. Sed non minus amabilis eſt hæc perfectio quam illuſtris, quia dum Deum omnipotentem Patrem & amicum habemus, ipſi omnipotentes euadimus. Hinc Veritas dicebat, quod *omnia poſſibilia ſunt credenti*: hinc Apoſtolus veritas confidenter aſſerebat: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Vt ergo tantam perfectionem & profundè reuereamur, & ardenter diligamus ſit.

SPECVLATIO I.

In Deo est Summa & plenissima omnipotentia, seu virtus infinita ad quodcumque non repugnat producendum.

HAnc perfectionem tamquam præcipuum Dei monile sæpius commendant sacræ paginæ. Esther. 13. *Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita* Apoc. 4. *Domine Deus omnipotens qui est, qui erat, & qui venturus est.* 2. Paral. 14. *Domine non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus.* Mat. 26. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* ad Ephes. 3. *Potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus.* Vnde Ecclesia Catholica in symbolo ab huius articuli confessione exorditur, dum publicè canit: *Credo in vnum Deum patrem omnipotentem.*

Probatur à priori: Deus est purus & perfectissimus actus: ergo habet potentiam infinitam seu omnipotentiam. Probatur conseq. quantò aliquid est perfectius, tantò melius potest agere: cuius signum est, quod quando aliquid suam vltimam perfectionem attigit, tunc tendit ad producendum simile, & ad effundendam perfectionem illam ad quam peruenit; ergo si Deus sit actus purus, perfectissimus, & infinitus, potentia etiam ipsius nullis circumscribitur terminis, sicut nec essentia cum qua idemtificatur.

Confirmatur : hoc ipso quod Deus habet essentiam infinitam, habet etiam perfectionem infinitis modis imitabilem & participabilem à creaturis : ergo habet virtutem infinitam quâ possit creaturas perfectionem Dei imitantes sine fine producere ; non solum extensiuè, quatenus valet quacumque productâ aliam & aliam efficere ; sed etiam extensiuè, quia datâ quâcumque perfectâ potest perfectiorem, & perfectiorem sine fine procreare, nimirum quia creaturæ nunquam adeo perfectè Dei excellentiam imitantur, quin eam possint perfectiùs exprimere.

Probatur secundò à posteriori ex effectibus in quibus primi entis virtus infinita resplendet. Tum in creatione mundi ex nihilo, quæ soli agenti infinito competere potest, vt l. 4. dicetur. Tum ex mundi conseruatione perenni. Tum ex patratione miraculorum, quæ sunt infallibilia supremæ potestatis sigilla, vt mortui resurrectio, cæci illuminatio. Tum ex Incarnatione Christi, in qua fecit Deus potentiam in brachio suo, & in qua, vt dicitur 1. Cor. 1. *Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi* ; quia, vt ait ibi glossa, ostendit in ea virtus Dei esse possibile, quod sapientia huius mundi iudicabat impossibile. Tum in conuersione mundi, & vocatione gentium ad fidem tam sublimem in his quæ docet, tam arduam in his quæ præcipit. Tum ex protectione Ecclesiæ & Nauis Petri inter tot sæcularis potestatis turbines, tot impiorum hominum procellas, & hæreticorum ac dæmonum tempestates tantas inconcussæ. Tum ex conuersione peccatoris obdurati, quam D. Thom. post S. Augustinum mundi creationi præfert, vt dicetur alias. Tum ex generali resurrectione in fine sæculorum ;

gloriâ & beatitudine Sanctorum; pœnâ damnatorum, in quibus omnibus facile Diuinam omnipotentiam meditabere. Tum demum ex vilissimis instrumentis quæ adhibet vt potentiam suam demonstret: non enim armis eget ad bella nec auxiliis: Muscæ sunt illi milites, & ranæ exercitus; luto illuminat cæcum natum: aqua sanctificat animam. Quia eius virtus est independens, infatigabilis, inuincibilis; independens à mediis, sibi sufficiens; infatigabilis in operibus, omnia solo verbo potens; inuincibilis ab hostibus, omnia quæcumque voluit faciens, & semper vincens.

Debet autem explicari hoc attributum, vt tradit S. Doctor q. 25. ar. 3. per hoc quod virtus Diuina ad omnia possibilia se extendere valeat. Illud autem dicitur possibile, quod potest habere rationem entis, & quod nullam inuoluit repugnantiam: quod enim implicat seu inuoluit simul esse & non esse omnipotentiæ Diuinæ non subditur, non propter defectum virtutis Dei, sed ob talis obiecti implicationem. Vnde conuenientiùs dicitur illud non posse fieri, quam quod Deus non potest illud facere. V. G. quod præterita non fuerint non subiacet Diuinæ potentiæ, quia implicat aliquid fuisse, & simul verum esse illud non fuisse. Vnde ait Hieronimus. Cum Deus omnia possit, non potest de corrupta facere incorruptam, quia licet omnem corruptionem mentis & corporis auferre possit à muliere corrupta; hoc tamen ab ea remoueri non potest quod corrupta non fuerit. Eandem ob repugnantiam peccatum non potest fieri à Diuina omnipotentia. Imò profunde obseruat S. Thom. Quod quia Deus est omnipotens pec-

care

care omnino non potest, quia peccare est deficere à perfecta ratione: vnde posse peccare est posse deficere in agendo, quod non prouenit nisi ex infirmitate virtutis actiuæ, subindéque repugnat omnipotentiæ.

Obiicies 1. Si Deus esset omnipotens posset alia facere quæ non fecit, si enim ea tantum potest facere quæ facit, limitata est virtus eius ad certum rerum ordinem, quod non stat cum omnipotentia: sed Deus non potest facere nisi ea quæ facit, aliàs Deus posset aliquid facere quod non præsciuit, vel decreuit. Ergo Deus non est omnipotens.

Resp. virtutem Diuinam vtpote infinitam & agentem absque necessitate, sed cum voluntate posse absolutè facere multa quæ de facto noluit. Dicitur enim Matth. 26. *An non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum*, quas tamen nec Christus rogauit, nec Pater exhibuit, & licet Deus nihil faciat nisi quæ præsciuit, ordinauitque se facturum, alia tamen potest efficere; quia licet ipsum facere subiaceat præscientiæ, & præordinationi, non tamen ipsum posse: ideò namque facit Deus aliquid, quia vult; sed non ideò potest quia vult, sed quia talis est in sua natura.

Dices: Deus nihil potest facere nisi secundum leges sapientiæ suæ: sed Diuina sapientia non iudicauit esse conueniens facienda esse alia præter ea quæ facit: ergo alia efficere nequit.

Resp. Diuinam sapientiam non esse limitatam ad rerum ordinem qui est, sed alium rerum cursum statuere potuisse. Quia tunc solum sapientia alicuius agentis limitatur, quando finis

quem intendit est finitus, & commensuratus rebus quas producit: finis autem diuinæ sapientiæ est bonitas increata quæ improportionabiliter excedit omnem creaturam. Quare licet sapientia Dei iudicauerit hunc rerum ordinem efficere, alium tamen posse effici, & quidem conuenienter si voluisset, pariter iudicauit.

Objicies 2. Si Deus esset omnipotens posset facere meliora his quæ facit, si enim non posset, exhausta esset virtus ipsius in productione rerũ, subindeque non esset omnipotens. Atqui Deus non potest facere meliora, aliàs ea quæ fecit non essent sapientissimè facta, nec dicenda forent valde bona. Et certe si res potuit facere meliores & noluit, inuidus fuit, vt in simili arguit August. l. 3. cont. Maxi. c. 7. Ergo Deus non est omnipotens.

Resp. quod si res considerentur secundum essentiam quæ est indiuisibilis, non possunt fieri essentiæ melioris, quia additio differentiæ essentialis est sicut additio vnitatis in numeris; Vnde sicut non potest fieri quaternarius major, quia desineret esse quaternarius, ita nec perficere essentiam perfectione essentiali; Potest tamen eam bonitate accidentali tùm naturali, cùm supernaturali cumulatiùs adornare. Fateor tamen quod ex parte facientis nihil potest melius fieri, id est cum majori sapientiâ & bonitate, & ideo quæ facta sunt valde bona dicuntur ob conuenientissimum ordinem quem habent in vniuerso. Cum quo stat Deum posse efficere vniuersum ex parte rei factæ perfectius. D. August. ubi loco cit. loquitur de Patre æterno, quem dicit futurum inuidum, si non produxisset filium æqualem, quia filius naturalis est imago Patris

cui debet perfectè assimilari : At creaturæ sunt deficientes Dei expressiones : & ideò non est simile.

Quare non est assentiendum quibusdam Theologis asserentibus Deum necessitate quadam morali teneri eligere id quod pensatis omnibus magis decet gloriæ suæ Majestatem, & honorem. Nam hæc assertio non solum destruit perfectam Dei libertatem, quæ non debet astringi ad assumendum vnum medium præ alio, sed etiam ipsi Dei gloriæ, cui patrocinari intendit nocet. Nam Dei infinitam in semetipso gloriam habentis parùm interest, quod tali, vel tali rerum serie manifestetur, cum omnium creaturam creabiliumque perfectionum aceruus quasi nihilum coram ipso reputetur : & omnibus per totam æternitatem caruerit. Nec est verisimile Deum in rerum omnium possibilium combinationibus alium rerum ordinem inuenire minimè potuisse, in quo gloriam suam splendidiori, vel saltem æque claro nitore externo manifestaret. Quare in hoc duntaxat sensu dici potest & debet Deum semper meliora efficere, quia semper agit ad normam suæ regulatissimæ voluntatis, quam impleti summè conueniens est. Vel facit semper melius considerato fine prætento, & præfixo huius vniuersi ordini, & in hoc sensu verum est illud Eccli. 3. *Dixi quod omnia opera quæ facit Deus perseuerent in perpetuum, non possumus eis quidquam addere, nec auferre.*

Dices : Deus se summè amat : ergo vult semper quod sibi iudicat melius ; sicut iusti qui diligunt Deum in hac vita, semper quærunt quod conducit ad maiorem Dei gloriam.

Respon. Deum se summè amare, & ideo non

facere semper quod in se perfectius est, sed quod est suæ voluntati conformius. Et ideò iusti & verè spiritales homines dum anhelant ad maiorem Dei gloriam, conantur solùm vt fiat voluntas Dei, siue res videatur in se melior, siue non. V. G. videretur in se melius alicui saluti animarum nauare operam ministerio prædicationis vel confessionis, quàm in solitudine attendere sibi & doctrinæ. Si tamen de primo non constat per veram vocationem, vel legitimi Superioris præceptum, qui potius mandat ab his Apostolicis functionibus abstinere; tunc qui maiorem Dei gloriam quærit, sibi sedulò vacabit, quia tunc illam eo modo quæret, quo Deus ipse vult. Quod obiter dictum aduerti velim ab incipientibus in vita Spiritus. Nam Deus bonorum nostrorum non eget. Et vt præclarè August. l. 10. de ciuit. c. 5. *Non solum qualibet re corruptibili & terrena, sed nec ipsa quidem hominum iustitia Deum egere credendum est, & id totum, quo deuotè colitur, homini prodesse non Deo: neque enim fonti dicat quisquam profuisse si biberit, aut luci, Si viderit.* & l. de doct. Christ. c. 31. *Deum egere bono nostro nemo sanus dixerit: omne enim bonum nostrum vel ipse est, vel ab ipso est.*

Reflexio.

Plurima sunt, Pie Lector, quæ ex Diuinæ omnipotentiæ tam fulgido attributo ad pietatem elici possent, vti summam in eo reponendam esse fiduciam, qui omnia potest: Illum esse vnicè timendum, cuius virtuti nihil resistit, aliaque sexcenta. Quibus prætermissis, hoc solum meditare, cur Deus cum sit omnipotens, atque adeo mun-

dum ornatiorem efficere potuerit, tamen in rerum vniuersitate multos imperfectionum defectus finit? Non abs re sanè, sed planè consulto & data opera: nimirum vt rebus creatis cor humanum non adhæreret, & sicut columba non inueniens vbi requiesceret pes eius ad arcam reuersa est; sic animus noster creatorum bonorum tenuitate, vilitate, & amaritudine fastiditus solis æternis, quibus natus est, inhiet. Quam benè exclamat. Aug. in Psal. 37! *O infelicitas generis humani! amarus est mundus, & diligitur; puta si dulcis esset quomodo amaretur? Formosè quomodo hæreres, qui sic amplecteris fœdum? Flores eius quomodo colligeres, qui à spinis non revocas manum?*

SPECVLATIO II.

Omnipotentia Dei, seu virtus qua Deus ad extra exequitur decreta voluntatis suæ non distinguitur ab intellectu & voluntate tanquam potentia ex æquo distincta, sed vt attributum inadæquatum intra potentiam & lineam intellectualem.

EXplicatur: attributa Diuina possunt distingui vel secundum diuersas rationes adæquatas, & ad differentes veluti lineas pertin[illegible] sic distinguitur intellectus, & voluntas, sic bon[illegible]

tas, æternitas, immensitas. Vel distinguntur solum secundum diuersas rationes inadæquatas, quando licet habeant distinctam formaliter rationem inter se, tamen ad eandem lineam reducuntur; sic sapientia, ars, prudentia distinguntur ratione, sed tamen intra ordinem intellectualem continentur. Similiter iustitia, misericordia, gaudium, amor in Deo ratione distinguntur, sed tamen ad lineam voluntatis spectant. Ita in proposito dicimus potentiam executiuam in Deo non constituere attributum ex æquo distinctum ab intellectu & voluntate, quasi se habeat nostro modo intelligendi, vt potentia specialis; sed dicimus, quod inadæquatè distinguitur, tanquam aliquid pertinens ad lineam intellectus, addens supra scientiam rationem principij practicè productiui, & exequentis ad extra.

Ista nostra distinctione fortè concordantur sententiæ hac in parte oppositæ, quarum vna affirmat potentiam executiuam in Deo distingui virtualiter ab intellectu & voluntate, altera negat. Explicatur etiam perspicuè quid sibi velit D. Thom. q. 25. art. 1. ad 4. Vbi in prima solutione videtur admittere distinctionem potentiæ ab intellectu & voluntate; in secunda id videtur inficiari; verba eius sunt hæc. *Potentia non ponitur in Deo, vt aliquid differens à scientiâ & voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, inquantum scilicet potentia importat rationem principij exequentis id quod voluntas imperat, & quod scientia dirigit. Vel dicendum quod ipsa scientia vel voluntas Diuina secundum quod est principium effectuum habet rationem potentiæ.* Vbi videtur velle eum in prima solutione potentiam distingui ab intellectu & voluntate; in secunda

astruere potentiam executiuam esse ipsammet scientiam sub formalitate & consideratione principij effectiui. Sed hæc apparens dissensio præfatâ distinctione dilucidè conciliatur. In prima enim intendit potentiam distingui à scientia ratione, non tanquam attributum adæquatum, sed inadæquatè pertinens ad lineam intellectualem. In secunda vero non negat hæc attributa distingui inter se ratione, sed tantum negat esse facultatem ex æquo à scientia distinctam.

Probatur prior pars: potentia executiua quæ ex æquo distinguitur ab intellectu & voluntate, non habet aliud munus, nec aliam elicit operationem, quam exequi id quod ab altera ordinatur & præcipitur, non enim est facultas cognoscens & volens, sed executioni mandans vt regulata per rationem dirigentem, & imperantem. Atqui illa potentia dicit apertam imperfectionem: Ergo in Deo admittenda non est potentia ex æquo distincta ab intellectu & voluntate. Maior est clara explicatio potentiæ merè executiuæ, de qua hîc agimus. Minor autem probatur: hæc potentia redolet imperfectionem, tum in potentia imperante, tum in exequente. In imperante quidem, quia quando facultas ordinans indiget potentia executiua efficiente ad extra quod imperat, argumento est non esse perfectè efficacem, nec res sibi plenè subiici: sicut quia Imaginationi non plenè subduntur organa corporis, & multo minus corpora aliena, indiget virtute motiua ciens organa, & externa corpora impellens.

In exequente etiam arguit imperfect[illegible] quia virtus quæ nihil habet nisi exequi ad [illegible]

rium & directionem alterius se habet præcisè vt mota, & vt obediens instrumentum, quod apertam subindicat imperfectionis labem. Qui sanè duplex defectus longè est à Deo, in quo virtus imperans plenè sibi potest subiicere omnia. Nam voluntati eius nihil resistit, & intellectu præcipiente & dicente subito omnia facta sunt. In ipso etiam virtus operans non potest esse subiecta, & ex subiectione prorumpens in actum.

Obiicies: ad exequendum aliquid ad extra requiritur principium actionis transeuntis: sed intellectus & voluntas sunt principium actionum immanentium: ergo requiritur aliud principium talis actionis transeuntis ad extra.

Respon. actionem formaliter immanentem posse esse virtualiter transeuntem, & certè si secundum veriorem Philosophorum sententiam in nobis voluntas mouet intellectum & appetitum absque vlla potentia media exequente, sed per se immediatè; quod fit vel per sympathiam & colligationem potentiarum, ratione cuius superiore volente, aliæ continuò parent & exequuntur; vel per impressionem alicuius motus. Quantò magis voluntas & scientia Dei, cui omnia perfectissimè subsunt, immediatè omnia mouebit? Nam, vt ait Hieron. in c. 8. Matth. *Omnes creaturæ sentiunt creatorem non errore hæreticorum, qui omnia putant animata, sed maiestate conditoris, quia quæ apud nos insensibilia illi sensibilia sunt.* Id est perfectè submissa voluntati eius.

Dices: potentia exequutiua est vnica: ergo non pertinet ad intellectum & voluntatem, sed ad specialem virtutem ex æquo ab vtraque virtualiter distinctam.

Resp. facultatem seu principium exequendi

pertinere immediatiùs ad vim intellectiuam, quatenus practica & imperatiua est. Nam ad illam facultatem pertinet esse principium operationis à qua immediate oritur executio, quæ est actus intellectus practici in quo consistit imperium efficaciter intimans decretum voluntatis, & emittens effectum, vt satis superque ostendimus dum de causalitate scientiæ Dei, & de essentia Prouidentiæ. Mediatè tamen pertinet ad voluntatem, quia vt ibidem diximus, efficax imperium intellectus practici supponit efficax decretum voluntatis.

Posterior pars quæ asserit potentiam executiuam distingui indæquate ab intellectu, & voluntate, probatur: intellectus secundùm propriam rationem est Principium intelligendi; voluntas est principium amandi, potentia vero est principium exequendi: sed est sufficiens fundamentum distinguendi illa tria, siquidem habent obiecta distincta: obiectum enim intellectus est veritas; voluntatis est bonitas; potentiæ vero executiuæ sunt creaturæ vt producendæ: ergo illa tria principia virtualiter distinguuntur. Et certe non est maius fundamentum distinguendi intra lineam intellectualem artem, prudentiam, prouidentiam à scientia: & intra lineam voluntatis iustiam, misericordiam, amorem, aliosque affectus à Dei voluntate, quam illa tria principia prædicta.

Reflexio.

Sicut virtus executiua Dei ad ordinem intellectualem spectat, sic omnis nostra executio intellectu & ratione deriuari debet. Nihil ergo

fiat quod ratio non imperet, quod non dictet prudentia, quod consilium non antecedat. Nihil præceps, nihil ex impetu, ex passione nihil agatur. Quid miserabilius homine agente ex passione? Facilius atomos dinumerare est quam fluctuantis, & fugacis cordis eius motus. Nam qui eiusmodi est, sibi non concordat, à se dissonat, consilia mutat, cogitationibus amaris turbatur, immundis maculatur, vanis impeditur, cum labitur in illis, reuoluitur in istis, vanitas eum mouet, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, & fascinat. Hæc vt vites, omnia consideratione præueni. Nam vt, optimè ait Bernardus l. 1. de consider. c. 7. *Quid tam ad omnia valens quam quæ ipsius quoque actionis partes benigna quadam præsumptione suas facit? Præagendo quodammodo & præordinando quæ agenda sunt. Ne forte quæ & præusa & præmeditata poterant esse proficuo, præcipitata magno periculo fiant.* Et post ea expendens considerationis emolumenta ad bene agendum, sic perexiniè prosequitur: *Et primum quidem fontem suum, de quo oritur purificat consideratio: deinde regit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat. Hæc est quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente resideat, aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est quæ in prosperis aduersa præsentit, in aduersis quasi non sentit. Hæc est quæ inter voluptates & necessitates media quasi quædam arbitra sedens, vtrimque certis limitibus disterminat fines; istis assignans & præbens quod sat est; illis quod nimis est, demens.* Vides quam vtile sit, quam

honestum, quam necessarium omnem executionem consideratione præuenire.

SPECVLATIO III.

In Deo est supremum & illimitatum Dominium.

HAnc veritatem non solum tota prædicat Scriptura, in qua antonomasticè Deus vocatur Dominus, & Rex Regum ac Dominus dominantiũ, sed etiam ipsi Reges confessi sunt. Dauid enim non solum ingeminat. Psal. 115. *O Domine quia ego seruus, ego seruus tuus & Filius ancillæ tuæ*; Sed etiam filio suo in successorem designato dixit 1. Paralip. 28. *Tu Salomon fili mi scito Deum patris tui, & seruito ei corde perfecto, & animo voluntario.* Et ipse Salomon Sap. 6. vocat Reges *Ministros* obnoxios reddendæ Deo rationi. Rex Iosophat loquens Deo 2. Paralip. 20. *Tu es Deus in cœlo, & dominaris cunctis regnis gentium.* Vnde Reges & Principes Christiani superiorem temporalem in terris non agnoscentes se tamen Dei gratia regnare passim in suis diplomatibus profitentur, scientes quod coronam repetere potest Regum Dominus, qui illam dedit, & quod eam repetit, dum repetit vitam. Solus Deus gerit coronam, quam non accepit, nullique debet sceptrum, qui est ens à se.

Probatur: Dominium est duplex aliud iurisdictionis aliud proprietatis; primum est potestas gubernandi subditos, cuius sunt actus, *præcipere prohibere, permittere, punire, & præmiare.* Dominium verò propri[illegible]

est facultas & ius disponendi ad libitum de re aliqua sine iniuria alterius. Atqui plenissimè Deo conuenit vtrumque illud Dominium: Primum quidem; tum quia Deus est ens perfectissimum; videmus autem entia eò esse superiora & prælatiora, quò sunt perfectiora; sic spiritus præsunt corporibus; corpora cælestia sublunaribus; vir vxori; homines iumentis. Tum quia Deus est sapientissimus: ad sapientes autem regimen spectat; vnde dicebat Plato tunc futura felicia imperia, cum Philosophi regnarent. Tum quia Deus est potentissimus: attinet autem ad potentes infirmiores regere, custodire, & defensare.

Dominium etiam proprietatis Deo conuenire facile suadetur: Tum ratione creationis, si enim Pater est Dominus filij quem genuit, quanto magis Deus qui materiam, & animam creauit? Tum titulo conseruationis, qua continuo rebus influit esse, portans omnia verbo virtutis suæ, &, vt ait Gregor. 2. Moral. c. 12. *Deus manet intra omnia, extra omnia, supra omnia, infra omnia: superior per potentiam, inferior per sustentationem.* Vnde res omnes continuò à se dependentes facit. Tum iure redemptionis, nam, vt ait Seneca l. 1. de de benef. c. 9. *Qua emeris vendere ius gentium est.* Christus autem dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, & copiosa est apud eum redemptio; *bene copiosa* (ait Bern. serm. 22. in Cant.) *Siquidem non gutta, sed vnda sanguinis quinque per partes corporis emanauit.* Tum ratione vltimi finis. Si enim homo est Dominus corporalium, quia propter ipsum condita sunt, [illegible] potiori iure Deus est omnium Dominus, [illegible] est omnium finis, non solum quoad vsum [illegible] modo homo est finis creaturarum, non so-

lum ex ordinatione Dei extrinseca, sed etiam ex essentiali conditione creaturæ, quæ conditoris obsequio nata est?

Illi supremo Dominio debemus primò altam æstimationem, quæ est exordium veræ pietatis, vt ait August. l. 1. de lib. arb. *De Deo optimè existimare pietatis est exordium.* Tanto quippe Domino debetur *Tremor amoris*, vt ait idem Sanctus l. 12. Confess. c. 19. *Mira profunditas Deus meus, mira profunditas; horror est intendere in eam eam, horror honoris, & tremor amoris.* & ideo sancti vera etiam De Deo dicere formidant, *Cauendum est* (inquit elegans Saluianus) *ne id ipsum quod pro honore Dei dicitur, iniuria Dei esse videatur. Tanta quippe est maiestatis sacræ, & tam tremenda reuerentia, vt etiam quæ pro religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu dicere debeamus.*

Secundò debetur ei honor, nam illi curuabitur omne genu, & coram eo curuantur qui portant orbem, vt ait Scriptura; & ideo ei offeruntur sacrificia tanquam Domino & authori vitæ & necis, ac duplicem adorationem Deo offerimus, spiritalem mentis deuotione, & corporalem membrorum humiliatione, vt per signa humilitatis quæ exterius exhibemus, excitetur noster affectus ad subiiciendum se supremo Domino, quia nobis connaturale est, vt per sensibilia ad intelligibilia procedamus. Ideo etiam Deum laudibus, hymnis, Psalmis pro virili celebramus eiusque gloriam verbi prædicatione enarramus. Cuius quidem honoris Dei propagandi & amplificandi sancti omnes Zelantissimi fuerunt, & minimarum Dei iniuriarum impatientissimi exemplo Christi, qui, vt obseruat Chrysostomus super Matth. tentatus à Diabolo pa-

cienter tulit nec ipsum increpauit, nisi quando Sathanas Dei sibi vsurpauit honorem. *Vt nos illius discamus exemplo, nostras quidem iniurias magnanimiter sustinere: Dei autem iniurias nec vsque ad auditum differre: Quoniam in propriis esse quempiam patientem laudabile est: iniurias autem Dei dissimulare nimis est impium.*

Tertiò debemus illi amorem quo præcipuè dominium Dei colimus, & adoramus Patrem in spiritu & veritate, nosque offerimus Deo tanquam hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. *Pietas cultus est Dei*, inquit August. epist. 120. *Nec colitur ille nisi amando.* Et in Psal. 77. *Hoc colitur quod diligitur: vnde, quia Deus rebus omnibus maior aut melior inuenitur, plus omnibus diligendus est vt colatur.* Ac proinde Christianam Religionem delet & extinguit, qui interni Dei amoris necessitatem negat, quia nullo Religionis munere fungitur, nullum Deo dignum sacrificium offert, nisi charitatis igne cremetur. Imò nec ipsum altaris sacrificium ex opere operantis Deo gratum est, nisi amore offeratur. Nam sicut ipse Christus ibi realiter præsens & se & totam Ecclesiam tanquam amoris holocaustum consecrat: sic Minister Christi suauissimum adolet incensum, si in eius conspectu sacro amore flagrans, dum altaris tremendum sacrificium peragit, simul sacrificet hostiam humilitatis, & laudis in ara cordis, igne feruidæ charitatis.

Quartò debemus ei obedientiam, fideliter quæcumque præcipit exequendo, nosque semper implendis officiis impares fatendo, & seruos inutiles reputando, iuxtà illud Bernar. serm. de quadruplici debito; *cum ei donauero quidquid*

sum, quidquid possum, nonne istud totum est sicut guta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum. Quapropter tenemur præcepta eius seriò addiscere, reuoluere, meditari; fideliter implere, & custodire; syncere diligere, eaque seruare non timore pœnæ, sed amore iustitiæ. Sacrificia enim bonorum operum non acceptat supremus Dominus, nisi fuerint charitatis sale condita. *Verum sacrificium*, inquit Augustin. l. 10. de Ciuit. c. 6. *Est omne opus quod agitur, vt sancta Societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Vnde & ipsa misericordia, qua homini subuenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium.*

Reflexio.

Obseruarunt plures Doctores supremum numen semper in Genesi vocari Deum, antequam hominis formatio enarretur. Cum vero ad id ventum est, quod hominem de limo produxit, & in Paradiso posuit, deinceps Dominus vocatur. *Exinde Dominus*, inquit. Tertull. l. contra Hermog. c. 3. *Qui retro tantùm Deus, ex quo habuit cuius esset.* Certè si gloriatur Deus homini imperare, glorietur homo Deo obtemperare, cui seruire regnare est; cuius lex æquitas; cuius Thronus sicut sol omnibus affundens bonitatis radios. Quid tam superbum, quid tam indignum vel ingratum, quam aduersus illius viuere voluntatem, à quo ipsum viuere accepimus? In eum peccare, à quo portamur? Eius sanguinem conculcare, quo redempti sumus? Eius præcepta despicere, qui ideò præcepit vt cau[illegible] habeat remunerandi & ad beatitudinis su[illegible]

perducendi, qui ipse est? Quid intolerabilius quam peccando ea contra Deum moliri, quæ nec à seruis, nec ab ipso Deo omnium Domino vellemus pati: veridicè enim dixit Augustin. l. decem Chord. c. 10. Quod cum peccamus contra Deum, facimus ei quod nollemus pati ab alio.

Porrò non solum diuinio dominio subjici, sed ipsum imitari decet illos quos Princeps Apostolorum *Genus electum, regale Sacerdotium cognominat.* Illud autem æmulamur, si in nobis animus regnet, & corpus obtemperet, si concupiscentias carnis rationis iugo supponamus, si passionum impetus virtutis frænis contineamus, si mundus nobis crucifixus est, nos mundo. Tunc holocaustum offerimus ad altare Dei, & propriæ hostiæ facti Sacerdotes dominamur in medio inimicorum nostrorum, sumusque Reges & Sacerdotes, iuxta illud Apocal. 1. *Fecit nos regnum & Sacerdotes.* Præclarè August. in Psal. 75. *Noli auiditate imperandi ponere tibi ante oculos Prouincias latissimas. Terram quam portas rege. Audi Apostolum regentem terram: castigo corpus meum & in seruitutem redigo.*

DISSERTATIO XII.

De Mysterio Prædestinationis & Reprobationis.

PRORSVS Mysterium aggredimur reserandum. Si enim nemo scit quæ sunt in homine nisi spiritus hominis qui in ipso est, quia in sola facie videt homo, solus Deus intuetur cor, quomodo quaue ratione secreta cordis diuini scrutari licebit? Diuinorum arcanorum reconditissimum est Prædestinatio, & reprobatio: nam nescit homo an odio vel amore dignus sit. Et quidem conuenienter ignoratur hoc sigillum; tum vt configatur præsumptio sacro illo timore, qui teste Tertull. de cult. fœm. cap. 2. *Fundamentum est salutis: timendo enim cauebimus, cauendo salui erimus: velificante Diuino Spiritu salus nauigat tuta, si cauta: secura, si attonita.* Tum vt foueatur humilitas, dum consideramus quod *via est in lubrico, vita in periculo, salus in dubio.* Tum ad excitandum feruorem, *sæpe enim meta celatur, vt cursum contendamus, & velociùs curramus,* vt ait S. Basil. Seleucus, orat. 7. Inter omnes autem sacro Doctores nullus est cui post Apostolos hoc sigillum

apertiùs resignatum sit quàm Augustino, cuius Doctrinæ admiratores & sectatores omnes Romani Pontifices extitere: &, vt aiebat prosper in epist. ad August. *Omnium nostrum fatigatio in tua charitatis & scientia vigore sperat, adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis.* Ex eo igitur depromam quidquid in hac dissertatione dicturus sum. Testis enim est mihi qui scrutatur renes & corda Deus, qui vnus Sol iustitiæ diuersa seruorum suorum corda diuersis gratiis veluti radiis illustrat, quod inter præcipuas à Deo mihi collatas gratias intimam quam erga Augustinum sentio propensionem enumero, atque, vt eius verbis vtar l. de Prædest. Sanct. c. 1. *Tantùm amo, quantùm non possum dicere: & tantùm me amare, quantùm debeo, non audeo dicere.*

CAPVT I.

Essentia, motiua, & effectus Prædestinationis.

HOmo sum, non intelligo secreta Dei, inuestigare non audeo, & ideò etiam attentare formido quia & hoc ipsum genus quasi Sacrilega temeritatis est, si plus scire cupias quam sinaris. Quid me interrogas quare alter maior sit, alter minor; alter miser, alter beatus: alter fortis, alter infirmus? Qua quidem causa hac Deus faciat non intelligo, sed ad plenissimam rationem abundè sufficit quod à Deo

agi ista demonstro. Sicut enim plus est, quam omnis humana ratio : sic mihi plus debet esse quam ratio, quod à Deo agi cognosco. Ab his præclaris & opportunis Saluiani verbis l. 3. de Prouid. exordium huius mysterij ducere placuit. Vt nimirum de his quæ diuinorum iudiciorum aguntur arbitrio aliud non dicamus iustum aliud iniustum : quia quidquid à Deo est, necesse est plus quam iustum esse fateamur. In his ergo quæ ad prædestinationem vel reprobationem spectant seponenda est humanarum imbecillitas rationum, & ea libentiùs audienda quæ per Scripturas sacras scire nos quasi de arcano animi sui voluit Deus noster. Nam vt recte subdit præfatus Pater : *Alia omnia, id est humana dicta, argumentis ac testibus egent : Dei autem sermo ipse sibi testis est.* Quæ ergo de hoc arcano inuestigabili scrutari licet & solet ad tria reducimus. Primùm enim existentiam & essentiam, deinde motiua, demum effectus prædestinationis considerabimus.

SPECVLATIO I.

Confitemur prædestinationem Sanctorum, quæ in actu intellectus supponente electionem voluntatis consistit.

ANtequam suadeatur hæc veritas, præmitto prædestinare generaliter idem esse ac aliquid antequam fiat animo destinare, vt posse executioni mandetur ; In hac generali acceptione posset accommodari prædestinatio tam re-

probis, quàm electis, tam ordini naturali, quàm supernaturali. Porrò prædestinatio in strictiori sensu vsurpari solet, vt tantum de bonis & electis intelligatur. Quos sanè electos variis nominibus Scriptura insignit. dicuntur enim vsitissimo nomine prædestinati. Rom. 8. Ephes. 1. 2. dicuntur cogniti 2. Tim. 2. *Cognouit Dominus qui sunt eius.* 3. appellantur probati 1. Cor. 11. *Vt qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* 3. dicuntur præordinati in vitam æternam. Actor. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* 4. appellantur præparati. Rom. 9. *Quæ præparauit Deus in gloriam.* 5. nominantur *benedicti Patris.* Matth. 25. 6. *vasa misericordiæ.* Rom. 9. 7. *vasa in honorem.* Ibidem. 8. Oues Christi. Ioan. 20. *Pasce oues meas.* 8. Filij Dei. Ioan. 11. *Vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum.* Hoc posito.

Prior pars est doctrina Ecclesiæ Catholicæ, quam adeò frequenter inculcant Scriptura, Concilia, & Patres, vt eorum testimonia passim obuia referre supervacaneum sit; præsertim cum multi Patres hoc argumentum fusè & ex professo prosecuti sint; nonnulla & selectiora in huius quæstionis decursu loca adducemus.

Probatur ratione D. Thomæ: quidquid Deus in tempore exequitur ab æterno disposuit, nihil enim de nouo incipit velle: sed in Tempore plures homines ad gloriam Deus transmittit. Ergo hanc transmissionem ab æterno disposuit: sed per prædestinationem nihil aliud intelligitur, quam transmissionem creaturæ rationalis in vitam æternam, ad quam cum non possit homo viribus naturæ suæ peruenire, oportet quod ad illam à Deo transmittatur: ad illud enim quod

non potest aliquid virtute naturæ suæ pertingere, opus est quod ab alio dirigatur, sicut sagitta mittitur ad signum à sagittante, ad quod nisi trasmissa minimè perueniret: ergo admittenda est prædestinatio, quâ multa Dei claresçunt attributa; puta potentia, quæ mediis certissimis creaturas intellectuales ad veram beatitudinem perducit; sapientia, media suauissima & aptissima oportunè adhibens; misericordia, electos à miseria peccati, & mortis æternæ liberans; Iustitia opera sancta, & perseuerantiam præmians. Ergo conuenienter Scriptura & Patres admittunt in Deo prædestinationem.

Dices: si detur prædestinatio ab æterno de salute definiens: igitur qui prædestinatus est, quidquid agat saluabitur; si vero prædestinatus non est, quæcumque præstet otiosa erunt ad salutem. Atque adeo homines Diuinorum consiliorum euentum expectantes sine sollicitudine incuriosam vitam degere debent.

Respondeo hoc argumentum, quod sæpe versant impij, vt liberiùs peccent, & quo vexantur scrupulosi vt superstitiosè se torqueant, esse merum sophisma; quia Deus finem non nisi mediis idoneis decernit, & vt ait S. Fulgent. l. 1. ad Monim. *Quos prædestinauit Deus ad gloriam, Prædestinauit ad iustitiam.* Sicut in ordine naturali non intenditur victoria nisi per pugnam, nec sanitas nisi regimine & medicinâ; Ita in negotio salutis ad vitam Æternam non nisi per bona opera homines Deus transmittit. Sanè si in humanæ vitæ negotiis, nullus nisi stolidus media ad fines vtilia relinquit, quantumvis Deus omnia Prouidentia sua prædefinierit. V.g. etsi Deus frugum abundantiam statuerit, nullus adeo stul-

tus est, vt dubitet an agricolæ semina terræ mandaturi sint? Quia nimirum deo statuente futuram messem vult etiam agricolarum curas; operam, diligentiam; vnde soli metent qui seruerint. Qua ergo dementia, dum summa rerum agitur, sic stulte argutabimur, vt incuriæ faueamus & inertiæ? Nam doctrina de prædestinatione commendat hominum curas, operam, diligentiam, afferitque quod *nulla satis magna securitas, vbi periclitatur æternitas.* Pulchrè dixit Aug. in Psal. 85. *Redi ad cor tuum, dimitte Deo consilium suum.* id est nostris negotiis attendamus, de Prædestinationis consiliis non inquiramus: scientes quod in die iudicij non de prædestinatione dei, sed de bonis operibus interrogabimur. Succinit D. Prosper: *non studeamus habere cognitum, quod voluit esse secretum, & vbi non licet inuestigare, quare ita iudicet, sufficiat scire quis iudicet.*

Posterior pars de prædestinationis essentia nouam non exigit probationem suppositis quæ de Prouidentia diuina superiùs dicta sunt. Præcipuè quia Prædestinatio nihil differt à Prouidentia, nisi penes obiectum materiale; quatenus prouidentia occupatur circa omnia, nec ad vllum finem particularem restringitur; Prædestinatio verò respicit solùm creaturas rationales in ordine ad finem superexcedentem, nimirum vitam æternam. Cæterum finis vltimus tam prouidentiæ quam Prædestinationis est communicatio Diuinæ bonitatis, & attributorum diuinorum manifestatio. Vnde patet Prouidentiam & Prædestinationem esse idem attributum, sicut potentia dei naturalis & supernaturalis pertinent ad idem attributum omnipotentiæ. Quare

sicut prouidentiam in actu intellectus supponente efficacem intentionem voluntatis sitam esse superiùs monstrauimus, ita & de Prædestinatione asserendum est.

Sufficit hîc solum notare Prædestinationis definitiones, quæ communiter circumferuntur. Prima est Augustini l. de dono perseuerantiæ c. 14. *Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.* Secunda traditur hîc à D. Thom. art. 1. *Prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam.* Tertiam tradit ar. 2. *Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti & gloriæ in futuro*, per hoc quod dicitur præparatio vel ratio transmissionis conuenit cum prouidentia generali, per sequentes particulas differt.

REFLEXIO.

Prudens huius veritatis consideratio, non teporem parit, sed generat humilitatem. Humiliemur ergo sub potenti manu Dei; nec altum sapiamus, sed timeamus; & dum scriptura & Patres Prædestinationem Dei prædicant, in timore salutem operemur, nec murmuremus. Vt enim ait Augustin. serm. 139. de tempo. c. 3. *Cœlum tonat, rana taceant.* Vt Diuina iudicia non frangant nos perimendo, flectant nos humiliando: superbis solis amarescit durusque est prædestinationis sermo, humilibus vero fauus est dulcissimus, in quo & mel & ceram inueniunt, quorum altero virtutem pascunt, altero lumen veritatis accendunt. Altiora nobis ne quæramus. Nam, vt rectè quidam dixit: *Iusta Dei iudicia nemo plenè comprehendit, nemo benè reprehendit:*

ea igitur profundè veneremur, nam Deus non solum confringit superbas cedros Libani, sed & Aquilas superuolantes præcipitat. Scriptum est enim Abdiæ v. 6. *Si exaltatus fueris vt Aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum detraham te.* Sed quid dico Aquilas? Cum & Angelorum principi dicenti Isai. 14. *super astra Dei* (id est secreta Diuinitatis) *exaltabo solium meum*, regestum est, *detracta est ad inferos superbia tua.*

Specvlatio II.

Electio Prædestinatorum ad gloriam non habet aliam causam motiuam, quam Diuinam bonitatem, non merita præuisa, quæ sunt potiùs effectus, quam motiuum Prædestinationis.

Loquimur solùm de causa motiua Prædestinationis, quia de aliis causis nulla est difficultas. Constat enim quod causa efficiens est manifestatio Diuinæ bonitatis; formalis est actus imperij transmittentis in vitam æternam. Materialis est creatura intellectualis transmissa. Vnde solum restat difficultas de causa motiua quæ reduitur ad finalem proximam, an sit pura Dei misericordia præueniens merita, vel merita præuisa supponens. Non quod quæramus causam diuinæ electionis, & Prædestinationis ex parte actus Dei, voluntas enim Diuina nullam habet causam ex parte actus volẽdi, sed quæritur causa

causa & ratio ex parte obiecti voliti, inquantum scilicet Deus vult aliquid esse propter aliud. *Nullus enim* (ait D. Tom. ar. 5.) *Fuit ita insana mentis, qui diceret merita esse causam Diuinæ Prædestinationis ex parte actus Prædestinantis. Sed hoc sub quæstione vertitur, vtrum ex parte effectus Prædestinatio habeat aliquam causam, & hoc est quærere vtrum Deus præordinauerit se daturum effectum Prædestinationis alicui propter merita aliqua.* Hoc posito.

Probatur primò authoritate scripturæ, Sanct. Augustin. & D. Thom. ex scriptura quidem præsertim Apostolo, cuius tota ad Roman. Epistola transcribenda esset, eius enim in illa non solum scopus, sed & vnicus fere labor in eo positus est, vt doceat probetque prædestinationem reduci solum in Diuinam voluntatem, ad quod adducit c. 9. exemplum Iacob & Esaü qui *cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esaü autem odio habui, misereor cuius miserebor, & misericordiam præstabo cuius miserebor*, seu, vt legit Hieronimus, *miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Et iterum: *Non est volentis, neque currentis sed miserentis Dei.* Quibus omnibus verbis, vt rectè Estius annotauit, exprimere voluit Deus suam quamdam insignem proprietatem: quod nimirum gratuitus sit benefactor, qui nulla lege ad præstanda beneficia sit astrictus, sed ea pro arbitrio tribuat quibus voluerit. Vnde qui ad prævisionem operum recurrunt, ij Paulum non solum præter mentem, sed etiam contra apertum,

quem verba præferunt, sensum, interpretantur.

Et statim præuidens & præfocans querelam quam facturi erant gratuitæ Prædestinationis impatientes dum dicunt, *voluntati eius quis resistet?* Subjungit increpando. *O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid potest dicere figulus luti ei qui se finxit, quare me feciſti sic?* Vti totam difficultatis decisionem ad simplicem Dei voluntatem reuocat. Et c. 11. sequenti postquam satis diu locutus est de Prædestinatione *secundū propositum*, totum discursum exclamatione concludit dicens: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Quæ sane admiratio inepta esset & impertinens (quod de tanto Apostolo cogitare sacrilegum est.) Si Prædestinationis efficacia ad præuisa hominum merita, & liberam oblatæ gratiæ acceptationem, vel repudiationem refundenda esset.

Conglobari solent alia eiusdem Apostoli testimonia. Illustre est illud ad Ephesios 1. *Benedictus Deus & Pater Domini Nostri IESV CHRISTI, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in Cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, qui Prædestinauit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Vbi expende homines electos fuisse non quia futuri erant Sancti; sed vt essent Sancti, non ex præuisione operum, sed secundum propositum voluntatis suæ. Et post pauca, *In quo nos sorte vocati sumus secundum propositum eius.* Vbi Prædestinationem *sortem* appellat, quia ex gratuita Dei liberalitate ordinata est. Vtitur etiam Au-

gust. l. de grat.& lib. arbit.c.9. loco illo Ioan. 1. *De plenitudine eius accepimus, & gratiam pro gratia,* vt sensus sit gratiam consummatam quæ est gloria dari ex mera Dei gratia : cui affine est illud Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*, & illud etiam Psal. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Potest denique adiungi illud Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex* (qui est grex prædestinatorum, vtique paruus in comparatione ingentis numeri reproborum,) *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Vnde patet Deum regnum electis suis ex gratuito voluntatis suæ beneplacito largiri.

Consonat August. Loco cit. inquiens. *Cum posset dicere Apostolus & recte dicere, stipendium iustitiæ vita æterna, maluit dicere gratia Dei vita æterna, vt hinc intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua misericordia perducere.* Et rursum l. 2. cont. duas epist. Pelagian. *Profecto desipitis, quia dicente veritate non ex operibus, sed ex vocante; vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus fore præsciebat, atque adeò contradicitis Apostolo.* Nec dicas, S. Doctorem explicandum esse de Prædestinatione ad gratiam, quam vtique nulla supponere merita fatentur omnes Catholici contra Pelagianos. Nam audi ipsum loquentem l. de correp. & grat.c.7. *Electi sunt* (vndecim Apostoli) *ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Iudas ad opus cui congruebat. Cum itaque audimus, nonne duodecim vos elegi & vnus ex vobis Diabolus est? Illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium; illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum.* Vbi manifestè sermonem

habet de electione ad gloriam & regnum.

Suffragatur D. Thom. dicens q. 23. ar. 5. ad 3. *Quare hos elegit, & illos reprobauit, non habet rationem nisi Diuinam voluntatem. Vnde Augustin. dicit super Ioann. Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli diiudicare, si non vis errare. Sicut quare hæc pars materiæ est sub ista forma, & illa sub alia, dependet ex simplici Diuina voluntate; sicut ex simplici voluntate artificis dependet, quod ille lapis est in ista parte parietis, ille in ista.* Et q. 2. de veritat. ar. 2. *Quod Deus velit dare gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit.* Et super caput 9. Epist. ad Rom. lect. 3. *Non potest esse quod merita consequentia gratiam sint ratio miserendi aut Prædestinandi, sed sola Dei voluntas, secundum, quam misericorditer aliquos liberat.* Et ar. 4. huius quæstio expressè docet Prædestinationem, qua præparantur beneficia quibus electi certissime liberantur & transmittuntur in vitam æternam, præsupponere electionem & dilectionem, qua Deus vult eorum salutem, quia non ordinatur aliquid in finem, nisi præexistente voluntate finis: vbi apertè declarat se non loqui de electione ad gratiam tantum, cum dicat istam præsupponere intentionem gloriæ, non quidem inefficacem, vt quidam commentantur, sed efficacem; nam expressè ait ibidem: *Electio illa præcedit in quantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult, cum quosdam reprobet.* Electio autem quæ vult bonum aliquibus præ aliis, non est inefficax & communis omnibus, sed specialis pro electis.

Prima Ratio huius veritatis.

Probatur 2. Ratione D. Thom. art. 5. bona merita nostra, bonus vsus gratiæ, & perseuerantia finalis qua salutem obtinemus sunt effectus Prædestinationis: ergo Prædestinatio Sanctorum non est ex præuisis meritis, seu merita Iustorum non fuerunt motiuum Diuinæ eorum electionis ad gloriam. Consequentia est clara: si enim merita sunt effectus Prædestinationis & electionis, non potuerunt præuideri certo futura ante Prædestinationem & electionem, neque enim effectus est futurus ante causam; si autem non sunt præuisa futura, non potuerunt mouere Deum ad Prædestinandum; Neque enim Deus Prædestinat ex præuisione meritorum possibilium, aliàs omnes essent Prædestinati.

Antecedens vero est indubitatum, tum in doctrina Apostoli dicentis, Deum sorte elegisse, *vt essemus Sancti*, atque adeo ipsa electio influit sanctitatem, & merita. Tum Augustini l. de prædest. sanct. c. 18. & 19. vbi ponderans & vrgens præfata Apostoli verba ait: *Intueamur ergo verba Apostoli: sicut elegit nos in ipso, vt essemus sancti & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, sed vt essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est: ideo quippè tales eramus futuri; quia elegit ipse prædestinans, vt tales per gratiam eius essemus.* Et clarissimè l. 1. retract. 3. *Quia omnia bona & magna, & media, & infima à Deo sint, sequitur vt à Deo sit & bonus vsus liberæ voluntatis, qui in magnis numeratur bonis.* Tum D. Thomæ loco præfato sic ratiocinantis: *Non est distinctum quod est ex libero arbitrio, & prædestinatione; sicut*

non est distinctum quod est ex causa secunda, & causa prima : Diuina enim Prouidentia producit effectus per operationes causarum secundarum : vnde & id quod est per liberum arbitrium, est ex prædestinatione. Et tandem sic concludit : *Impossibile est quod totus effectus prædestinationis in communi habeat aliquam causam ex parte nostra ; quia quidquid est in homine, ordinans ipsum in salutem, totum comprehenditur sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam, neque enim hoc fit nisi per auxilium Diuinum, secundum illud Threnorum vltim. Conuerte nos domine & conuertemur.* Et expressissimè in caput 9. Epist. ad Rom. lect. 3. *Manifestum est quod omne beneficium quod homini confert Deus ad salutem est Diuinæ prædestinationis effectus : Diuinum autem beneficium non solum se extendit ad infusionem gratiæ, qua homo iustificatur, sed etiam ad gratiæ vsum.* Quid luculentiùs ?

Ex qua doctrina fit formatur discursus : Illud est effectus Prædestinationis quod est effectus gratiæ efficacis ; gratia enim efficax ex Diuina Prædestinatione procedit, & ex Dei gratuita voluntate ; aliàs non esset gratia specialis. Vnde ex eadem voluntate procedit gratiæ efficacis effectus, à qua & ipsa gratia dimanat. Sed merita nostra, bonus ipse vsus liberi arbitrij est effectus gratiæ efficacis, quæ, vt ait Aug. l. 1. Contra duas Epist. Pelagian. *Facit ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes,* & l. de grat. & lib. ar. c. 16. *Facit vt velimus, præbendo vires efficacissimas voluntati,* & c. 21. *Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eum agant quod eos agere ipse voluerit.* Idque probat S. Doctor variis locis

ex promissionibus Diuinis, nimirum quia quod promittit Deus, facit Deus: sed passim in scripturis promittit Deus consensum piæ voluntatis, fidem Abrahę; conuersionem gentium, & obseruantiam mandatorum. Ergo bonus vsus & merita liberi arbitrij sunt effectus gratiæ & Prædestinationis. Vnde Bernar. l. de grat. & libero arbit. *Quod à sola gratia ceptum est pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim non sigillatim; vt simul, non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt, totum quidem hoc & totum illa, sed sicut totum in illo, ita totum ex illa.*

Confirmatur: ideo secundum omnes Catholicos docetur contra Pelagianos Prædestinationem ad gratiam non esse ex meritis, quia nulla nostra merita possunt præcedere gratiam, sed eam consequuntur. Ergo similiter Prædestinatio ad gloriam non erit ex meritis, si nulla merita præuisa præcedant intentionem gloriæ dandæ, sed eam sequantur, & sint eius effectus. Atqui sic est: ergo. Probatur minor subsumpta: non possunt intelligi merita sine gratia efficaci & dono perseuerantiæ, quo quis in illis perseuerat. Atqui gratia efficax & donum perseuerantiæ non procedunt sed subsequuntur intentionem dandi gloriam: ergo similiter & merita. Probat. minor: si gratia & donum perseuerantiæ non subsequerentur, sed præcederent intentionem dandi gloriam & Prædestinationem efficacem, darentur per prouidentiam generalem, subindeque omnibus conferrentur, quod est aperte falsum. Ergo gratia & donum perseuerantię subsę-

quuntur electionem gloriæ & Prædestinationem ad illam.

Confirmatur rursum & penetratur radix deceptionis in hac materia: quamuis enim gloria collata supponat merita, tamen ipsa merita supponunt aliquid liberaliter & gratuito datũ, nempe gratiam efficacem, & perseuerantiam finalem, quæ tribuuntur gratis, vt Catholici omnes docent: ergo sicut voluntas dandi talem gratiam, & conferendi perseuerantiæ donum est gratuita, ita & voluntas dandi glotiam. Probo consequentiam: qui haberet hanc voluntatem, volo triticum vendere pecuniis à me donandis, gratuito moueretur ad dandum triticum, quia non dispensaret illud nisi ex pecunia à se gratis & liberaliter cõcessâ. Atqui Deus similiter quantumuis velit dare gloriam vt coronam, & cœlum venale proponere, tamen illud conferre non vult nisi ex meritis & perseuerantiâ à se donandis: Ergo non vult dare gloriam nisi ex motiuo gratuito & liberali. Certe si ideò dicuut aduersarij voluntatem dandi gloriam supponere merita, quia non datur de facto nisi ex meritis, cur non dicemus etiam Deum eligere ad gloriam ex motiuo gratuito, cum Deus eam non conferat, nisi posita conditione perseuerantiæ gratuitò à se donandæ, qua vnicè merita fulciuntur, & sine qua non perducerunt in vitam æternam?

Secunda Ratio.

Probatur secundò, & magis confirmatur ratio præcedens: Prædestinatio est certa & infallibiles quantum ad effectus assecutionem, certitu-

dine ordinis & causalitatis mediorum : Ergo non supponit merita, sed ea infert & causat. Consequentia est manifesta; si enim prædestinatio certa sit, quia causat merita; profecto non haurit certitudinem à meritis præuisis, nec subinde ab eis mouetur Diuina electio Antecedens verò expressè docet D. Thom. quodl. 12. art. 3. dicens: *Prædestinatio habet certitudinem ex parte scientiæ Dei, quæ non potest falli; & ex parte voluntatis Diuinæ cui non potest aliquid resistere; & ex parte Prouidentiæ, quæ certissimo modo ducit ad finem* & q. 6. de verit. art. 3. *Præter certitudinem præscientiæ ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem.* Additque contrariam positionem repugnare Scripturæ & Patribus; & meritò, dicitur enim Rom. 8. *Vt secundum gratiam sit promissio*: id est promissio Dei non fundatur in præscientia liberi arbitrij, sed ideò firmitatem habet immobilem, quia innititur gratiæ, qua Deus infallibiliter promissa implet. & Rom. 9. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est Iacob dilexi.* &c. id est non ex præuisione operum, sed ex efficacia electionis Dei vocantis. Patres verò satis superque dum de scientia Dei retulimus.

Ratio autem deducitur ex dictis de scientia, voluntate, & Prouidentia Dei. Si enim Deus actus nostros prædefinit absque præeuntis scientiæ mediæ directione, vt tot Patrum testimoniis, tantisque rationum momentis suis locis ostensum est, manifestè relinquitur, Deum ad exequenda suæ voluntatis prædestinationisque consilia, adhibere media per se, ex vi innata, & proyt à Deo descendunt infallibiliter voluntatis consensum inferentia; aliàs Deus decernens actus

nostros, hominesque ad gloriam per bona opera prædestinans, frustrandorum decretorum suorum, atque finis non assequendi periculo sese exponeret. Ergo cum Deus infallibiliter operetur quæcumque decreuit, & non sit similis homini illi, qui non computans sumptus necessarios *cepit ædificare, & non potuit consummare*; planum est quod ex virtute eiusdem decreti, atque ex energia prædestinationis suæ, dat media prædestinatis, quibus certò & infallibiliter eliciant in tempore pia illa opera, quibus ad beatitudinem peruenitur.

Confirmatur: si certitudo prædestinationis præscientiæ mediæ solum inniteretur; quatenus Deus visis omnibus combinationibus, & ordinibus rerum, vidit etiam quod tali occasione, tempore, loco, auxilio, vnus conuerteretur, & perseueraret; secus alter: & iterum ex omnibus illis combinationibus elegit illam pro prædestinato, in qua præuidit bonum vsum libertatis; pro reprobo vero illam in qua vidit gratiam frustrandam; si, inquam, illi præscientiæ exploratrici veluti clauo innitatur prædestinationis certitudo, prædestinatio non fieret *secundum electionem gratiæ*, vt ait Apostol. Rom. 11. siquidem eadem intrinsecè gratia datur electo, & reprobo, qui sunt æquales in donis supernaturalibus, imò maiora esse interdum in reprobo dicunt quidam ex aduersariis; nec est inæqualitas nisi ad summum in aliquo merè naturali, scilicet aliqua circunstantia, in qua ponitur vnus non alter. Ergo prædestinationis certitudo & executio non secundum electionem gratiæ, sed secundum electionem alicuius circunstantiæ naturalis fieret.

Vrgetur amplius hæc ratio : Iuxta assertores scientiæ mediæ nullus est reprobus , qui non conuerteretur,si in oportunioribus circunstantiis poneretur. V. g. videt Deus per scientiam mediam Iudam in alia circunstantiarum serie fuisse saluandum , non ex potentioris & efficacioris gratiæ appositione , sed ex aliquo mere naturali ex parte liberi arbitrij in tali circunstantia consentientis se tenente. Ergo similiter dum videt Petrum fore saluandum in illis occasionibus , periturum tamen in aliis , vidit hanc discretionem Petri à Iuda nasci ex aliquo merè naturali saltem in illo statu conditionato, cum supponamus internam gratiam esse in illis æqualem : Atqui prædestinatio & reprobatio deducta & veluti tranlata de statu conditionato in absolutum , non indiget nouâ & speciali gratiâ , sed sola purificatione illius conditionis , qua posita status conditionatus transit in absolutum : Ergo si prædestinationis certitudo innitatur præuisioni scientiæ mediæ , Prædestinatio non erit præparatio alicuius beneficij specialis supernaturalis , sed solum addet voluntatem purificandi & adimplendi conditionem illam merè naturalem , seu apponendi circunstãtiam illam in qua arbitrium consentire præuisum est. Quod,vt videtur, est funditus enecare gratiam prædestinationis.

Tertia & quarta Ratio.

Alia ratio huius asserti communior traditur à S.Doct. art.4. huius quæst. 23. Intentio efficax finis prior est ex parte obiecti voliti , quam electio mediorum : sed gloria est finis ad quem merita vt media perducunt. Ergo merita non præparantur à Deo per gratiam efficacem &

perseuerantiam finalem nisi supposita efficaci intentione gloriæ, quam proinde non præcedunt. Maior est certa; licet enim Deus non intelligat aut velit prius vnum obiectum quam aliud, sed omnia vnico simpliciſſimo actu attingat, tamen iuxta nostrum modum intelligendi fundatum in obiecto cognito dicitur prius intelligere, aut velle vnum quam aliud, sic prius concipitur intendere finem quam media, quia intentio finis est ratio volendi media, subindeque cum ordinatè agat prius natura vult finem quam media, saltem non potest prius velle media quam finem. Minor etiam est constans, gloria enim & salus Æterna est finis ad quem merita conducunt.

Roboratur hæc ratio: Deus non vult reprobis media sufficientia nisi ex generali intentione gloriæ, quæ pro illis inefficax est. Ergo non vult electis dare media efficacia ad salutem nisi ex efficaci intentione gloriæ. Probo consequentiam. Finis intentio non minus sed magis influit in media efficacia, quam in efficacia: ergo multo magis prærequitur efficax intentio gloriæ ante præuisa merita iustorum, quam inefficax ante voluntatem dandi auxilia sufficientia reprobis. Certe efficax assumptio mediorum oritur ex efficaci intentione finis; nam ex intentione inefficaci non sequitur determinatè effectus, sed potest non sequi, imò per accidens & casu sequitur. In summa: Deus intendendo gloriam electis vel cognoscit efficaciam mediorum, vel non; si non cognoscit, ignarus est: si cognoscit, & ex ea voluntaria illius non vult, est imprudens, volens finem sine mediis, quod vtrumque consequens Catholicus reprobat sensus.

Vltima denique ratio desumitur ex Principiis ipsorum assertorum scientiæ mediæ. Cum enim secundum illos per scientiam mediam Deus videat omnia futura conditionata, antecedenter ad omne decretum voluntatis suæ, videt etiam rerum omnium possibiles combinationes, conditiones, circunstantias, & occasiones, in quarum nonnullis certum est, quod nullus est tam impius, qui non esset Sanctus, si congruis, & opportunis auxiliis, genio, indolique naturæ attemperatis præueniretur: Nullus est etiam tam bonus, qui in nonnullis occasionibus, educatione, speciali protectione, & gratiâ illâ opportunitatum, & motuum voluntatis studiosâ destitutus, non peruerteretur. Hoc posito principio apud aduersarios fundatissimo, quæro cur Deus hominem hunc in circunstantiis illis in quibus eum de facto salutem consecuturum præuidit constituit, ideoque eum tot & tantis ab incunabulis benedictionibus dulcedinis præuenit, genio tam docili, & ad omne pietatis genus non tam comparato quam nato adornauit? Alterum verò inter Infideles natum, vel inter Fideles, prauis inclinationibus, duraque ceruice affectum, corruptis moribus imbuendum præscinit, ibique eum collocauit? sanè quò recurrendum sit non video, nisi ad inscrutabilia iudicia gratuitæ prædestinationis.

Id totum millies confirmat Augustinus exemplo indissolubili paruulorum, in quibus tam dilucide apparet hæc gratuita prædestinatio. Legesis librum de dono perseuer. c. 12. vbi docet in paruulis sine baptismo decedentibus perperam recurri ad casum, cum nec passer cadat in Terram sine voluntate Patris Cœlestis; nec ad in-

curiam parentum, quibus plerumque festinantibus & ministris paratis, puer moritur; sed ad abyssalem & occultam Dei voluntatem, quæ disposuit vt prædestinatus baptizetur, & postea morte immatura decedat, antequam malitia immutet intellectum eius. *Respiciantur etiam inter Christianos* (inquit Prosp. ad cap. 4. Gall.) *tot millia paruulorum, qui ab hac vita sine baptismo transierunt, quibus nec plantator prædicare, nec rigator potuit subuenire.*

Confirmat etiam exempio Christi, vt videre est l.pe prædest.sanc.c.15.& de bono perseu.cap. vltim. & in hoc totum momentum ponit, quia Christus est clarissimum exemplar Prædestinationis aliorum, illos enim *prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*, vt dicitur Rom. 8. Christus autem prædestinatus est filius Dei independenter à meritis præuisis, Incarnatio enim non potest cadere sub merito, vt docetur in materia de Incarnatione, ergo similiter & membra Christi, viri sancti prædestinati sunt independenter à præuisione meritorum. Verba Augustini super aurum & topasion pretiosa, & planè annumeranda inter *fauos illos Diuini nectaris plenos, manantes misericordiam & veritatem, quos illa verè artificiosa Dei apis instruxit*, vt loquitur Seruus epist. apud Aug. 37. sunt hæc: *Est præclarissimum lumen Prædestinationis & gratiæ, ipse Saluator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Qui hoc vt esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo est, comparauit? Respondeatur quæso, quod eius bonum qualecumque præcessit? Quod egit antè, quid credidit, quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret? Ref-*

pondeat hic homo Deo si audeat, & dicat: Cur non & ego? Et si audierit: O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nec sic cohibeat, sed augeat impudentiam & dicat: Cur diuersa est gratia, vbi natura communis est? Quis non dico Christianus, sed insanus hæc dicat? Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, vnde secundum vniuscuiusque mensuram se per cuncta eius membra diffundit. Eâ gratiâ fit homo Christianus, qua factus est Christus: De ipso spiritu & hic renatus, de quo est ille natus: eodem Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est vt nullum haberet ille peccatum. Humana hic merita conticescant. Ille quippe nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christum: Ille fecit in hominibus principium fidei, & perfectionem in Iesum, qui fecit hominem principem fidei & perfectorem Iesum. Illum ergo & nos prædestinauit (addit loco cit. de don. perf.) *quia & in illo vt esset caput nostrum; & in nobis, vt eius corpus essemus non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præscuit.*

Soluuntur obiectiones.

Obiicies: Deus eo modo vult dare gloriam quo illam de facto dat: sed illam non dat nisi propter merita: Ergo nec illam voluit dare nisi propter merita, non quidem existentia, sed præuisa. Maior patet, Deus enim non dat gloriam nisi quia voluit ab æterno dare. Minor etiam habetur in Scriptura Matth. 25. *Venite benedicti, percipite regnum paratum à constitutione mundi*, & rationem assignans cur det illis tale regnum allegat bona opera; *esurini enim, & ce-*

distis mihi manducare. Ergo non dat Deus gloriam nisi propter merita.

Respond. Deum non velle dare gloriam propter merita quæ sint motiuum voluntatis suæ, sed per merita quæ sunt effectus Prædestinationis : nam vt ait D. Prosper l. 2. de vocat gent. *Deus his quos elegit sine meritis, dat vnde ornantur ex meritis.* Vel claritatis gratia potest distingui maior; Deus eo modo vult dare gloriam in executione quo illam dat conc. eo modo vult eam in intentione, quo eam dat, nego quia intendit eam dare ex misericordia, licet velit eam conferre meritis. Et nota ad tollendam omnem æquiuocationem aliud esse gratis velle dare gloriam, aliud velle illam dare gratis, in prima propositione coniungitur *ly gratis* cum Diuina voluntate, in secunda cum *ly dare* seu cum executione : certum est autem quod gratis vult Deus dare gloriam, sed non vult dare illam gratis seu sine meritis. Potest aliter distingui minor, Deus non dat gloriam nisi propter merita dependentia à dono gratuito & liberaliter dato scilicet perseuerantiâ concedo, independentia ab illo nego, & hoc sufficit ad hoc vt Deus intendat gloriam ex motiuo gratuito, vt satis anteà dictum est.

Dices : Deus mouetur ex meritis ad dandam gloriam, ergo præuisio meritorum mouit Diuinam voluntatem ad destinandam gloriam merentibus illam.

Respond. discrimen hoc intercedere Diuinam inter & creatam vnluntatem, amorem Dei & creaturarum; quod voluntas creata cum non sit causa bonitatis rerum eam supponit & ab ea mouetur. Amor autem Diuinus qui est infun-

dens & creans bonitatem in rebus, non mouetur meritis creaturæ, sed ea causat. Nam vt ait Chrysost. hom. 7. in Epist. ad Timot. *Tanta est Diuina bonitas, vt ipsa sola sufficiat ad rationem & causam amandi, non expectata, nec requisita causa, ex parte eorum qui amantur.* Vnde dicitur Ozeæ 9. *Desponsabo te mihi in miserationibus.* Et Concil. Arausic. Can. 12. *Tales nos Deus amat, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.* Vel dic quod Deus mouetur in executione ad dandam gloriam ex meritis, quia decreuit eam non aliter conferre, sed non fuit motus ex illis ad eam intendendam; sed potiùs quia eam dare intendit, confert merita quibus ad eam peruenitur. Vide supra dum de obiecto Diuinæ voluntatis.

Instabis: quando finis intenditur vt corona & præmium, non potest esse volitus nisi post merita saltem præuisa. Atqui gloria non intenditur à Deo nisi sub ratione præmij & coronæ iuxta illlud 1. Timot. *Reposita est mihi corona iustitiæ.* Et aliud Matth. 5. *Gaudete & exultate quia merces vestra copiosa est in cœlo.* Ergo Deus non intendit dare gloriam nisi post merita præuisa. Maior probatur: corona & præmium essentialiter supponunt merita: Ergo sicut repugnat Deum intendere infligere pœnam, sine demeritis, ita & dare coronam, nisi ex meritis.

Respond. quod finis, siue habeat rationem coronæ siue non, semper est ratio volendi media, quæ non eliguntur nisi ex intentione finis præamati. Vnde nego maj. Ad probat. distinguo: corona pendet à meritis in executione & collatione, Conc. in intentione nego, quod præsertim de Deo verum est, qui, vt ait. Scriptura

coronat nos in misericordia, & dum *præmiatur opera nostra, dona sua coronat*, vt ait Aug. Et ratio est, quia licet Reges terræ non possint efficaciter sed solum inefficaciter & conditionatè præparare coronam militi ante merita, quia nec sunt Prophetæ, nec habent merita in sua potestate, nec dant præmium ex meritis à se donandis sed supponendis: longè tamen aliter est de Deo, qui habet in potestate sua merita nostra, quæ potest non solum prædicere & promittere, sed potens est & facere, vt ex August. diximus. Nec est simile de pœna, quia cum supponat peccatum, non est per se appetibilis, sed per accidens; corona vero est per se amabilis, & potest desiderari ea intentione quæ inferat merita. Certe cum Deus non det gloriam nisi ex meritis in gratia & perseuerantia à se gratis data fundatis, debet intendere gloriam ex motiuo suæ largitatis, & deinde media prouidere: vnde non improbabiliter posset secundò responderi, Deum in ordine intentionis non velle gloriam vt coronam, sed tantum in ordine executionis, vt posteà dicam.

Insistes: ergo Deus ex voluntate illa dandi gloriam tenebitur libertatem violare impellendo necessariò ad meritum, quod tam efficaciter prælegit ad gloriam, tenebitur, inquam, ne sua intentio euacuetur.

Respond. hanc replicam in nulla sententia vrgere. Thomistæ enim admittunt media per se efficacia, quibus Deus fortiter quidem applicat voluntatem, sed tamen suauiter, conseruando indifferentiam voluntatis, vt fusè, & ex professo superiùs ostendimus. Alij vero qui Prædestinationem gratuitam admittunt, sed physicam prædeterminationem refugiunt, di-

eum: Deo non deesse modum constituendi voluntatem in tali circunstantiarum combinatione ex infinitis quas videt, in qua voluntas liberè merebitur.

Observa hæc & alia argumenta planiùs expediri, si aduertas quod in nostra voluntate præter intentionem datur insuper electio, & post electionem vsus actiuus, vt dicetur in morali. Ita proportionaliter duplex admitti debet decretum aliud intentiuum gloriæ, quod immediatè sequitur electio mediorum perducentium ad salutem: hanc verò electionem sequitur aliud decretum executiuum, quo Deus decernit efficaciter applicare suam potentiam ad hoc vt Prædestinati benè agant, & finaliter gloriam consequantur. Quando ergo scriptura & Patres interdum dicunt voluntatem dandi gloriam supponere merita, & gloriam proponi vt coronam, loquuntur de voluntate seu decreto executiuo. Qua etiam distinctione soluitur illud argumentum de corona: licet enim Deus decreto executiuo velit dare gloriam vt coronam & mercedem laborum: decreto tamen intentiuo eam conferre vult expura misericordia, & gratia, quia vt ait Apost. *gratia Dei vita æterna.*

Observa rursum regulam Aug. l. de bono perseuer. c. 18. aliàs à nobis traditam, sed hîc necessariò repetendam. *Quid nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus præscientiam Dei, & agitur de vocatione electorum, eandem intelligere Prædestinationem.* Quando ergo interdum inuenies Deum non Prædestinare nisi post præscientiam, hoc intellige de præscientia fundata in decreto, quo Deus gratis eligit Prædestinandos. Præsertim quia sæpissime Prædesti-

natio sumitur à Doctoribus pro executione & præparatione beneficiorum. Vnde legitimus sensus est. Deus Prædestinat seu præparat beneficia, quibus certissime sancti transmittuntur in vitam æternam, quos in sua efficaci voluntate sanctos esse præsciuit. Eruditè etiam obseruat Estius in scripturis frequentissimum esse, vt scire & cognoscere pro diligere & approbare ponatur. Vnde scientia approbationis potissimum in scripturis fundatur, Ioan. 10. *Cognosco oues meas.* Sicut in contrario sensu nescientia accipitu pro reprobatione Matth. 25. *Nescio vos.* Cum ergo dicitur Deum Prædestinasse quos præsciuit, idem est ac Deum Prædestinasse eos quos prædilexit.

Reflexio.

Miror nonnullos à studio virtutis hâc Diui Augustini sententiâ deterreri, quæ potius omnium est virtutum seminarium. Longe aliter discurrebat Propheta Regius, qui huius mysterij altitudinem profundius considerans & expauens ait Psalm. 76. *Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum loquutus. Nunquid in aternum proiiciet Deus, aut non apponet vt complacitior sit adhuc, aut finem misericordiam suam abscindet, aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Ecce graphicè depictum sacrum illum terrorem, quem incurit opinio de Prædestinatione gratuita. Ecce descriptas luculenter curas illas quibus scrupulosorum cor scinditur. Sed quid inde concludit Propheta sapientissimus? Anne deducit vacandum esse inertiæ, inducendam desperationem,

extinguendam salutis curam, inanemque esse correptionum medicinam? Absit. Audi quid inferat. *Et dixi nunc cepi, hæc mutatio dextera excelsi.* Ex altitudine incertorum iudiciorum Dei, ex quibus tu torporem, ille colligit conuersionem. Et merito; nam si Deus intendendo gloriam infert merita, & opera sancta, rectè ex consideratione gratuitæ Prædestinationis bonorum operum necessitatem Psaltes Diuinus subintulit. Fac & tu similiter, nec credas Prædestinationis doctrinâ desperationem induci, qua potiùs spes orationis erigitur, dum in solo Deo firmissimè collocatur, vt mirè prosequitur August. l. de don pers. ait enim c. 16. *Cauendum est igitur ne dum timemus tepescat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio.* Et cap. 17. *Ego nolo exaggerare verbis meis, sed illis cogitandum potiùs relinquo, vt videant quale sit quod sibi persuaserunt, prædicatione Prædestinationis audientibus plus desperationis quàm exhortationis afferri: hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in seipso, sed in Deo didicerit ponere cum Propheta clamet. Maledictus omnis qui spem ponit in homine.*

SPECVLATIO III.

Varij sunt effectus Diuinæ Prædestinationis.

VT dilucidè explicetur & suadeatur hæc speculatio, discurrendum est per singula de quibus dubium esse potest, an sint effectus

Prædestinationis nec ne. Quod commodiùs sequentibus quæstis inuestigabimus.

Inquires 1. An glorificatio, iustificatio, & vocatio efficax Sanctorum sint effectus Prædestinationis?

Respond. affirmanter. Sic enim docet Apost. Rom.8. *Quos Prædestinauit, hos & vocauit, quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, hos & glorificauit.* Et ratio est, quia adhoc vt aliquid sit effectus Prædestinationis tria requiruntur: primo quod sit à Deo gloriam dare volente: Secundò quod detur ex sola intentione dandi gloriam: Tertiò quod de facto conducat ad gloriæ assecutionem: sed Deus confert de facto beatitudinem, iustificat, & efficaciter vocat electum ex intentione dandi gloriam, ad quam tandem peruenit electus. Ideo namque Deus hominem ad se gratiâ præueniente attrahit & vocat, vocatum sanctificat, sanctum coronat, quia illi ab æterno gloriam conferre decreuerat. Ergo tria prædicta sunt effectus Prædestinationis.

Inquires 2. Vtrum substantia Prædestinati sit effectus prædestinationis.

Respondeo negatiuè, id enim videtur conformius menti S. Thomæ, quam expressit in cap. 1. Epist. ad Rom. lect. 3. vbi postquam dixit constitutionem rei non pertinere ad Prædestinationem sic concludit: *Relinquitur ergo, quod Prædestinatio dicatur proprie eorum solùm quæ sunt supra naturam.* Et ratio est, quia illi desunt conditiones assignatæ, & requisitæ ad effectum Prædestinationis. Sic ergo formatur discursus.

Vt aliquid sit effectus Prædestinationis debet conferri à Deo ex intentione præuia dandi gloriam, & debet per se conducere tanquam me-

dium ad ipsius gloriæ consecutionem. Atqui illa vtraque conditio deest substantiæ prædestinati: Ergo substantia illa non est prædestinationis effectus. Probatur minor: & primò quidem quod Deus non statuerit producere substantiam electi ex intentione gloriæ manifestum videtur: nam electio hominum ad gloriam supponit prædestinationem Christi, qui est primus omnium electorum, ac proinde culpam Originalem in cuius remedium venit Christus, & consequenter supponit voluntatem creandi Adamum in statu Innocentiæ, hinc etiam fit quod supponat voluntatem creandi genus humanum, quod totum vult saluare voluntate antecedenti, & ideo Incarnationem decreuit quæ omnibus opem ferret. Ex qua gradatione perspicuè vides voluntatem prædestinandi præsupponere voluntatem creandi per prouidentiam generalem definitam: Ergo Deus non decreuit creare substantiam hominis ex præuia intentione gloriæ; siquidem priùs naturâ concipitur voluisse producere hominem, quam intelligatur intendisse gloriam.

Quod etiam prædestinati substantia non sit medium per se conducens ad gloriam, quæ est altera conditio requisita, sic monstratur: vt aliquid sit effectus Prædestinationis satis non est vt quomodocumque perueniat ad gloriam, sed insuper debet esse medium per se ad illam perducens, effectus enim per se procedens ex amore alicuius finis in hoc differt ab effectu per accidens solum subordinato, quod iste ex se non ducit ad finem, ad quem ille naturâ suâ inclinat: iste non habet proportionem & coaptationem ad finem, sed concomitanter assumitur; ille vero intrinsecè ad finem tendit, & cum eo connatu-

ralem habet connexionem. Atqui substantia prædestinati non est medium per se perducens ad gloriam, sed de se est æquè indifferens ad prædestinationem atque ad reprobationem, habetque potiùs rationem subiecti transmissi in vitam Æternam, & finis *cui* desiderantur effectus prædestinationis. Ergo substantia prædestinati non est effectus prædestinationis, sicut non est effectus meritorum passionis Christi dicente Aug. Epist. 105. *Christus non pro vllis, vt homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, vt iustificarentur,* & tamen apud omnes certum est, effectum quemlibet prædestinationis esse in nobis ex meritis Christi.

Obiicies: per substantiam & alia bona naturalia manuducuntur electi ad cognitionem, laudem, & amorem Dei. Ergo illa bona sunt effectus prædestinationis, tanquam occasiones bonorum operum, quæ perducunt in vitam Æternam. Vnde D. T. in 1. d. 4. q. 1. art. 4. docet quod *motus Cœli & omnes causæ naturales iuuant prædestinationem ex parte effectus, inquantum eorum officio perficitur generatio & sustentatio electorum.* Et hîc art. 8. in argumento *sed contra* probat prædestinationem iuuari precibus Sanctorum, quia dicitur Genes. 25. quod Isaac rogauit Deum pro Rebecca vxore sua, & dedit conceptum Rebeccæ, ex quo conceptu natus est Iacob, qui Prædestinatus fuit: non autem fuisset impleta Prædestinatio, si natus non fuisset. Ergo videtur ex D. Thoma quod natiuitas Iacob fuit effectus Prædestinationis.

Respond. quod licet electi per gratiam Dei benè vtantur naturalibus, malè tamen inde infertur quod merè naturalia sint effectus prædestinationis

stinationis, sed solum inde inferri debet, quod bonus vsus naturalium, vel actus virtutum quos occasione bonorum naturalium eliciunt sunt effectus prædestinationis. Sicut enim prædestinatio est de solis electis, ita effectus Prædestinationis adeo sunt illis proprij, vt non sint communes reprobis: patet vero bona naturalia & insignes animi dotes quandoque in reprobis eminentiùs relucere, vt claret in omnibus sectarum Philosophicarum Coriphæis, atque in ipso Lucifero Angelorum principe: Cum alioquin videamus sæpius hebetes & tardos, prauisque inclinationibus naturaliter affectos gratiâ opitulante saluari, iis, qui sortiti sunt animam bonam, relictis.

D. autem Thomas locis cit. intendit solum effectus naturales deseruire prædestinationi, sed non quod sint effectus per se illius, sicut enim gratia & supponit & perficit naturam, ita Prædestinatio Prouidentiam. Quare substantia & alia bona naturalia sunt potiùs subiectum vel materia circa quam prædestinatio operatur, quam effectus illius. Adde quod exargumento *sed contra* nunquam colligenda est mens D. Thomæ, vt nullus in doctrina & lectione D. Thomæ parumper versatus ignorat.

Inquires tertiò vtrum gratia interrupta per peccatum sit effectus prædestinationis?

Respond. affirmatiuè, quia cum prædestinatus resurgit per pœnitentiam, reuiuiscit etiam meritum gratiæ per peccatum impeditæ, vnde post obitum illi gratiæ reparatæ correspondet specialis gradus gloriæ. Atqui quod per se conducit ad gloriam, & quod de facto à Deo coronatur, est verus Prædestinationis effectus: Ergo gratia

illa per peccatum interrupta est verus prædestinationis effectus, & quamvis opus sit vt per pœnitentiam restauretur, & tollatur obex peccati; non tamen correspondet gloria soli pœnitentiæ, sed etiam gratiæ primò collatæ.

Nec contra hoc potest argumentum alicuius momenti opponi, si præ oculis habeas, nos non asseuerare gratiam sub præciso & formali statu interruptionis esse effectum prædestinationis, cum potiùs sub hac consideratione à prædestinatione deficiat; sed quod illa eadem gratia, quæ interdum in viris sanctis mortificatur, est effectus prædestinationis.

Inquires quartò vtrum vocationes inefficaces, & auxilia merè sufficientia sint effectus prædestinationis.

Respond. Negatiuè, cum enim huiusmodi dona sint communia reprobis, nec discernant ab electis, procurenturque omnibus à Prouidentia generali ex vi voluntatis antecedentis, minimè computanda sunt inter effectus Prædestinationis, cum per se ad gloriam minimè perducant. Et quamvis obiectiuè prædestinatum moueant ad humilitatem, gratiarum actionem, ac fortè maiorem feruorem, dum videt suam ingratitudinem & Dei clementiam; male tamen inde infertur prædicta esse Prædestinationis effectus, sed solum debet colligi quod maior illa humilitas, gratitudo, feruor ex illis natus & occasionatus sunt veri Prædestinationis effectus. Vnde Aug. l. de prædest. san. c. 16. tradit illam solam vocationem esse effectum Prædestinationis in electis, quæ est certa secundum propositum. *Vocati Dei Prædestinatos multos filios suos, & non eâ vocatione qua vocati sunt, qui noluerant venire*

ad nuptias, sciens esse quamdam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt.

Inquires quartò. An permissio peccatorum, in quæ incidunt electi sit effectus Prædestinationis: permissio, inquam, non actiuè sumpta ex parte Dei, sic enim non potest esse effectus Dei, cum sit ipsa voluntas permittens peccatum; sed permissio passiue sumpta, pro carentia auxilij ex qua sequitur lapsus ex malitia voluntatis.

Respond. eâdem distinctione; vnde dicendum arbitror peccatum in se non posse esse effectum prædestinationis, sed bonum vsum, qui ex lapsu accidit, esse prædestinationis effectum. Ratio est clara quia, vt docet D.T. suprà q. 19. art. 9. *Malum culpæ, quod priuat ordine ad bonum Diuinum, Deus nullo modo vult.* Ex quibus verbis argumentor: vt aliquid sit effectus Prædestinationis debet esse volitum à Deo, & per se conducere ad vitam æternam: sed peccatum *Deus nullo modo vult*, nec conducit ad vitam æternam, sed potiùs quantum est de se ab eâ deducit. Ergo peccata prædestinatorum non sunt effectus prædestinationis. Accedit quod ad peccatum etiam quoad materiale non concurrit Deus concursu speciali, sed solum concursu generali. Sed ad Effectus Prædestinationis Deus speciali modo concurrit & assistit, præbendo singularia inditia dilectionis suæ. Ergo peccata non sunt Prædestinationis effectus.

Quare solus bonus vsus, seu fructus qui ex lapsu in peccatum elicitur est prædestinationis effectus: quatenus Prædestinati efficiuntur ex casu humiliores, cautiores, feruentiores, orationi studiosiores, & propriæ infirmitatis magis conscij, & in hoc sensu verum est illud Apostoli Rom. 8.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Vbi glossa ex Augustin. desumpta ait; *Vsque adeo omnia, vt si qui eorum deuiant & exorbitant, etiam hoc ipsum faciat eis proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque cautiores.* & Ambros. Apolog. 1. Dauid. c. 2. *Sancti sicubi fortè vt homines corruerint, naturæ magis fragilitate quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina; vt non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiua cumulasse.* Hinc Dauid confitetur. *Bonum mihi Domine quod humiliasti me.* Psal. 118. Et Apost. 2. Cor. 14. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis,* qui ad peccatum inclinat, & vix est sine peccato saltem veniali.

Confirmatur tota hæc responsio: subtractio gratiæ prout se tenet ex parte hominis non est beneficium Dei, sed pœna & vitio; non est etiam per Christum, neque enim Christus mortuus est, vt gratiâ careremus, sed vt eam ex eius plenitudine hauriremus; non conducit etiam per se ad gloriam, sed potiùs diuertit. Sed omnis effectus Prædestinationis est beneficium Dei speciale, Prædestinatio enim est præparatio beneficiorum; est etiam per Christum, in quo nos Deus elegit ante mundi constitutionem; perducit etiam ad vitam æternam, vt ex dictis manifestum est. Ergo hæc subtractio gratiæ non est effectus prædestinationis sed Prouidentiæ generalis, ad cuius supremum regimen pertinet aliqua mala in vniuerso permittere, vt differt. superiori ex D. Thoma ostendimus.

Vnde relinquitur solum bonum vsum lapsuum, & quotidianarum culparum esse effectum

Prædestinationis, vnde & illum bonum vsum à Deo petere possumus. Non tamen possumus ab eo petere, vt permittat nos cadere in peccata, etiam sub conditione quod sint idonea ad nostrum profectum, vt quidam haud rectè dixit, si enim non sunt facienda mala vt veniant bona, qua ratione petere possumus vt veniant mala, sub aliqua spe boni? Absit huiusmodi petitio, quæ sanè non habetur in oratione Dominica, in qua potiùs rogamus, *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.*

Dices: Deus vult permittere electum cadere in peccatum, putà Petrum in infidelitatem, siquidem respectu Dei nihil est casualè vel fortuitum; vult, inquam, ex aliquo bono fine, scilicet ob pœnitentiam, humiliationem, & vtilitatem electi. Ergo permissio peccati & subtractio gratiæ, non quidem secundum suam naturam & ex propriis considerata, sed provt ex misericordia Dei ordinatur ad aliquod bonum electi est effectus Prædestinationis, conducens ad gloriam, quatenus ex ea nascitur humilitas, pœnitentia, feruor, aliaque huiusmodi bona.

Respond. Deum velle permittere hominum peccata ob inumeras rationes, quas habet infinita prouidentia in Thesauris sapientiæ suæ partim notas, partim vero occultas. Vnde non negamus permissionem in peccatum esse effectum prouidentiæ; sed inficiamur esse effectum Prædestinationis, quia pro huiusmodi permissione peccati, gratiæquæ subtractione Christus mortuus non est: sed solum vt iusti peccantes humiliores, cautiores, feruidiores, & prudentiores existerent: vnde hæc maior humilitas, cautio, prudentia, & feruor sunt effectus Prædestina-

tionis, & hoc est quod intendit S. Thom. 1. 2. q. 79. ar. 4. *Peccatum ad duo ordinatur, ad vnum quidem per se, scilicet damnationem, ad aliud autem ex Diuina misericordia, scilicet ad sanationem; inquantum Deus permittit cadere in peccatum, vt peccatum suum agnoscentes humilientur, & conuertantur sicut dicit Aug. in l. de nat. & grat. Vnde & excæcatio sui naturâ ordinatur ad damnationē eius qui excæcatur, propter quod ponitur etiam reprobationis effectus; sed ex Diuina misericordia excæcatio ad tempus, ordinatur medicinaliter ad salutem eorū qui excæcantur: sed hæc misericordia non omnibus impenditur excæcatis, sed prædestinatis solum, quibus omnia cooperantur in bonum.* Vides malum & excæcationem à prouidentia permitti, vt homines humilientur & sanentur, vult enim omnes saluos facere: sed tamen hunc fructum, hanc humiliationem, medicinalem sanationem in solis electis consequi; atque adeo ille dumtaxat fructus est prædestinationis effectus, permissio vero peccati est effectus prouidentiæ.

Quæri etiam solet an vsus liberi arbitrij sit effectus prædestinationis. Sed de hoc speculatione præcedenti satis superque actum est. De certitudine vero, signisque prædestinationis agemus in fine Theologiæ.

Reflexio.

Cum timore & tremore operemur salutem etiam qui in nobis aliquos prædestinationis effectus experimur. Nam, vt air Chrysosto. lib. 1. adver. vitia vit. Mon. *Non omnes qui initio arctam vitam apprehenderunt ad finem etiam perducti sunt: sed alij in ipsis initiis: nonnulli in itineris medio: plu-*

rimi in ipsum ferè portum inuecti naufragium fecerunt. Quid terribilius ? Certè cum videamus in ipso statu virginitatis, quem Cypria. l. de disci. & hab. virgin. *Florem Ecclesiastici germinis, & illustriorem portionem gregis Christi* appellat, quinque fatuæ ex decem inueniantur, quis non expauescet ?. Si Apostolus Magister gentium & vas electionis post prædicatum vniuerso mundo Saluatorem, post raptum ad tertium cœlum, timet ne reprobus efficiatur, & ideo castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, vt 1. Cor. 9. attestatur, quis securus erit, nec timebit excludi à à regno solis humilibus peruio, superbis occluso ? Certè si Deus sapientibus se abscondit, vt reueletur paruulis ; si infirma & humilia mundi eligit, vt confundat fortia ; si suscitat de terra inopes, & de stercore eleuat pauperes, vt deprimat colla sublimium; si misereatur cuius miseretur, & misericordiam præstet, cuius miseretur, vt tota scriptura inculcat : profecto sapiens non eris, Lector, si hæc considerans vsque ad centrum terræ te non deprimas, vt intra paruitatis tuæ nihilum absorptus & immersus, ad peccati nihilum non redigaris. Hoc petebat prudentissimus Iob. c. 54. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno* (Id est in inferioribus partibus terræ præ humilitate iacentem & prostratum) *protegas me, donec pertranseat furor tuus*, qui in superbos solos excandescit ? Et sanè nullus tumori potest esse locus in tanta studiorum humanorum vacillatione & fragilitate. Nulla illi materia suppetit superbiæ, qui norit omnem fortitudinem suam esse fatuillam stupæ, & omnia bona naturalia non esse Prædestinationis effectus, nec vllius plane esse ad salutem momenti, nisi superna-

turalis & indebita gratia opituletur. Hinc præclarè Gregor. magnus expendens illud Iob, *si osculatus sum manum meam ore meo*, ait perinde esse ac si dixisset: *Ego mea opera tanquã mea non profero, quia authoris sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur.* Vnde & præmiserat: *Sancti, quidquid in se boni inspiciunt, immortalis gratiæ cognoscunt donum, eique de accepto munere debitores fiunt: qui & præveniendo dedit eis bonum velle quod noluerant, & subsequendo concessit bonum posse quod volunt. Vnde bene per Ioannem dicitur, adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini, vt ad illum referant gloriam laudis, à quo se sciunt vires cepisse certaminis.*

CAPVT II.

De reprobationis Iudiciis.

NOn minus abstrusum & reconditum est reprobationis secretum quam Prædestinationis sigillum. Vnde omnes hac in parte decisiones ad Patrum & Sanctorum oracula exigendæ sunt. *Dignum est*, (ait S. Fulg. l. 1. de verit. Prædest. c. 15.) *Vt in singulis quibusque sententiis, in quibus nubilo cuiusquam obscuritatis ambigimus, Sanctorum Patrum definitionibus hæreamus, quos præveniens misericordia Dei gratis illuminauit, vt crederent, & sequens instruxit spiritualiter, vt docerent.* Porrò nomine reprobationis intelligitur

reiectio alius rei improbæ, vel vilis, & contemptibilis. 1. Cor. 1. *Prudentiã Pruaentium reprobabo.* 1. Reg. 15 *Quidquid vile fuit & reprobũ, hoc demoliti sunt.* Cęterum vsu Patrum & Theologorũ reprobatio specialiter accipitur pro ordinatione Dei priuantis aliquos vita æterna. Vnde variis nominibus misera eorum sors in Scripturis significatur. 1. dicuntur ignoti. Matth. 5. *Nescio vos.* 2. odio habiti. Rom. 9. *Iacob dilexi, Esaũ autem odio habui.* 3. repulsi. Psal. 87. *Et ipsi de manu tua repulsi sunt.* 4. despecti. Eccles. 1. *Nemo potest corrigere quem Deus despexerit.* 5. Maledicti. Matt. 25. *Discedite maledicti in ignem æternum.* 6. ibidem vocantur *Hadi.* 7. *proscripti in diem malum,* in epist. B. Iudæ. 8. *Vasa iræ, vasa contumeliæ, apta in interitum.* Rom. 9. vt autem Methodicè procedamus.

Eundem ordinem sequemur speculantes arcanum reprobationis, quem prædestinationis mysterium explicantes seruauimus, tradentes existentiam, essentiam, motiua, & effecta illius. Nec minores in hoc sigillo resignando occurrent difficultates quam in præcedenti, ob quas tamen veritas minimè deserenda est. Nam vt ait Aug. de bon. perseu. c. 14. *Nunquid ideò negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit non possumus inuenire?*

SPECVLATIO I.

Certum est dari in Deo reprobationem, quæ consistit formaliter in imperio intellectus, supponente efficacem voluntatem excludendi aliquos à gloria.

PRior pars est certa secuadum fidem, eamque formidabat Apostolus vas electionis, dum aiebat. 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, ne reprobus efficiar.* Et eam probat D. Thom. q. 23. a. 3. quia ad supremum prouisorem pertinet, vt permittat aliquem defectum in rebus, quæ suo ordini subduntur: sicut in ordine naturali multa videmus deficere à fine, multasque accidere corruptiones & infirmitates: ergo etiam in ordine gratiæ sapientissimè permittit Deus aliquos incidere in peccata, propter quæ excluduntur à gloria; vt manifestetur Diuina iustitia in eorum punitione; misericordia in illis sufferendis cum tanta patientia, & longanimitate; necessitas Diuinæ gratiæ, quâ iuuante vincimus, & eâ iterum non adiuuante vincimur; defectibilitas libertatis creatæ, quæ sibi relicta ad malum sufficit, ad bonum vero nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono.

Hanc rationem tangit Apostolus Rom. 9. *Volens Deus ostendere iram* (id est iustitiam vindicatiuam,) *& notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Vbi docet Deum

aliquos reprobare, vt inde attributorum ſuorum gloria coruſcet. Docet etiam idem Apoſtolus id exigere ordinem & decorem vniuerſi, cuius pulchritudo ex bonorum & malorum admixtione conſurgit, contraria etenim iuxta ſe poſita magis eluceſcunt; & hic eſt ſenſus quem prætendit dum 2. Timot. 2. ſcribit: *In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed etiam lignea, & fictilia; quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam.*

Poſterior pars, quæ eſſentiam reprobationis explicat, probata relinquitur ex dictis de prouidentia & prædeſtinatione, oppoſitorum enim eadem eſt ratio. Vnde D. Thom. ar. 3. huius q. 23. ſic diſcurrit: *Sicut Prædeſtinatio eſt pars prouidentiæ reſpectu eorum, qui diuinitus ordinantur in æternam ſalutem; ita reprobatio eſt pars prouidentiæ reſpectu illorum, qui ab hoc fine decidunt: vnde ſicut prædeſtinatio includit voluntatem inferendi gratiam & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquos cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Hanc autem voluntatem ſequitur imperium executiuum illius, quod quidem imperium eſt actus intellectus, vt ſupra oſtenſum eſt, & vberiùs dicetur in morali: ergo reprobatio formaliter ſita eſt in actu intellectus ſupponente intentionem efficacem voluntatis.

Neque enim poteſt ſufficienter explicari reprobationis eſſentia per ſolam negationem & carentiam actus imperij & voluntatis dandi gratiam efficacem ſaluti obtinendæ neceſſariam. Hæc enim explicatio, licet nonnullis arriſerit, Diuinæ voluntatis actualitati & perfectioni repugnat. Puriſſima enim & infinita voluntatis

Dei eminentia circa obiecta sibi ab intellectu proposita suspensa manere nequit, vt aliàs fusè ostendimus: & certè si ad reprobationem sufficeret negatio prædestinationis & electionis, possent dici homines possibiles reprobati, cum eos ad gloriam Deus non elegerit.

Ex his habes legitimam reprobationis definitionem à S. Doctore loco citato traditam. *Reprobatio est præscientia eorum, qui ab æterna vita excluduntur, cum voluntate permittendi culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Cui affinis est illa quam affert Magister sententiar. in 1. d. 40. *Reprobatio est præscientia malitiæ in quibusdam non finiendæ, & præparatio pœnæ non terminandæ.* Quibus satis insinuatur reprobationem in actu intellectus connotante decretum efficax voluntatis, sitam esse. Nec contra hoc potest fieri argumentum, quod ex dictis de Prouidentia solutum non sit.

Reflexio.

Sicut supra vidimus propitium Dei intuitum totius esse boni fontem inexhaustum; Ita aduersus Dei indignantis aspectus quo homines reprobat, malorum omnium scaturigo est. Vnde dicitur Psal. 33. *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Hos autem iræ & indignationis oculos in superbos distringit Deus. Nam, vt ait Richardus Victorinus in Psal. 28. *Non solum ad vocis suæ tonitruum, sed sæpè ad aspectum suum contriuit montes arrogantiæ, incuruauit colles superbiæ, & quoties voluit deposuit potentes de sede.* Habac. 3. *Aspexit & dissoluit gentes, & contriti sunt montes sæculi.*

Aſpectus ille nihil eſt aliud quam terrificum illud væ, quod tantopere timendum Doctores inculcant, quia maledicere Dei vtpote efficax eſt male facere, lædere, occidere, perdere; vt patet exemplo ficulneæ infructuoſæ, quæ, vt dicitur Marc. 11. ſtatim ad Chriſti maledictionem aruit. Humiles ergo ſimus, & ſub incerto reprobationis arcano, væ illud ſuperbis imminens, & ab Iſaia interminatum, vitemus: ait enim. c. 5. *Va qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes.* Si aſpectus Chriſti in horto quærentes milites proſtrauit, quantumvis eſſet & gratiâ in labis ſuis diffusâ, & decore quem induit, ſuauiſſimus, quid faciet quæſo, vel quid non faciet indignantis intuitus? *Quis eius iram toleret* (ait Gregor. l. 6. Mor. c. 6.) *Cuius nec manſuetudo potuit tolerari?* Vnicum remedium eſt humilitas; *Quod donum qui non habet, non dubito dicere, alia quæcumque habet inaniter habet,* inquit Auguſt. de don. perſeu. c. vltimo.

SPECVLATIO II.

Reprobatio provt dicit excluſionem à gloria tanquam beneficio indebito, non habet pro motiuo praeuiſa demerita & peccata ſiue actualia, ſiue originale; bene tamen provt includit voluntatem puniendi & infligendi pœnam.

PRima pars quæ à motiuo reprobationis negatiuæ (ſic dictæ, non quod in negatione actus conſiſtat, ſed quia gloriam tanquam beneficium indebitum denegat) excludit omnia peccata tam actualia quam originale, eſt expreſſa doctrina D. Thomæ hîc art. 3. ad 3. vbi

non aliam rationem assignat reprobationis astruendæ, nisi manifestationem Diuinarum perfectionum, complementum vniuersi, & quia in magnâ domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam fictilia & lignea; & demum sic concludit: *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem nisi Diuinam voluntatem.* Et in 1. ad Annib. d. 41. q. vni. art. 3. postquam distinxit duplicem in Deo voluntatem circa reprobos alteram de contradictorio, qua vult aliquem non saluare; alteram de contrario, qua vult positiuè damnare; expressè ait, secundam habere quidem rationem ex parte vóliti, quia culpa supponit pœnam; secus verò primam, quia gloria est indebita, *nec requiritur ratio* (inquit) *quare non dem alicui, cui dare non debeo.* Certe si iuxta mentem D. Thomæ his aliisque locis euidenter expressam, reprobationis nulla sit ratio nisi Diuina voluntas; cum exceptio firmet regulam in contrarium, omnino contradicere D. Thomæ est, assignare aliquam rationem præter Diuinam voluntatem, putà peccatum originale. Maximè quia S. Doctor hîc art. 3. docet reprobationem esse actum Prouidentiæ, cuius est permittere quosdam à fine deficere, & cadere in peccatum non remittendum. Ergo euidenter censet reprobationem non supponere peccatum, sed illius permissionem inferre.

Probatur ratione manifestè deducta ex dictis de Prædestinatione: Deus nullis suppositis, vel præuisis meritis aliquos homines elegit ad gloriam, ex mero voluntatis suæ beneplacito, quo eis apponit cor suum, vt cap. præc. ostensum est. Ergo alios positiuè relinquit ex sua pura voluntate, nulla habita ratione ad demerita. Nam

eodem motiuo quo quosdam assumit, alios relinquit, quos prudens & videns non destinat ad gloriam, cum possit: Imò in hoc consistit gratuita electio, quod eodem actu & motiuo vnus assumatur & alius relinquatur. Atqui illa positiua derelictio, qua aduertenter excluduntur reprobi à gloria indebita, est reprobatio de qua hîc agimus. Ergo reprobatio, vt est exclusio à gloria, tanquam beneficio indebito, non habet aliam causam motiuam, quam Diuinam voluntatem, non verò demerita præuisa.

Hanc rationem indicat Apostolus Rom. 9. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Iacob dilexi, Esaù autem odio habui.* Et adducto exemplo Pharaonis, subdit: *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Et statim refutans querelam orram, ex eo quod nullus Diuinæ voluntati resistere queit, ait: *Homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me feciſti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Vides Doctorem gentium, non aliam huius ineffabilis mysterij rationem assignare, quam Dei voluntatem, sicut ad eamdem in negotio Prædestinationis semper recurrit. Quare tam manifestè liquet Apostolum non supponere demerita vel massam peccato coruptã pro reprobatione, quam non supponit bona merita pro electione: sicut in massa luti nihil supponitur, nisi quod est indifferens & formabile ad voluntatem figuli.

Subscribunt Pates huic Apostolicæ doctinæ. Et licet de Augustino nonnulli ambigant: nihilominus in eius doctrina versatis dubitare non licet. Cum enim S. Pater non vno loco sed

passim hominum reprobationem in inscrutabilem iudiciorum Diuinorum abyssum referat, planè consequitur reprobationis meritum secundum Augustinum non esse in homine quærendum. Loca Augustini in præloquio huius libri adduximus, quibus illa omnia adimi possent, quibus asserit nullam esse causam cur Deus vni det perseuerantiam, alteri neget, permittatque istum cadere in peccatum propter quod damnatur: quod vtique verum non esset, si reprobatio haberet aliquam causam. Sic autem loquitur Augustinus de correp. & grat. c. 8. *Hic si à me quaeratur, cur eis Deus perseuerantiam non dederit, quibus eam qua Christianè viuerent dilectionem dedit? Me ignorare respondeo* (si autem peccatum præuisum vel actuale vel originale esset causa reprobationis in promptu erat responsio.) *Non enim arroganter, sed agnoscens meduitem meum, audio dicentem Apostolum, ô homo tu qui es qui respondeas Deo? Et ô altitudo diuitiarum, quam inscrutabilia sunt iudicia eius..... Mirandum est quidem, multumque mirandum, quod filiis suis Deus quibusdam quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseuerantiam, cum filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertitâ gratiâ suâ faciat filios suos. Quis hoc non miretur? Quis hoc non vehementissimè stupeat?* Et adducto exemplo paruulorum quod non minùs mirum est, & tamen verum atque ita manifestum, vt nec ipsi inimici gratiæ Dei *quomodo id negent valeant inuenire*, ait: *Certè hîc iudicia Dei, quoniam iusta & alta sunt nec vituperari possunt, nec penetrari: De vtrisque exclamamus, O altitudo diuitiarum. Nec miremur nos vestigare non posse inuestigabiles vias eius?* Egregiè astipu-

latur Prosper respon. ad 14. obiect. vinc. *Cur ex duobus iustis illum retineat Deus, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum inuestigare: cum scire sufficiat, & ab illo esse quod statur, & non ab illo esse quod ruitur.* Ad eandem iudiciorum Diuinorum abyssum creberrime refert Gregorius magnus perseuerantiam, vel lapsum hominum, vt legere est l. 29. Moral. c. 9. 17. & 18.

Vnde licet illi Theologi qui aliter sentiunt de prædestinatione Angelorum & hominum, diuersamque gratiam admittunt in statu innocentiæ ab ea, qua in statu naturæ lapsæ indigemus, satis consequenter dicant reprobationem quocumque modo acceptam supponere peccatum originale, & reprobationem dæmonum præuisionem peccati actualis: quia in eorum principiis in statu naturæ integræ non datur nisi gratia sufficiens expectans efficaciam à determinatione voluntatis; vnde consequenter Deus non prædestinat, vel reprobat nisi ex præuisione boni vel mali vsus gratiæ; ac proinde nisi Deus lapsum Adæ præuidisset hominem non reprobasset. Cum enim non admittant decretum prædeterminans & per se efficax nisi ob infirmitatem arbitrij peccato debilitati; si non esset peccatum, inquiunt, non esset opus prædestinatione efficaci & causante consensum voluntatis: nec daretur reprobatio nisi supposito peccato: vnde & docent prædestinationem bonorum Angelorum esse ex præuisis meritis, & reprobationem Dæmonum ex præuisis demetitis.

Cæterum Thomistæ qui necessitatem gratiæ per se efficacis pro omni statu admittunt, quique confitentur prædestinationem Angelorum

esse ante prævisa merita, & reprobationem Dæmonum esse ante præuisa demerita (neque enim in illis fuit peccatum originale) Thomistæ inquam, non possunt nisi obliti suæ doctrinæ & principiorum suorum, asserere reprobationem hominum, prout est exclusio à beneficio indebito, supponere peccatum originale.

Vnde plane mirari subit cur Pat. Gonet, qui tam strenuè Thomistica dogmata clypeo suo tutari solet, hac in parte à trita Thomistarum omnium semita recesserit. Certè si reprobatio Angelorum nullum supponit peccatum, sed potiùs permissio peccati est effectus reprobationis ipsorum, qua consecutione doctrinæ asseretur alius reprobandi modus pro homine? Sane hâc suâ singulari sententiâ (nullus enim ante ipsum Discipulus D. Th. eam præ-lo mandauit) difficultates non vitauit, sed auxit; non quidem vitauit, quia omnia argumenta, quæ contra nos militant, illi in reprobatione Angelorum soluenda sunt; auxit vero, quia restat ei satisfaciendum sequenti discursui, quo.

Probatur amplius communis Thomistarum sententia: effectus reprobationis non potest esse causa & motiuum illius: Atqui permissio peccati originalis propter quod aliqui excludantur à gloria, putà paruuli ante baptismum decedentes, est primus effectus reprobationis. Ergo reprobatio non supponit peccatum originale. Maior constat etiam apud eos quos impugnamus, qui ex eo probant nobiscum prædestinationem esse ante præuisa merita, quia hæc sunt effectus prædestinationis. Minor vero diserte traditur à D. Thom. ar. 3. dicente, quod sicut prædestinatio includit voluntatem inferendi gra-

tiam,& gloriam ; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa : Ergo apertè sentit S. Doctor peccatum illud pro quo aliquis excluditur à gloria (quod in paruulis non initiatis fonte baptismatis est originale) esse ex Diuina permissione, sine qua nihil accidit ; quam permissionem ait esse effectum reprobationis, cum dicat *reprobationem includere voluntatem permittendi culpam.* Quod si peccatum originale non sit causa reprobationis paruulorum, multò minùs adultorum ; tum quia alias diuersus esset reprobandi modus pro vtrisque, quod nullus adhuc Thomista cogitauit ; tum quia peccatum Originale in multis adultis baptismate deletur, vt posteà ponderabimus.

Probatur secundò : finis priùs intenditur quàm media ; connaturalis enim modus agentis intellectualis in præparatione mediorum est exordiri ab ipsius finis intentione, ex qua ad mediorum electionem procedat. Cui principio innituntur omnes gratuitæ Prædestinationis assertores, vt probent Deum priùs intendere gloriam, quam præuideat merita efficaciter ad eam perducentia. Atqui finis à Deo intentus in reprobatione est exclusio à regno cœlorum propter suorum attributorum manifestationem. Ergo priùs naturâ quàm permittat vel præuideat peccata perducentia in damnationem (quale est originale in innumeris paruulis) concipitur in Deo voluntas excludendi aliquos à regno Cœlorum. Sanè non video quid huic rationi verosimiliter responderi possit suppositâ doctrinâ de gratuita Prædestinatione, de qua dixit Cardinalis Bellarminus l. 2. de grat. & l. arbit. c. 11. *Illam non*

quorumvis Doctorum opinionem, sed fidem Ecclesiæ Catholicæ dici debere.

Probatur demum: Deus non reprobauit, nec excluſit à gloria propter peccatum illud, quod non ſolum voluntate antecedenti, ſed etiam conſequenti & efficaci voluit delere, remittere, & deſtruere, quodque de facto in tempore delet, remittit, & deſtruit. Atqui Deus multis hominibus voluit denegare gloriam, in quibus tamen efficaciter voluit remittere, & de facto condonauit, abſtulitque peccatum Originale. Ergo Deus non reprobauit propter peccatum Originale. Minor eſt manifeſta, conſtat enim non omnes baptizatos nouæ legis, nec omnes circumciſos veteris legis fuiſſe ſaluatos, in quibus tamen peccatum originale delectum eſt. Maior vero videtur clara: qua enim ratione poteſt intelligi vel conciliari, Deum velle efficaciter excludere aliquem à gloria propter vnum aliquod peccatum, & ſimul velle efficaciter peccatum illud remittere & condonare?

Vrgetur hæc ratio: ſi Deus vult denegare gloriam propter peccatum originale, etiamſi ſit in tempore remittendum, vult etiam denegare gratiam efficacem & donum perſeuerantiæ propter illud; intentio enim finis eſt cauſa electionis & executionis mediorum; medium vero exequens reprobationem ſecundum omnes eſt denegatio gratiæ efficacis & doni perſeuerantiæ. Atqui implicat Deum denegare gratiam efficacẽ propter peccatum ſincere remiſſum & condonatum; nam aliàs illud peccatum eſſet & non eſſet remiſſum, eſſet quidem ex ſuppoſitione baptiſmatis; non eſſet verò, ſiquidem Deus propter illud infligeret pœnam omnium grauiſſimam,

nempè gratiæ illius subtractionem ex qua sequitur damnatio. Ergo Deus non voluit denegare gloriam seu reprobare propter peccatum Originale remissum. Aliàs falsum esset quod ex Apostolo Rom. 6. docet Tridentin. sess. 5. c. vlt. in renatis nihil odisse Deum, & nihil damnationis esse his qui sunt in Christo IESV.

Multæ solent huic demonstrationi adhiberi responsiones, sed nulla satisfacit. Quod enim dicunt aliqui Deum reprobare & excludere à gloria propter peccatum originale, non tamen decretum illud exequi propter peccatum Originale, est mera evasio. Nam eidem motiuo attribuitur executio, cui attribuitur intentio talem executionem causans, cum executio ex efficacia intentionis deriuetur : Ergo si Deus intendat excludere à gloria ob peccatum originale, de facto excludet propter illud : sicut quia motiuum Prædestinationis est misericordia Dei, verum est etiam dicere Deum coronare sanctos in misericordia & miserationibus, & ex sua gratuita benignitate dare donum perseuerantiæ. Denique hanc & alias solutiones quas non minus fusè, quam eruditè prosequitur P. Gonet hoc vno verbo confringes dicendo, hæc duo decreta esse in adiecto, vt dicunt, & in terminis implicatoria : *Volo efficaciter voluntate beneplaciti excludere reprobum à gloria propter peccatum originale* ; & simul prædestinire ; *Volo efficaciter voluntate beneplaciti delere, remittere, & condonare peccatum originale illius reprobi* : quæ duo decreta admittere tenetur opposita sententia, & tamen incompossibilia esse ex penetratione terminorum quis non videt ? Nam licet peccatum originale possit dici remissum, etiamsi maneat fomes peccati &

concupiscentia (vt tacitæ obiectioni occurram) non tamen si maneat reatus vitæ æternæ. Irrisoria enim & illusoria omnino condonatio est, si ob peccatum, cui parcere iudex asserit, pœnam grauissimam infligit. Sicut etiam peccatum actuale non censeretur in Sacramento Pœnitentiæ syncerè & sine dolo dimissum, si, quantumvis maneant prauæ inclinationes ex peccatis præcedentibus relictæ, æternæ pœnæ reatus permaneret. Porrò dicere peccatum originale non esse causam adæquatam reprobationis, quia ex duplici titulo Deus homines reprobauit scilicet titulo indebitæ gratiæ,& titulo iustitiæ punitiuæ propter peccatum originale ; hoc inquam, dicere est ad nostra castra redire, & veritate conuictum fateri non aliam esse causam reprobationis negatiuæ, quam Diuinam voluntatem inscrutabilem, & quia *in ea requieuit Apostolus, nemo quærat à me occultorum rationem*, ait Augustus.

Secunda pars speculationis facilis est, & eius rationem insinuat D. Thom. locis citatis : quia pœna est correlatiua culpæ, quam necessariò præsupponit, & dicunt communiter Patres, quod *Deus est bonus ex suo, & iustus ex nostro*, id est occasione sumpta ex peccatis nostris ; vnde repugnat eius bonitati, quod decernat punire & infligere vllam pœnam nisi propter culpam præuisam. Vnde Aug. lib. 3. cont. Iul. c. 8. *Bonus est Deus, iustus est Deus ; potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est ; non potest sine malis damnare, quia iustus est.* Et l. 3. de lib. arbitr. c. 9. *Si peccatis detractis miseria perseuerat, aut etiam peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo atque administratio vniuersitatis.*

Satisfit obiectis.

Obiicies : voluntas efficaciter excludendi aliquem à gloria est incompossibilis cum voluntate saluandi omnes homines : quomodo enim eorum salutem sincere vult Deus, quos ante præuisa demerita à salute excludit ? Atqui Deus verè & sincerè vult omnes homines saluos facere. Ergo non vult aliquos excludere à gloria ante præuisa demerita.

Respond. hanc difficultatem supra fuisse expeditam, dum de voluntate Dei, & summa est : quod sicut iudex potest sincere velle, salutem hominis, quem tamen tradit de facto suspendendum : Ita Deus volens omnium salutem, potest de facto aliquem excludere à tali fine indebito, attentis circunstantiis defectibilitatis humanæ, boni vniuersi, manifestationis attributorum. Sicut etiam in Principiis assertorum scientiæ mediæ, cum voluntate saluandi omnes stat Deum velle efficaciter constituere hominem in illo circunstantiarum ordine, in quo præuidit eum peccaturum & damnandum. Denique omnes premit exemplum indissolubile paruulorum, quos Deus voluit excludere à gloria nullis suppositis, vel præuisis demeritis, quæ in eis nulla sunt ; & tamen voluntate antecedenti vult eos Deus saluos facere.

Dices : nostra sententia est valde dura, nec sapit pietatem illam Dei, quam tantopere commendat Scriptura, dum præcipit sentire de domino in bonitate : non enim cum tanta clementia stare videtur, quod aliquem à regno suo excludat Deus ex sua simplici voluntate, non impulsus

ex nostris demeritis, & quod potius ex illa voluntate denegandi gloriam ad permittenda peccata, negandamque gratiam procedat. Certè durus est hic sermo, & quis potest eum audire?

Respond. hanc difficultatem æqualiter premere omnes sententias. Nam permissio primi peccati irremissibilis (quale fuit in Angelis, & quale est in paruulis sine baptismo morientibus) non præsupponit aliquam priorem culpam, cum sit permissio primæ, nec procedere liceat in infinitum. Peto ergo ab aduersariis, quare Deus velit permittere illud primum peccatum, ex quo infallibiliter sequetur exilium à regno? Certè non possunt confugere nisi ad latentia Dei consilia, non enim possunt recurrere ad præcedentem culpam, cum loquamur de prima: & tamen non minoris sed omnino eiusdem iacturæ est denegatione gratiæ permittere peccatum irreparabile, quam excludere à gloria, cum gloriæ exclusio in illius peccati permissione nitatur. Ergo si primum vult Deus, absque vlla crudelitatis nota, vel bonitatis diminutione, quidni idem dicetur de secundo? Adde quod licet secundum aduersarios Deus reprobet post præuisa demerita, tamen in manu eius erat, ita singula disponere & apparare, vt peccata & demerita impedirentur, & tamen non fecit: respondeant ergo aduersarij, an Deus sit propterea minus bonus, vel nimis durus?

Quare fatendum est difficultatem esse sententiis omnibus communem, cui dicendum, aliter discurrendum esse de gubernatore & prouisore vniuersali, aliter de particulari. Licet enim particularis non possit nec debeat permittere defectus, quos potiùs præpedire tenetur, nec eius

sit

sit intendere iustitiæ ostensionem, sed eam solum, vbi culpæ exigunt, exercere: tamen prouisor generalis & author totius naturæ permittere defectus potest, ob contingentiæ, & defectibilitatis creatæ exigentiam, sicut & locum dare iustitiæ sine vlla crudelitatis, & duritiei nota. Pertinet quippe ad bonitatem vniuersalissimi entis vt suæ iustitiæ manifestandæ prouideat, eique in vniuerso locum det; vt decori vniuersi ex malorum bonorumque alternatione consurgenti consulat, vt creaturas liberas suæ contingentiæ, & infirmitati quandoque permittat; vt denique appareat quàm sublimis sit finis noster, quàm perperuius humilibus, quàm absconditus superbis, quàm gratuitus, & omnes vires creatas excedens, atque adeo summis precibus & sine intermissione petendus: quare in hoc nulla est crudelitas, sed summa prouidentia, nec delectatio miseriæ nostræ, sed amor boni vniuersi, quod est perfectius, & diuinius.

Radix deceptionis in hac parte est, quod intellectus noste constrictus & limitatus, immensum Iudicorum Dei pelagus iuxta suum modulum metiri vult: nec considerat Deum minimè irrogare iniuriam reprobis, quibus necessaria ad salutem non subtrahit, nec tenetur eis dare, quod nulli debet; in gratuitis enim non habet locum acceptio personarum, quia quod datur ex gratia potest sine iniustitia denegari. Vnde dicebat Paterfamilias Matth. 20. *Tolle quod tuum est, & vade; an non licet mihi quod volo facere?* In illa iudiciorum Diuinorum profunda adoratione vera & solida animi pax inuenitur. Quod si hæc tibi non satisfaciunt, caue ne sis

similis illi, cuius os impium obstruere, & temeritatem retundere cogitur Apostolus citatis verbis. *O homo tu quis es qui respondeas Deo*, &c. quæ verba sic explanat Naclantus noster: O homo, verè homo, verè vanitati & stultitiæ similis; tu quis es? Nonne lutum, puluis, & cinis, vt altercari præsumas cum Deo? Numquid oblitus es te esse figmentum, & sordidum lutum? Ergo aduersus eum qui te plasmauit audebis insolescere, illumque in ius deducere, aut cur hunc in modum te effinxerit querulari.

Instabis: verum quidem est Deum nemini facturum iniuriam si excluderet solum à gloria, vt à beneficio superexcedenti, & indebito; verùm Deus nullum excludit à gloria, quin illum addicat suppliciis sempiternis; hæc enim duo sunt inseparabilia, & necessariò connexa; sed iniuriam faceret Deus si ante præuisa demerita statueret punire & plectere reprobos. Ergo similiter si statuat illis degare gloriam; vnum enim sine altero esse non potest, præsertim cum præcipua pœna damnatorum si priuari visione Dei.

Respondeo, quod licet ille qui excluditur à gloria, incidat in damnationem, quia incidit in peccatum quod est causa damnationis; quia tamen Deus non est causa peccati, sicut volendo excludere à gloria non vult peccatum, ita per hoc formaliter non vult infligere damnationem, sed solum denegare beneficium indebitum. Et sub hac ratione exclusio à gloria non habet rationem pœnæ damni, sed solùm quatenus est est priuatio summi boni, ad quem homo in statu eleuationis ad ordinem supernaturalem poterat peruenire. Hinc valde excruciat damnatum priuatio visionis, quia videt se ex culpa

carere, & qua, si non obstitisset gratiæ, omne desiderium suum repleuisset.

Ex his dilucidè percipies manifestum discrimen, quod inter nostram Apostolicam (ab Apostolo enim tradita est) sententiam, & Caluini errorem inuenitur. Iste enim l. 3. institut. c. 21. §. 2. posuit homines *nudo Dei arbitrio citra proprium meritum in Æternam mortem Prædestinari.* Quam quidem blasphemiam cum Ecclesia Catholica detestamur, & verbis ipsis vti placet, quibus Concilium Arausianum 2. hanc impietatem proscripsit. Cano. 25. *Aliquos Diuina potestate ad malum Prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sint qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Addit Caluin. c. 23. §. 8. se non dubitare, *Simpliciter fateri voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessariò futurum esse quod ille voluerit.* Nos verò dicimus neminem à Deo destinari suppliciis, nisi præuisis demeritis, ad quæ non modo non necessitat, sed gratiam sufficientem offert, vt non eueniant.

Scio nonnullos confundere sententiam Thomistarum cum errore Prædestinatianorum, qui Deum æquali modo Prædestinare supplicia malorum, ac præmia Sanctorum asserebant. Sed quam insulsa sit hæc calumnia patet ex dictis, cum statuerimus Deum non statuisse infligere pœnas nisi post præuisa peccata. Supponit etiam falsum hæc obiectio: nam veritas est, nusquam fuisse huiusmodi Prædestinatianos, sed hanc fabulam inuẽtam esse à Fausto Rhegienti Semipelagianarum partium capite, & ab eius coëtaneo Gennadio; qui ex vera & Orthodoxa Augustini de Prædestinatione doctrina falsas quas-

dam conclusiones deducebant, quas Augustini Discipulis & defensoribus imponebant, & affingebant, quos propterea Prædestinatianes nominabant, vt exosos redderent & suspectos, hæreticorum more & genio, qui Catholicos alicuius hæresis notæ insimulant, vt speciosiùs eos impugnent. Sic Eutichiani Catholicos distinctas in Christo naturas propugnantes, vt Nestorianos calumniabantur. Nestoriani vero Cyrillum vnitatem personæ Christi accerrimè tutantem Apollinaristam esse mentiebantur. Et ipsi Pelagiani Augustinum gratiæ victricis Patronum, tamquam Manichæum traducebant. Nec mirum, vt enim ait veritas Matth. 10. *Non est Discipulus super Magistrum, nec seruus supra Dominum suum : sufficit Discipulo vt sit sicut Magister eius, & seruo sicut Domino eius. Si Patremfamilias Beelzebut vocauerunt, quanto magis domesticos eius ?* Porrò ad amoliendum huiusmodi calumniam, exsufflandumque fictitium illud Prædestinatianæ hæresis monstrum, plura occurrerent : sed ne tam præclari argumenti dignitati iniuriosus sim, de eo pauciora obiter dicendo, quam decet ; quæstionem hanc Criticam aliis relinquimus, præsertim cum omnia quæ dici possent, à quodam Præside Parensi in paucis celebri præoccupata sint.

Insistes in fauorem sententiæ P. Gonet : D. Augustinus frequentissimè pro motiuo & causa reprobationis assignat peccatum. Originale D. etiam Thomas docet q. 23. ar. 5. in reprobatione relucere iustitiam, iustitia autem Dei supponit culpam saltem Originalem. Et q. 6. de verit. a. 2. ad 9. ait : *Ratio reprobationis est in hominibus peccatum Originale, vt Aug. dicit,*

Respondeo S. Augustinum velle solùm Deum in executione non inferre effectum vltimum reprobationis, vel intermedium obdurationis, nisi ob præcedens peccatum saltem originale : Non velle tamen Deum in intentione statuisse excludere aliquem à gloria ob peccatum originale, cum ante peccatum Originale intelligatur permissio illius, quæ est effectus, non motiuum reprobationis. Secundò dici potest cum Aluare disput. 110. de auxil. Nunquam dixisse Augustinum quod detur causa & motiuum reprobationis ex parte nostra, sed tantum quod detur causa obdurationis & derelictionis in peccato, ac damnationis æternæ, quæ causa est peccatum præcedens saltem Originale. Vnde Epist. 105. *Quærimus causam Prædestinationis, & inuenire non possumus : quærimus causam derelictionis, & inuenimus.* Sed nusquam asseruit dari causam primi effectus reprobationis, qui est permissio peccati vel originalis in paruulo, vel actualis ex quo adultus non resurgit. Tertiò respondeo S. Patrem velle peccatum Originale praeuisum ante Verbi incarnationem fuisse causam sufficientem ad reprobandum omnes homines, in quo differt reprobatio à Prædestinatione; nam respectu istius nulla datur causa ex parte nostri non solum efficax, sed nec sufficiens. Et sic liberabat se Doctor sapientissimus ab importunis Pelagianorum querelis continuo obstrepentibus, & petentibus, cur Deus vnum præ alio eligeret, alterum verò relinqueret non habita meritorum demeritorumque ratione. Quorum fastidiosis murmurationibus faciebat satis Doctor Sanctus dicens sufficientem causam derelictionis esse peccatum Originale, propter

quod filij Adam sicut nascuntur filij iræ, ita & à regno Cælesti exulare possunt. Cæterum dum Augustinus rem absolutè tractat semper ad occulta & insctutabilia Dei iudicia recurrit. Denique dici posset Augustinum loqui de reprobatione, provt includit voluntatem infligendi pœnam.

Ad id quod ex D. Thoma subiungitur dico S. Præceptorem non ideo dixisse in reprobatione relucere iustitiam, quia ad illam præsupponitur peccatum (hoc enim nullibi scripsit) sed quia, vt ipse se explicat, reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa, in quo processu datur vtique occasio manifestandi iustitiam suam. Vnde dicitur Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*, id est permisit Deus impium labi in peccatum, vt in die iudicij suam in punitione illius iustitiam ostenderet. Ad locum verò q. de veritate respondeo non integrè sed diminutè referri; Nam ibidem ait, causam excludendi homines à gloria esse *gloriam illis non deberi*. Et in prioribus verbis refert solùm Augustinum, cuius quatuor expositiones attulimus.

Dices: reprobatio nomine odij significatur Malach. 1. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*: sed Deus nihil odio habet nisi peccatum, nihil enim odit eorum quæ fecit, sed odio sunt ei impius, & impietas eius, vt docet Scriptura: Ergo reprobatio supponit aliquod peccatum saltem originale.

Respondeo mirum esse hanc instantiam à Thomista potuisse proponi, tum quia æque vt-

get in reprobatione Dæmonum ; tum maximè, quia ipsemet D. Thomas eam expresse resoluit art. 3. ad 1. dicens, quod odium non debet strictè accipi, sed solum *inquantum quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita aterna, dicitur eos odio habere.* Itaque licet odium strictum peccatum prærequirat, non tamen odium late acceptum pro voluntate denegandi aliquod indebitum, & ita frequenter accipitur odium in scriptura, vt idem sit odisse ac posthabere, negligere, & reijcere, vt Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum aut matrem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Vrgebis : reprobatio malorum supponit Prædestinationem bonorum, ex eo enim aliqui reprobi manent, quia nonnullis electis, ipsi relicti sunt : Prædestinatio vero sanctorum supponit Prædestinationem Christi, qui est Prædestinatorum caput, & archetypus : Prædestinatio verò Christi supponit peccatum Adami, in cuius remedium decreta est. Ergo à primo ad vltimum reprobatio hominum supponit peccatum Adami, quod reddens totum genus humanum Deo exosum, sufficiens exhibebat reprobandi motiuũ.

Respondeo peccatum Originale præsupponi ad reprobationem malorum non tanquam causam vel motiuum reprobationis, sed solum ad summum vt obiectum prius naturâ cognitum, sufficiens quidem vt propter illud Deus reprobaret, sed non mouens de facto ad reprobandum, siquidem illud in multis reprobis delere statuit, quos proinde reliquit non propter infectionem peccati Originalis, sed quia Prouidentia sua iudicauit bonum omnibus indebitum, non esse omnibus dandum, quod *noluit exanimare, si non*

vis errare, vt ait Augustinus. Adde in illo argumento multa supponi quæ apud Thomistas omnes rata non sunt. Multi etenim docent quod licet peccatum originale præcedat Incarnationem in ordine executionis, id tamen negant de ordine intentionis, in quo volunt Christum prius esse Prædestinatum quam peccatum præuisum, qua doctrina stante ruit totum fundamentum contrariæ sententiæ.

Reflexio.

Vt formidandæ, quam speculati sumus, veritatis horrore, & altitudine non opprimaris, hoc semper habeto præ oculis, Lector, quod licet Deus gratuito det gloriam, nulli tamen nisi ob præcedentia delicta & quidem inuitus pœnas infligit. Memento traditæ à Patribus maximæ, *A nullo homine recedit Deus, nisi prius ipse homo à Deo recedat.* & rursum: *Nisi tu ab ipso feceris casum, ipse à te non faciet occasum.* Sæpè sæpius miratus sum Diuinam Christi Domini prudentiam, dum cuidam sciscitanti, *Domine si pauci sunt qui saluantur*, respondit Luc. 13. *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Quibus verbis Saluator indicat fugiendam esse curiosam & anxiam de Prædestinatione & reprobatione inuestigationem, sed solum curandum per arctas semitas æquitatis incedere. Ita præclare Ioannes à S. Thom. tom. 2. disput. 10. art. 4. n. 9. Ecce quò ipsa veritatis responsio collimat, nempè noluit ipsi difficultati respondere, sed animo ac radici, vnde plerumque talium quæstionum nascitur disputatio. Volumus enim solatium aliquod captare,

& noſtræ deſidiæ aliquantulum obſecundare, dum ex vna parte videntes maiorem partem fidelium non admodum aſperam vitam ducere; & ex alia parte aſſerendo maiorem partem fidelium ſaluari aliqualem fiduciam capiamus, quod etſi negligentiores ſimus, nec admodum in nos ſeueri, & aliquando conſentiamus delectationibus ſæculi frui, adhuc ſaluabimur. Dominus autem has radices præſcindere cupiens, & omnem à nobis excutere ſocordiam & negligentiam, erexit oculos noſtros ad difficultatem adipiſcendæ ſalutis, & ad eam euincendam hortatus eſt. *Contendite*, inquit, *intrare per anguſtam portam*, quaſi dicat: Nolite de reprobationis iudiciis ſollicite angi, incurię veſtræ ac ſocordiæ nequaquam fauete, cogitantes multos etiam mediocri ſtudio ſaluandos; ſed potius ſolliciti & alacres eſtote, & per anguſtam portam intrare tota contentione nitamini; *Quia multi quærent intrare, & non poterunt*, id eſt, quia etiam ex his qui non omnino torpeſcũt, & in vitiis ſuis iacẽt, multi peribunt. Itaque reprobationis abyſſum ne ſcrutemur, ne ſub aquis tam vehementibus, in tanto illidentium fluctuum ſtridore mergamur: ſed per electorum ſemitas, & anguſtam Euangelij viam ambulare ſolliciti ſimus. Ad pacem animi conſeruandam hæc principia firmiter retine 1. Deus omnis boni cauſa, nullius mali mali author eſt. 2. Nulli Deus debitor, ſed tamen fidelis promiſſorum ſeruator eſt. 3. Deus neminem damnat, niſi propter illorum peccatum voluntarium. 4. Qui benè viuit, benè moritur.

SPECVLATIO III.

Varij sunt reprobationis effectus.

VT facilè discernamus quinam sint legitimi reprobationis effectus, illos examinabimus de quibus dubitari solet, idque sequentibus interrogationibus commodiùs præstabimus.

Rogabis primò an permissio peccati, denegatio gratiæ efficacis, & ipsa damnatio sint effectus reprobationis?

Respondeo affirmatiuè. Probatur: vt aliquid sit effectus reprobationis tria requiruntur (vt diximus supra dum de Prædestinatione, currit enim vtrobique paritas) primò quod sit à Deo, secundò quod conducat ad finem reprobationis, tertiò quod finem illum de facto consequatur ex intentione Dei. Atqui hæc triplex conditio conuenit tribus effectibus præfatis, Deus enim permittit aliquem cadere in peccatum, & illi auxilium efficax ad resurgendum necessariam denegat, & tandem illum in peccatis morientem punit ex fine reprobationis, qui est manifestatio Diuinæ iustitiæ, vt patet ex verbis Apostoli Rom. 9. *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Tria etiam prædicta conducunt ad finem reprobationis, vt patet. Ergo illis tribus per se conuenit esse effectum reprobationis, & ideo dicunt Patres Deum non facere sed ordinare peccata, quia peccata malorum ordinat ad bonum

commune, cuius pulcherrimam rationem assignat S. Thomas q. 5. de ver. art. 7. Quia quando homines in prouidendo ordinem non seruant, sed prouident secundum modum brutorum animalium, tunc etiam Diuina Prouidentia de eis ordinat, secundum ordinem qui brutis competit, vt scilicet ea quæ in eis vel bona vel mala sunt, non ordinentur in bonum eorum proprium, sed in bonum aliorum: comparati enim sunt iumentis insipientibus. Quando autem homines seruant ordinem rectum in prouidendo, tunc & bona & mala eis cedunt in bonum proprium, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Sed diligenter aduerte responsionem nostram intelligi debere de permissione peccati non remittendi, quod solum habet connexionem cum damnatione ad quam conducit. Non enim de peccatis dimissis similiter arbitrari licet, peccatum quippe per pœnitentiam in reprobo interdum remissum, non habet ampliùs reatum vitæ æternæ, cum illud Deus syncere condonauerit.

Nec dicas, posse aliquando contingere quod alicui reprobo remittatur peccatum in confessione, remanente adhuc debito pœnæ temporalis in purgatorio luendæ, & quod postea relabatur in mortale ob quod damnabitur, in quo casu peccatum dimissum plectetur pœnâ æternâ, cum in inferno nulla sit redemptio. Sed quod punitur pœnâ æternâ est effectus reprobationis: Ergo peccatum remissum est effectus reprobationis.

Sed respondetur ex D. Thoma in 4. d. 22. q. 1. art. 1. ad 5. quod licet peccatum veniale puniatur in inferno æternaliter, quia sicut manet semper culpa illius, ita & pœna: tamen pecca-

catum dimissum, cui debetur solum pœna temporalis, non nisi temporaliter punietur. Nec propter hoc sequitur dari in inferno redemptionem, quia pœna quæ soluitur, minimè redimitur. Nec est inconueniens quod quantum ad aliquid accidentalis pœna inferni minuatur vsque ad diem Iudicij, sicut etiam quandoque augetur. Vnde nec peccatum dimissum, nec pœna illi ad tempus inflicta sunt reprobationis effectus.

Rogabis secundò. An peccata sint reprobationis effectus?

Respondeo negatiuè, quia cum peccata non sint à Deo, vt docent Catholici omnes contra blasphemias hæreticorum, fit inde quod respectu peccati deest prima & principalis conditio requisita ad effectum reprobationis. Vnde optimè ait S. Thom. hîc art. 3. ad 2. *Aliter se habet Prædestinatio in causando, quam reprobatio. Nam Prædestinatio est causa & eius quod expectatur in futura vita à Prædestinatis, scilicet gloriæ, & eius quod percipitur in præsenti scilicet gratiæ: Reprobatio autem non est causa eius quod est in præsenti scilicet culpæ, sed est causa derelictionis à Deo: est tamen causa eius quod redditur in futuro, scilicet pœnæ æternæ. Sed culpa prouenit ex libero arbitrio eius qui reprobatur & à gratia deseritur, & secundum hoc verificatur dictum Prophetæ, perditio tua Israël ex te.* Et hac de causa passim à Doctoribus reprobi appellentur *præsciti*: quia nimirum in reprobis est aliquid tantum præscitum, & non præparatum & ordinatum nempè peccatum, propter quod damnantur.

Obiicies permissio peccati est effectus reprobationis, vt antea dicebamus: ergo & ipsum peccatum. Probatur consequentia: Deus non

potest velle permissionem peccati ob finem reprobationis, nisi ipsum peccatum velit propter eundem finem, qui enim amat medium conducens ad aliquem finem, magis amat rationem illam propter quam conducit ad finem; permissio autem peccati non conducit ad finem reprobationis, nisi ratione peccati, quod solum punitur æternâ pœnâ, non verò permissio. Ergo si permissio peccati sit effectus reprobationis, multò magis ipsum peccatum, ratione cuius permissio illa finem reprobationis consequitur.

Respondeo, non sequi ex eo quod Deus velit ex fine reprobationis permittere peccatum, velle etiam peccatum influendo in ipsum, sed finendo duntaxat lapsum creaturæ. Vnde distinguenda est illa propositio in probatione inclusa: qui amat medium ad finem, magis amat rationem propter quàm conducit, si ratio illa causetur ab amante finem concedo, si solum permittatur, nego: peccatum autem non causat Deus, sed permittit causari à nobis, vt puniatur à se. Et ratio est: quia Deus potest velle relinquere hominem in statu suæ defectibilitatis absque eo quod velit peccatum, quamtumvis peccatum ex huiusmodi defectibilitate sequatur; quia defectibilitatem illam referre ad se potest, secus verò peccatum, quod est essentialiter auersio à se vt vltimo fine.

Rogabis 3. Quid dicendum sit de bonis tùm naturalibus, cùm supernaturalibus, num sint reprobationis effectus?

Respondeo bona naturalia, & multò minùs supernaturalia reprobis oblata vel collata non esse reprobationis effectus. Quia licet reprobus substantiâ suâ aliisque naturæ & gratiæ donis

abutatur, tamen bona illa minimè largitus est Deus eâ intentione, vt sint materies peccati, & occasio damnationis, sed potius ex voluntate antecedenti, qua omnium salutem sinceriſſimè vult. Certe pias aures offendere videtur, quod nonnemo scripsit, ideo Deum reprobum creasse, aliisque dotibus adornasse, vt per huiusmodi ad damnationem perducatur. Sanè si hoc esset, talium bonorum effusio non beneficij rationem haberet, sed iniuriæ. Vnde non parum decipiuntur, qui credentes bona naturalia esse effectus Prædestinationis in electis, inferunt etiam esse similiter effectus reprobationis in his qui pereunt. Nam dato quod naturalia Prædestinatorum bona sint Prædestinationis effectus (quod tamen supra negauimus) nulla prorsus est illatio, sed est toto cœlo disparitas. Nam nihil inconuenit bona naturalia fini Prædestinationis scilicet gloriæ subordinari: At verò ad damnationem à Deo ordinari nequaquam possunt; quia licet ex eis occasionem ruinæ peccator desumat, id tamen est præter Dei intentionem, & contra Dei voluntatem: sicut licèt reprobi prauitate suâ, sole, lunâ, & elementis abutantur, imò & ipso concursu Dei quem seruire faciunt iniquitatibus suis, hæc tamen nec sunt nec dici reprobationis effectus possunt: quia ad æternam mortem non ex intentione Dei, sed hominum nequitia perducunt.

Non refugio quidem dicere cum Patribus, omnia reprobis in malum cooperari, ipsam quoque orationem verti in peccatum. Sed absit vt dicamus, eos ideo sortiri illa omnia effecta, quia ad illa à Deo reprobante destinantur; cum potiùs hæc illis non eueniant, nisi propter peccan-

tium malitiam, quæ tanta est, vt illis, quæ Deus ad eorum sanctificationem suppeditat, in propriam abutantur perditionem. *Nemo* (ait B. Prosper ad 3. obiect. Vincentianam) *à Deo creatus est vt periret; vt nascantur homines, Conditoris est beneficium; vt autem pereant, prauaricatoris est meritum.* Idem dicendum censeo de defectibus naturalibus, putà naturâ incomposita, dura ceruice, genio & indole indisciplinabili, & ad vitia procliui, cum huiusmodi propensiones sint multis Prædestinatis communes; vnde solùm per accidens ex abusu & malitia reproborum conducunt ad peccatum, cum possent esse seges amplissima & vberrima exercendæ virtutis.

Quædam notationes circa quæst. 24. S. Thomæ de libro vitæ, vbi de pusillo grege electorum.

Postquam S. Doctor Mysterium Prædestinationis & reprobationis aperuit, q. 24. disputat de libro vitæ docens art. 1. librum vitæ dici in Deo metaphoricè à consuetudine scribendi in libro electos ad militiam vel iustitiam exercendam, qui olim dicebantur Patres conscripti. Et quia quod scribitur firmum est, iuxta commune adagium, *scripta manent, verba pratereunt*, ideo liber vitæ idem est ac ipsa Dei notitia, qua Deus firmiter nouit se aliquos prædestinasse ad vitam æternam iuxta illud 2. Timot. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, nouit Dominus qui sunt eius.* Obseruat autem S. Thomas ad 3. quod quia non est consuetum

conscribere eos qui repudiantur, sed eos qui qui eliguntur, ideo reprobationi non respondet liber mortis, sicut Prædestinationi liber vitæ.

Articulo 2. Tradit quod liber vitæ proprie respicit vitam gloriæ, non verò vitam gratiæ nisi secundum quid, inquantum vita gratiæ de se ordinatur, & continuari potit vitæ gloriæ, de qua sola liber vitæ simpliciter intelligitur: quia id ad quod eligitur aliquis habet rationem finis; non enim miles eligitur aut conscribitur ad hoc vt armetur, sed vt pugnet & vincat: sola verò gloria habet rationem finis creaturæ rationalis.

Articulo 3. Exponit S. Præceptor quomodo possit aliquis deleri de libro vitæ, iuxta illud Psal. 68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur*, & docet id esse verum non solùm secundum hominum opinionem (quatenus innotescit hominibus aliquem esse in libro vitæ secundum præsentem iustitiam, à qua excidit; idque vel in hac vita innotescit, vel in iudicio palam fiet) sed etiam secundum rei veritatem, quatenus ille qui habet gratiam, qua ordinatur in vitam æternam, decidit finaliter à gratia.

His suppositis nemo dubitare potest quin certus sit eorum numerus, qui in tali libro scripti sunt. Testatur enim Veritas Ioan. 10. se cognoscere oues suas, & neminem rapturum eas de manu sua, bonumque Pastorem proprias oues vocare nominatim. Et certè (vt discurrit Sanctus Thomas q. 23. a. 7.) Omne agens intendens efficere aliquod opus determinat numerum partium per se ad opus requisitarum: sic ædificator intendens fabricari domum, disponit eius man-

siones, & mensuram parietum, quamvisper se non determinet numerum lapidum, sed tot accipiat, quot sufficiunt: similiter Deus volens condere mundum præcipuas eius partes determinauit, & numerum earum scilicet orbium cœlestium, & specierum sublunarium; indiuidua verò corruptibilia non per se nec propter se ordinauit, sed in ordine ad specierum conseruationem. Atqui creaturæ rationales sunt principales partes vniuersi propter immortalitatem animæ rationalis, maximè verò illæ quæ futurâ beatitudinem consecuturæ sunt, cum sint nobilissima Christi membra, & curiæ cælestis aulici in æternum futuri. Ergo certus est eorum numerus, *non solùm per modum certæ cognitionis, sed etiam per modum principalis præfinitionis*, vt loquitur. D. Thomas: id est non solùm eâ ratione, qua omnia cognoscuntur à Deo, sed etiam quia sunt præcipuæ partes vniuersi per se ordinatæ ad complementum mundi, atque adeo per se prædefinitæ, & quibus omnia alia deseruiunt, iuxta illud: *Omnia vestra sunt: vos autem Christi: Christus verò Dei.*

Quæres numerum eorum, qui in libro vitæ scripti sunt?

Respondeo verbis D. Thomæ ibidem. Quidam dicunt quod tot ex hominibus saluantur, quot Angeli ceciderunt. Quidam verò quod tot saluantur, quot Angeli remanserunt. Quidam verò quod tot ex hominibus saluabuntur, quot Angeli ceciderunt, & insuper tot quod fuerunt Angeli creati. Sed melius dicitur, quod soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus. Hæc summâ cum discretione & prudentiâ D. Thomas.

Cæterùm licet in particulari non possit numerus saluandorum definiri, id tamen ex Scripturarum & Patrum traditione certum est paucos futuros Saluandos, & longè pauciores his qui pereunt. Dicitur enim Matth. 7. *Lata & spatiosa est via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Angusta est porta, & arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.* Et Luc. 13. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Vnde Isa. 17. & 24. comparantur electi spicis remanentibus in agro post collectam messem; vel paucissimis vuarum granis, quæ supersunt finitâ vindemiâ; vel oliuis quæ restant in summitate oleæ, vel in cacumine rami excussa olea.

Astipulantur Patres. Formidabilis est illa Chrysost. vox hom. 14. ad Pop. Antioch *Quot putatis esse in ciuitate nostra* (Antiochena sexcentis hominum millibus ad minus constanti) *Qui salui fient? Non possunt in tot millibus centum inueniri qui saluentur, quin & de his dubito.* Et rationem subiungit: *Quanta enim in iuuenibus malitia, in senibus torpor?* Nec minus terribiliter August. in Psal. 48. *Quot sunt illi qui videntur obseruare præcepta Dei? vix inuenitur vnus, vel duo, aut paucissimi: ipsos solos liberaturus est Deus, & cæteros damnaturus.* Succinit Gregor. Magnus hom. 19. in Euang. *Ad fidem multi veniunt: sed ad cœlestia regna pauci perueniunt.* Vbi S. Pater loquitur de ipsis Catholicis, *qui ad fidem veniunt.* Ab eis non recedit S. Thomas art. 7. ad 3. dicens: *Cum beatitudo æterna excedat communem statum naturæ, & præcipuè secundum quod est gratiâ destituta per corruptionem originalis peccati, pauciores sunt qui*

ſaluantur. Et in hoc etiam maximè miſericordia Dei apparet, quod aliquos in illam ſalutem erigit, à qua plurimi deficiunt ſecundum communem curſum & inclinationem naturæ.

Ratio etiam ſuffragatur, nec huic veritati multùm reluctabitur animus aſſentiri, ſi conſideremus homines in triplici ſtatu naturæ, legis, & gratiæ. De primo dicitur Geneſ. 6. quod tanta erat hominum malitia in terra, tam intenta cuncta cogitatio ad malum, tam corrupta coram Deo omnis caro, adeoque repleta terra iniquitate, vt *pœnituerit Deum, quod hominem feciſſet in terra.* Ideóque terra vniuerſali diluuio debuit mundari. Sed poſt diluuium iterum inundauit iniquitas, adeóque graſſata eſt, vt opus fuerit igne de cœlo miſſo, quo abſumptæ ſunt quinque ciuitates.

In ſtatu verò legis pleni ſunt omnes veteris Teſtamenti libri Iudæorum exceſſibus, nec aliud fermè occinunt Prophetarum oracula, quàm peccatorum lamentationes. Et Dauid de ſua ætate loquens, ait Pſal. 13. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.*

Denique in lege gratiæ poſt prædicatum Euangelium ex tota terra habitabili vix quarta pars eſt Chriſtiana, & hæc hæreſibus ac ſchiſmatibus in tot ſectas diuiſa. Superſunt ergo ſoli Catholici. Sed, amabo, inter illos quot ſunt qui per arctam ſalutis viam incedant, ad Euangelij maximas vitam exigant ſuam, poſt concupiſcentias non eant, innocentiam cuſtodiant, poſt lapſum ſeriam pœnitentiam agant, nec frequenter recidant, mundum non ament, & ſanctitatem ſectentur, ſine qua nemo videbit Deum? Sanè

rara auis in terris qui huiusmodi est : Cum de hoc sæculo verius dicere liceat, quàm quod de suo deplorabat Saluianus lib. 3. de Prouid. *Præter paucissimos quosdam, qui mala fugiunt, quid est aliud penè omnis cœtus Christianorum, quàm sentina vitiorum?* Id magis lachrymis eget quàm argumentis.

Quin etiam, proh dolor! In ipso Ecclesiastico ordine quot reperire licet Episcopos & Sacerdotes Sanctorum æmulatores, Apostolorum sicut authoritatis successores, ita & morum imitatores, quique modum illum viuendi teneant, quem Patres Concilij Carthaginensis quarti præscripsere, quemve Sacra Synodus Tridentina renouauit sess. 25. cap. 1. de reform. verbis quæ Clerici quotidie lectitare, quotidie ad praxim reducere deberent? Sed de his aliàs.

Sed quid de Religiosis dicam ego statu Religiosus, caractere Sacerdos licet immeritus? Cum videamus tam multa Monasteria à primitiuâ obseruantiâ collapsa, multiplicatis quidem Regularis vitæ professoribus, sed non magnificatâ lætitiâ. Libenter & verè cum Bernardo in Apolog. ad Guillelmum Abbatem scripserim : *Quis in principio cum ordo cœpit Monasticus ad tantam crederet Monachos inertiam deuenire? O quantum distamus ab iis qui in diebus Antonij extiterunt Monachi! Sic Macharius vixit? Sic Basilius docuit? Sic Antonius instituit? Sic Patres in Ægipto conuersati sunt?* Quid ergo diceret modò Bernardus de tot Cœnobiis (excipio illa, in quibus regula ad litteram seruatur, qualia multa esse in Domino gaudemus) in quibus obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersique sunt lapides Sanctua-

rij;& à quibus reformandis se despondere lugens dicebat Clemens VII. vt refert Prosper Fagnanus alibi laudandus. Veridicè scripsit August. se non vidisse meliores iis, qui in Monasteriis profecerint,nec deteriores iis qui in Monasterio defecerint: similes ficubus Ieremiæ, inter quas bonæ, valde bonæ; malæ verò, valde malæ. Et de viro Religioso dici rectè potest,quod de Origene aiebat Hieronymus: *Vbi benè, nemo melius; vbi malè nemo peius.* In illo vera est Philosophorum maxima: *Corruptio optimi pessima.* Verum itidem commune Prouerbium: *Ex generosiori vino asperius acetum.*

Audisti,Lector,paucos admonum esse electos. Audi quoque huius veritatis radicem.Ideo innumeri æternùm pereunt,quia tertiam viam,quam Euangelium non docuit, sibi confingunt. Testante veritate,alia via lata est quæ ducit ad perditionem: alia arcta, quæ ducit ad vitam: & nos mediam comminiscimur. Nolumus quidem flagitiis immanibus refertam vitam agere; sed interim nolumus etiam per arctas sanctitatis calles incedere, sed viam illam inimus, quæ nec nimiùm lata, nec multùm angusta sit. Sed certè eiusdem periculi est tertiam confingere viam, ac triplicem terminum distinguere, qui duplex tantum pro adultis vltimatè designatus est,scriptum enim est Matth.25. quod alij *ibunt in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* De hoc tertio tramite à tepidis aduento dicitur Prou. 14. *Est via quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem.*

Eò maiori in periculo versantur huius tertiæ viæ sectatores, quò se tutiores arbitrantur, quia tantò securiores se credunt, quantò atrocioribus

sceleribus non seruiunt. Rari etenim sunt homines omnino prostitutæ & perditæ conscientiæ; quia, vt ait August. serm. 30. de verb. domi. *Sicut magna pietas paucorum est, ita & magna impietas multò minùs paucorum est.*

Sed planè miserèque falluntur. Nam per latam viam incedit, qui arctam non ingreditur: Qui aliter sentit, seipsum decipit, tantóque est insanabilior, quantò insensibilior, dumque se de numero electorum esse præsumit, in vasto reproborum numero concluditur. Mihi non crede, sed Patribus, à quibus auscultа quid sit arcta via. *Arcta via lex Dei est* (inquit Aug. in Psal. 1.) *Qua cupiditates nostras arctat.* Et ibidem Ambros. *Duæ sunt viæ, una Iustorum altera peccatorum; una æquitatis, altera iniquitatis: Iustorum via angustior est, iniustorum latior: hic conuiuium, illic ieiunium; hic intemperantia gaudiorum, illic perseuerantia lachrymarum.* Et Gregor. magnus lib. 27. Moral. cap. 22. *An non quædam, quasi angustia est, in hoc quidem mundo viuere, sed de huius mundi concupiscentia nihil habere?* Hâc viâ qui incedit pusillo electorum gregi annumerabitur. Nam, vt præclarè Sanct. Paulinus Epist. 50. expendens illud, *quam spatiosa via quæ ducit ad perditionem*, ait: *Omne quod agimus, omne quod loquimur, aut de latâ, aut de angusta via est. Si cum paucis angustum iter & subtilem quamdam semitam inuenimus, ad vitam tendimus: si verò multorum comitamur viam, secundum Domini sententiam imus ad mortem. Si omni cupiditate calcatâ solum studeamus diuites esse virtutibus, per angustam viam nitimur: conuersatio enim ista paucorum est, estque perrarum atque difficile idoneos huius itineris comites reperire.*

Quamvis autem hæc ita sint de nullo quantumvis sceleſto vel obdurato licet asserere ipsum esse reprobum, sicut de nullo quamlibet virtutibus prædito affirmare licet eum esse certò saluandum. Supponimus enim ex Doctrina Ecclesiæ expressa in Concilio Trident. sess. 6. capite 12. nullum indubitanter scire posse se esse de numero electorum: Idque consonum est Scripturæ dicenti Eccles. 9. *Nemo scit an odio vel amore dignus sit.* Vnde Gregor. expendens illud Iob. 38. *Nunquid nosti ordinem cœli*, ait: *Ordinem cœli nosse est supernarum dispositionum occultas Prædestinationes videre, quod vtique in hac vita positus nullus potest.* Et D. Prosper l. de vocat. Gent. cap. vlt. *In remotissimo ab humana cognitione secreto præfinitio huius electionis abscondita est: & de nullo ante ipsius finem pronuntiari potest, quod in electorum gloria sit futurus.* Et Bernard. serm. 1. in Septuag. *Hoc est vnde semper solliciti, & in timore ac tremore humiliemur necesse est sub potenti manu Dei: quia quales sumus nosse possumus vel ex parte, quales autem futuri sumus id nosse penitus impossibile est.*

Quare sapientissimè monet Sacrosancta Synodus loco citato, vt nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Diuino auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debeant: quia Deus, nisi gratiæ ipsius defuerimus, sicut cepit bonum opus, ita perficiet, operans velle & perficere. Itaque sub incerto hinc spe, inde timore permoti viuamus, & cum tremore salutem operemur in laboribus & vigiliis, in eleemosinis, in orationibus, & oblationibus, in ieiuniis, in castitate: scientes quod in spem gloriæ, & nondum in gloria renati sumus,

Præsertim quia est nobis colluctatio cum triplici hoste, cui sæpe sæpius humana succumbit infirmitas: quotidiana enim pugna, sed rara victoria, quam à solo Deo petere, ab ipso solo sperare possumus: Nam siue paruum, siue multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.

Hæc cum ita sint. Quis dabit oculis nostris inmbrem lachrymarum, vt defledere valeamus Christianorum statum quasi ad nihilum iam redactum? Etenim terra nostra consiliis & exemplis Christi culta, eiusque tincta sanguine spinas & tribulos germinat pro frumento. Quis tam constanti de paruo numero electorum doctrinâ auditâ non tremit? Sed væ determimum illi imminet, qui in se effectus reprobationis experitur & non gemit. *Quisquis ergo talis est, fratres mei* (verba sunt Gregor. hom. 34. in Euangel.) *gemendus est valde, quia non gemit.* Et quia gemituum suspiria interrumpunt impediuntque verba, vt pro tuis meisque peccatis ambo, Lector, gemamus, sermonum hîc finem faciam. Nam vt alicubi scripsit Ambrosius: *Tempus est quo finire sermonem & claudere debeamus: tempus est, quo melius aut tacetur, aut fletur. Respice nos Domine IESV, vt & nos propria recognoscamus errata, soluamus piis fletibus culpam, mereamur indulgentiam peccatorum. Da quæso lachrymas Petri, nolo latitiam peccatoris.*

Quod si fortè aliqua proferre verba cordis amaritudo patitur, totâ animi demissione, corde contrito & humiliato poteris, Pie Lector, orationem illam coram Deo effundere, quam ante obitum suum composuisse & frequentasse Augustinum fertur.

Ante

Ante oculos tuos, Domine, culpas noſtras ferimus, & plagas quas accepimus circumferimus. Minus eſt quod patimur, maius eſt quod meremur. Peccati pœnam ſentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis infirmitas noſtra vertitur, iniquitas non mutatur. Si extenderis manum, facienda promittimus; ſi ſuſpenderis gladium, promiſſa non facimus. Si feris, clamamus vt parcas; ſi peperceris, iterum prouocamus vt ferias. Habes, Domine, confitentes reos; nouimus quod niſi dimittas, iuſte nos perimus. Præſta Pater omnipotens ſine merito quod rogamus, qui feciſti ex nihilo qui te rogaret.

Reflexio.

Si vnicus fermè reprobationis effectus peccati permiſſio eſt; igitur *ſicut à facie colubri fuge peccatum*, vt dicitur Ecc. 21. Illud ſolum merito timendum eſt, ſine quo mala cætera non obſunt, & cum quo bona cuncta nihil proſunt ad ſalutem. Timeant ergo & peccatores, & iuſti; vtriſque enim ruinæ periculum impendet, illis quidem, quia iam reprobationis effectus in ſe peccata nimirum experiuntur; iſtis etiam, ne dum de iuſtitia ſua præſumunt, eò lapſu graviore ruant, quo altiùs ſeſe efferunt. Has vndique inſidiantes anguſtias, & *circunſtans nos peccatum* ſolidè detegit Auguſt. in Pſal. 31. his præclariſſimis & vtiliſſimis verbis: *Anceps animus humanus & fluctuans inter confeſſionem infirmitatis, & audaciam præſumptionis plerumque hinc atque inde confunditur, & ita impellitur, vt ei in quamlibet partem cadere præcipitium ſit. Si enim ſe infirmitati propriæ omni ex parte donauerit, vt dicat, liberabit*

me Deus misericordiâ suâ, quia credidi in eum, cogitatione mala inclinatur in impunitatem peccatorum: Et Deus ille iustus, cui cantatur misericordia & iudicium, non sola misericordia, sed & iudicium, inuenit hominem de se malè præsumentem, & ad ineritum suum misericordia Dei abutentem, & necesse vt damnetur. Talis quoque cogitatio præcipitat hominem, qua quisque tentatur, si se in audaciam quandam præsumpserit, etiamsi forte impleuerit omnia quæ iusta videntur in oculis hominum; ita vt nihil inueneniatur in vita eius, quod possit reprehendi ab hominibus. Ipsam præsumptionem superbia damnat Deus. Præsumptio de iustitia quasi dextera est, cogitatio impunitatis peccatorum quasi sinistra est. Audiamus vocem Dei dicentem nobis, ne declines in dexteram aut sinistram. Ne præsumas ad regnum de iustitia tua, ne præsumas ad peccandum de misericordia Dei. Reprobationis effectus fortunatè, Lector, vitabis, si media via incedens, nec in Scillam præsumptionis, nec in Charibdim peccari mortalis impingas. Si manu tua quæcumque potuerit instanter operante totum Deo des, à quo omne bonum deriuatur.

Plura hîc scribenda paraueram de sorte electorum nec non de signis Prædestinationis, & reprobationis, sed ne tomus nimis excrescat, hactenus dicta sufficiant de attributis ad essentiæ Diuinæ vnitatem spectantibus. Licet enim in his contemplandis nullus deberet esse finis, quia solus beatus est qui hæc nouit etiamsi alia ignoret, vt alias ex Augustino diximus: tamen in hoc mundo, vbi Deum in ænigmate duntaxat, & ex parte cognoscimus, magis expedit tempus in Deo redamando impendere, quam in eo speculando diutius exerceri, vt aureis verbis &

nulla obliuione delendis expreſſit ingeniorum ſui ævi Phœnix Picus Mirandul. l. de ente & vno c. 5. quibuſcum huic tractationi coronidem imponam. *Vide quæ nos inſania teneat? Amare Deum dum ſumus in corpore plus poſſumus, quam eloqui, vel cognoſcere: Amando plus nobis proficimus, minus laboramus, magis illi obſequimur: Malumus tamen ſemper quærendo per cognitionem nunquam invenire quod quærimus, quàm amando poſſidere.*

Finis Libri ſecundi Theologiæ mentis, & cordis.

ELOGIVM DEI OPT. MAX.

Compendio quæstionum sex supra viginti D. Thomæ.

VID sit Deus quærebat S. Thomas puer quinquennis.
Quis putas puer iste erit super senes sic intelligens?
Inde incipiebat studia, vbi alij desinunt.
Na pueritia nihil habebat nisi innocentiam talis quæstio.
Ex creaturis ad Deum surgebat Aristoteles,
A Deo ad creaturas pergit Aquinas.
Priùs Theologus quàm Philosophus, priùs rationalis, quam homo.
Ne mirare: Non homo, sed Angelus erat.
Nullam infantiæ sentit ætatem qui à Deo eruditur.
Felix puer, cui primus cibus Aue Maria!
Felicior infans, cuius prima balbuties Deus est!
Hoc quærebat quod postea docuit:
Ad Deum conuerti in rationis diluculo homines obligat:
Id cepit facere priùs quam doceret.
Priùs discipulus Dei & Condiscipulus Angelorum, quam Magister hominum,

Quaeramus in fine libri huius, quod in exordio vitæ quaritabat maturus puer.

Quid est Deus? Ne dicas lingua quod in cor non ascendit.

De eo facilius dicitur quid non sit ille, quem decet silentium:

Negationibus explicatur, nec definiri potest ens infinitum.

Supra genus est, qui nihil habet commune:

Totus differentia est, qui se toto ab aliis differt.

Deus est ens à se, nec sibi dat esse.

In se inuenit fontem essendi, & Oceanum seipsi plenum.

Deus est, qui est, ille dixit, qui solus se nouit.

Est ipsum esse, plenum sibi, superplenum nobis,

Est centrum omnium, apex entium, vertex rerum:

Per se subsistit nullius egens, quo omnia indigent.

Est infra omnia, vt portet verbo virtutis suæ,

Est super omnia, vt regat quos sustinet,

Est circum omnia, vt muniat quos gubernat,

Est intra omnia, vt viuificet quos munit,

Est extra omnia, vt coronet quos viuificauit.

Dei essentia est existentia, qua nil prius, nihil actualius.

Deus, inquit Cusa, est ipsum posſest,

Quia id totum habet quod est esse potest:

Totum habet quod ab intellectu infinito cõcipi potest:

Crementi capax non est, quo nihil majus esse potest.

Deus est actus purus: imò puritas actus, vel actualitas puritatis:

Est puritas entis, puritas sanctitatis.

Non habet accidentia, qui totus substantia est.

Quidni totus? Etiam solus substantia est;

Omnia sustinet, à nullo sustentatus.

Non habet partes, quidquid habet hoc est.

Non habet potentiam, cui nihil de alieno est.

Nulla in eo distinctio nisi virtualis:
Sed eo ipso non distinctio, sed unitas est.
Deus est perfectus & nunquam factus.
Est tam bonus, vt præter eum nemo bonus.
Est immensus implens omnia non inclusus.
Non accedit, dum noua condit,
Non recedit, dum vetera destruit.
Est immutabilis qui omnia mutat:
Non bene nec vniformiter moueret, nisi esset immobilis.
Non mutatur substantiâ actus purus:
Non dicitur loco vel situ immensus Spiritus.
Non mouetur et atibus stans Æternitas:
Sub ea transeunt sæcula, non illi:
Æternitas est speculum Dei, in quo successiua simul videt,
In eo pene jam facta sunt qua quotidie fiunt.
Sed, O miraculum! ipsum speculum est spectator:
Ipsa imago pictor est, ipsa idea Artifex:
Ibi labentia stant, ibi mortua viuunt:
Et Creatura sunt Creatrix essentia.
Deus vnus est, & pluralitas numinum est nullitas numinum.
Deesset vni Deo id per quod differret ab alio, si daretur.
Sed absit talis Deus, qui foret indigus.
Deus inuisibilis per naturam fit visibilis in gloria:
Vbi vident & gustant quam suauis sit Dominus.
Quale prandium, vbi cibus & potus Deus est!
Quale conuiuium esse Dei commensalem & conuiuã!
Quale commercium, quo animus fit Deus intelligibiliter!
Deus est Omniscius, & videndo facit.
Quam benignus aspectus cernens & benefaciens!
Videt præterita, quia fecit; videt futura, quia decreuit

Videt possibilia in omnipotentia, futura in voluntate.
Hæc videt, nec extra se egreditur.
Ab aliis non mendicat scientiam Pater luminum.
Ipse qui videt, ipse unde videt.
Scientiam comitatur amor, qui Deus est.
Est tam fœcundus, vt intra Deum spiret Deum:
Tam prodigus, vt extra Deum incarnet Deum:
Tam liberalis, vt nihil habeat quod non profundat:
Tam clemens, vt misericordiarum sit Pater, imò Mater.
Exhauriret se donando amor, nisi foret Diuinus:
Nec gauderet se diuitem esse, nisi dare posset.
Tam gratuitus, vt prædestinet sine meritis:
Tam propitius, vt det merita quæ coronet.
Tam Æquus, vt rependat mercedem ex iustitia, quam promisit ex misericordia.
Omnipotens est Deus, vt bene omnibus faciat.
Imperat nihilo, vt creet beneficia.
Omnipotentia sæpe Deum creatorem facit, & semper beneficum
Creauit hominem ex nihilo natura,
Vt faceret in terris Vice-Deum.
Creauit ex nihilo peccati,
Vt faceret Diuinæ consortem naturæ;
Creauit ex nihilo miseria
Vt pro nihilo salvum faceret, & redderet Deiformem.
Beatus est Deus, sed non solitariè:
Se miserum ferme crederet, nisi felicitatem communicaret.
Ibi sistit Doctor Angelicus, vnde puer inceperat,
Primum in intententione est vltimum in executione.
Non debuit aliunde incipere, non potuit alibi finire

Beatitudo finis est, & finium meta.
Siste, Lector, ubi Thomas quieuit.
Si intellectu Deum non capis, corde continebis
Claude ingenium, cor aperi, & totum excipiet Deum.
Quid est Deus? Deus cordis mei, *inquit Propheta.*
Hic finiatur Theologia mentis & cordis.

INDEX

DISSERTATIONVM, Capitum, & Speculationum duplicis libri huius primi Tomi.

LIBER PRIMVS.

DE Deo fonte perfectionis, & de plenitudine essentiæ eius. pag. 1
PRÆLOQVIVM. Exponens huius materiæ dignitatem. ibid.

DISSERTATIO PRÆAMBVLA.

Commendatio Theologiæ. pag. 3
CAPVT I. De necessitate & natura Theologiæ. ibid.
SPECVLATIO I. Theologia seu facultas quæ de Deo rebusque diuinis tractat est ne-

ceſſaria in Eccleſia Dei. p. 4
SPECVLATIO II. Theologia eſt vera ſcientia, cuius obiectum formale eſt Deus. p. 9
SPECVLATIO III. Theologia ſub Diuina reuelatione virtuali, & veluti Magiſterio procedit; vnde eſt vna ſimpliciter ſcientia. p. 14
CAPVT II. Variæ Theologiæ dotes percenſentur. p. 21
SPECVLATIO I. Theologia ſcientiæ Dei & beatorum ſubalternatur; eſtque formaliter ſimul & eminenter ſpeculatiuo-practica. 22
SPECVLATIO II. Theologia eſt certior omni habitu & ſcientia naturali; eſt etiam vera ſapientia. p. 27
SPECVLATIO III. Habet inſuper Theologia quod ſit entitatiuè ſupernaturalis. p. 31
APPENDIX I. Oeconomia & partitio Theologiæ. p. 46
APPENDIX II. Commercium Theologiæ & pietatis. p. 52

DISSERTATIO II.

De exiſtentia, & natura vnius Dei. p. 59
CAPVT I. Demonſtratur exiſtentia vnius Dei. ibid.
SPECVLATIO I. Licet Deum eſſe non ſit per ſe notum quoad nos, eſt tamen ita facile cognoſcibile, vt non poſſit dari ignorantia inuincibilis de Dei exiſtentia. p. 60
SPECVLATIO II. Neceſſario confitendum eſt Deum exiſtere, idque rationibus manifeſtis demonſtratur. p. 65

SPECVLATIO III. Deus est ita vnus & singularis, vt repugnet dari plures Deos. p.77
CAPVT II. Quid sit Deus, & quodnam constitutiuum naturæ ipsius. p.82
SPECVLATIO I. Verum & formale Dei constitutiuum est ratio entis à se, seu per essentiam; vnde si Deus describi deberet, sic exprimenda foret eius notio: Deus est ens à se & per se subsistens. p.83
SPECVLATIO II. Solutione obiectionum magis illustratur hæc matetia. 89
SPECVLATIO III. Ad efformandam sublimen & eleuatam de Dei Majestate ideam, mirum in modum conducit sententia quæ Dei naturam constituit per rationem entis à se & per essentiam, seu per essendi plenitudinem. p.96

DISSERTATIO III.

De perfectionibus & attributis consequentibus esse diuinum. p.105
CAPVT I. De simplicitate & perfectione Dei. p.106
SPECVLATIO I. In Deo admittenda est omnimoda simplicitas per exclusionem omnis materiæ, corporis, & compositionis cuiuscumque; siue ex natura & supposito vel persona; siue ex essentia & existentia; siue ex subiecto & accidentibus; siue ex genere & differentia. p.106
SPECVLATIO II. Diuina simplicitas excludit

omnem omnium distinctionem actualem antecedentem operationem mentis; compatitur vero solam distinctionem rationis, fundatam in distinctione virtuali seu eminentiali; quæ distinctio rationis non est præcisio obiectiua, sed formalis, ita vt vnum attributum importetur in conceptu alterius non explicite quidem, sed implicite. p. 111.

Specvlatio III. Admittenda est in Deo summa & Illimitata perfectio, ratione cuius omnes creatas perfectiones vel formaliter, vel eminenter præcontinet. p. 117.

Capvt II. De Bonitate & pulchritudine Dei. pag. 122.

Specvlatio I. In Deo est summa & omnimoda bonitas. ibid.

Specvlatio II. In Deo etiam est illibata bonitas moralis seu sanctitas. p. 125.

Specvlatio III. In Deo quoque inuenitur egregia & elegantissima pulchritudo. p. 127.

DISSERTATIO IV.

De modo perfectionis diuinæ. p. 131.

Capvt I. De infinitate & immensitate Dei. ib.

Specvlatio I. Deus infinitus est, eiusque perfectio nullis limitibus clauditur, nec circumscribi potest, & hæc perfectio est ita illi propria, vt nullum aliud sit infinitum creatum, sed nec esse possit. p. 132.

Specvlatio II. Deus est vbique præsens & immensus; non tamen exigit diuina immensitas, vt actu sit Deus in spatis imaginariis. 140

SPECVLATIO III. Varij sunt modi diuinæ præsentiæ. p.147
CAPVT II. De immutabilitate & æternitate Dei. p.151
SPECVLATIO I In Deo admittenda est summa & omnimoda immutabilitas. ibid.
SPECVLATIO II. Deo etiam competit æternitas, quæ caret principio & fine durationis. p. 155.
SPECVLATIO III. Omnia tempora fugitiuè labentia sunt præsentia diuinæ æternitati. p. 158

DISSERTATIO V.

De inuisibilitate, incomprehensibilitate, & ineffabilitate DIVINÆ perfectionis. p.167
CAPVT I. De inuisibilitate Dei, & simul de visione ipsius. p.168
SPECVLATIO I. Deus est naturaliter inuisibilis; ita vt nullus intellectus creatus vel creabilis DEVM vt in se est clare & intuitiue videre viribus naturalibus possit: vnde repugnat substantia supernaturalis, cui connaturale sit videre Deum. ibid.
SPECVLATIO II. Intellectus creatus supernaturaliter adjutus Deum, vt in se est, videre potest. p.174
SPECVLATIO III. Licet status huius mortalis vitæ non sit aptus ad videndum Deum per essentiam, absolutè tamen illi non repugnat: imò D. Paulo & Moysi id concessum fuit. p.187.

CAPVT II. De Incomprehensibilitate, & Ineffabilitate Dei. p. 195
SPECVLATIO I. Beati quantumuis clarè Deum intuentes, ipsum tamen comprehendere non possunt. p. 196
SPECVLATIO II. Deus est ineffabilis, nec potest ipsi nomen quidditatiuum imponi à viatoribus, nec à Beatis: tamen multa adhibentur nomina ad eius perfectionem declarandam.
SPECVLATIO III. Tria sunt præcipua supremi entis nomina, scilicet Deus, qui est, & Iehoua, seu Tetragrammaton. p. 208

DISSERTATIO VI.

Fausissima Beatæ visionis materia declaratur. p. 211.
CAPVT I. De gemino visionis principio, specie, & lumine gloriæ. p. 212
SPECVLATIO I. Vt Deus intuitiuè videatur, necessum est vt essentia diuina vniatur intellectui immediatè in ratione speciei impressæ; repugnat enim creata in visione. p. 213
SPECVLATIO II. Beati in patria non producunt speciem expressam, nec possunt, sed eam diuina essentia supplet. 218
SPECVLATIO III. Ad visionem beatam requiritur lumen gloriæ, ita indispensabiliter, vt repugnet sine eo elici visionem. p. 225
CAPVT II. De inæqualitate, & obiecto visionis beatæ. p. 227

SPECVLATIO I. Beatorum vnus alio perfectiùs Deum videt. p. 233

SPECVLATIO II. Tota visionis inæqualitas ex solius luminis gloriæ differentia procedit; luminis verò diuersitas ex maiori vel minori charitate, & gratiâ prouenit. p. 237

SPECVLATIO III. Beati vident omnia quæ in Deo necessariò; ita vt repugnet eos videre essentiam, quin simul personas & attributa videant. Item vident aliqua libera Dei decreta, secundum quod Deus voluerit manifestare. Vident etiam creaturas possibiles, tantò plures quantò perfectior est visio. Denique vident nonnullas creaturas existentes secundum exigentiam sui status. p. 242

LIBER SECVNDVS.

DE Deo interiùs operante, seu de Arcanis cordis diuini. p.253
PRÆLOQVIVM. De cautione & reuerentia diuinis adhibenda. ibid.

DISSERTATIO I.

ORDINE VII.

De perfectionibus ad intellectum diuinum spectantibus. p.257
CAPVT I. De existentia, objecto, & prærogatiuis intellectus & scientiæ Dei. ibid.
SPECVLATIO I. In Deo Intellectus & scientia perfectissimè inueniuntur. p.258
SPECVLATIO II. Intellectus diuinus ad omnia cognoscibilia se extendit, & scientia eius est omniscientia.
SPECVLATIO III. Duæ sunt præcipuæ excellentiæ diuinæ scientiæ, quibus omni creatâ vel creabili antecellit: prima est, quod sit causa rerum; altera quod sit inuariabilis. p.271
CAPVT II. De Ideis, veritate, & vita Dei. p.279
SPECVLATIO I. Dantur intellectu diuino Ideæ seu exemplaria rerum omnium ad quæ Deus respicit, dum extra operatur: quæ nihil aliud

sunt quam essentia diuina cognita vt participalis à diuersis creaturis. ibid.
SPECVLATIO II. Deus est prima, summa, & incommutabilis veritas. p. 287
SPECVLATIO III. Deo ita perfectè competit vita, vt apud ipsum omnia viuant. p. 293

DISSERTATIO VIII.

De medio cognitionis Diuinæ, vbi de scientia media. pag. 299
CAPVT I. In quonam medio cognoscat Deus possibilia, & futura? ibid.
SPECVLATIO I. Deus cognoscit omnia possibilia in essentia sua, tamquam in causa & medio cognito, non in seipsis primò & immediatè inspectis, seu independenter ab essentia diuina prius visa. p. 300
SPECVLATIO II. Deus cognoscit futura contingentia in suo decreto efficaci & absoluto, non in seipsis, seu in veritate ipsorum obiectiua antecedenter ad decretum. p. 310
SPECVLATIO III. Quibusdam confectariis excluduntur alia media Diuinæ cognitionis respectu futurorum. p. 318
CAPVT II. Scientia media de medio tollitur. p. 322
SPECVLATIO I. Scientia Media, quâ Deus exploret ante decretum suum futurum consensū voluntatis applicantis & determinantis Dei concursum, & quâ Deus dirigatur in suis decretis, videtur sacræ scripturæ repugnare. p. 326

SPECVLATIO II. Scientia media videtur è diametro & veluti è fronte opposita D. Augustino, & S. Thomæ, eius discipulo. p. 334
SPECVLATIO III. Scientia media inuictis rationibus, tum à priori, tum à posteriori confutari potest. p. 347

DISSERTATIO IX.

De perfectionibus ad voluntatem diuinam pertinentibus. p. 365
CAPVT I. Natura voluntatis, & suauitas amoris Dei. p. 366
SPECVLATIO I. Voluntas diuina est ita actualis, vt sit sua actio absque distinctione virtuali; ita pura & sancta, vt nullum aliud obiectum respicere possit, nisi diuinam bonitatem. ibid.
SPECVLATIO II. In Deo est formaliter amor tam suæ bonitatis, quam creaturarum præsentium & futurarum, sed non merè possibilium. p. 374
SPECVLATIO III. Amor Dei omnium omnino salutem sincerè vult. p. 383
CAPVT II. De variis diuinæ voluntatis affectibus, & de moribus diuinis. p. 395
SPECVLATIO I. Illæ, quas in nobis experimur affectiones, Deo formaliter attribuuntur, quæ nullam dicunt vel inuoluunt imperfectionem. p. 397
SPECVLATIO II. In Deo est summa & perfecta iustitia, non quidem commutatiua, sed distributiua, & vindicatiua, seu punitiua. p. 405

Speculatio III. In Deo est suauissima & infinita misericordia, aliæque virtutes ei affines. 419

DISSERTATIO X.

De libertate & efficacia Diuinæ voluntatis. Vbi explicatur concordia actus liberi Dei cum necessario, & prædefinitionis cum creata libertate. p. 429

Caput I. Concordia libertatis Diuinæ cum immutabilitate actus necessarij. p. 431

Speculatio I. Voluntas Dei in ordine ad creaturas perfectissima gaudet libertate. p. 432

Speculatio II. Actus liber Dei nihil addit intrinsecum distinctum à necessario; sed est ipsemet actus necessarius, vt connotans & dicens habitudinem non necessariam ad creaturas. p. 439

Speculatio III. Ex prædictis quædam consectaria, nec non solutio obiectorum deriuantur. p. 447

Caput II. Efficacitas & suauitas diuinæ voluntatis, seu de concordia decretorum prædeterminantium Dei cum libertate creata. p. 457

Speculatio I. Voluntas Dei non potuit manere suspensa; vnde oportuit vt prorumperet in aliquod decretum circa omnia futura tam absoluta, quàm conditionata. p. 458

Speculatio II. Diuina voluntas statuit, præ-

definiuit ac prædeterminauit omnes actus causarum secundarum etiam liberos decreto non indifferenti, sed per se & ab intrinseco efficaci, minimè expectante efficaciam suam à consensu præuiso, sed consensum ipsum præueniente & infallibiliter inferente. pag. 476

SPECVLATIO III. Efficacitas prædeterminantis decreti fouet & perficit humanæ voluntatis libertatem. p. 485

DISSERTATIO XI.

De Prouidentia, & Omnipotentia Dei. p. 518

CAPVT I. De Prouidentia Dei. ibid.

SPECVLATIO I. Est in Deo oculatissima Prouidentia, quæ ad omnia se extendit. p. 522

SPECVLATIO II. Prouidentia est formaliter actus intellectus, præsupponens tamen intentionem efficacem voluntatis. p. 533

SPECVLATIO III. Prouidentia diuina est omnino certa & infallibilis, non solum quoad ordinem mediorum in finem, sed etiam quoad actualem finis assecutionem. p. 539

CAPVT II. De omnipotentia & dominio Dei. p. 549.

SPECVLATIO I. In Deo est summa & pleniſſima omnipotentia, seu virtus infinita ad quodcumque non repugnat producendum. p. 550

SPECVLATIO II. Omnipotentia Dei, seu virtus qua Deus ad extra exequitur decreta volun-

tatis suæ non distinguitur ab intellectu & voluntate tanquem potentia ex æquo distincta, sed vt attributum inadæquatum intra potentiam & lineam intellectualem.

SPECVLATIO III. In DEO est supremum & illimitatum dominum. p. 563

DISSERTATIO XII.

De Mysterio Prædestinationis & Reprobationis. p. 569

CAPVT. I. Essentia motiua, & effectus Prædestinationis. p. 570

SPECVLATIO I. Confitemur prædestinationem Sanctorum, quæ in actu intellectus supponente electionem voluntatis consistit. p. 571

SPECVLATIO II. Electio Prædestinatorum ad gloriam non habet aliam causam motiuam, quam Diuinam bonitatem, non merita præuisa, quæ sunt potius effectus, quam motiuum prædestinationis. p. 575

SPECVLATIO III. Varij sunt effectus Diuinæ Prædestinationis. p. 597

CAPVT II. De reprobationis Iudiciis. p. 608

SPECVLATIO I. Certum est dari in DEO reprobationem, quæ consistit formaliter in imperio intellectus, supponente efficacem voluntatem excludendi aliquos à gloria. 610

SPECVLATIO II. Reprobatio prout dicit exclusionem à gloria tanquam beneficio indebito, non habet pro motiuo præuisa demerita

& peccata siue actualia, siue originale; bene tamen provt includit voluntatem puniendi & infligendi pœnam. p. 613

SPECVLATIO III. Varij sunt reprobationis effectus. Vbi de libro vitæ. p. 624

ELOGIVM DEI Opt. Max.

Cuilibet Speculationi subnectitur Reflexio pietatis.